OFFICIA SANCTORUM

IN DIOECESIB. AEQUE PRINCIPALIBUS

CALENA ET THEANENSI

DIVERSIS TEMPORIBUS A SUMMIS PONTIFICIBUS

CONCESSA

ET ALIA QUAE UT PLURIMUM IN ALIQUIBUS BREVIARIIS DESIDERANTUR

VEL NUPER CONCESSA SEPARATIM INQUIRUNTUR

QUIBUS ACCESSERUNT OFFICIA SS. PONTIFICUM

(PER NOVISSIMUM DECRETUM DE DIE XXX. MARTII HUJUS ANNI)

PRO UNIVERSO CLERO CALEN ET THEANEN IMPERTITA

EXCELLENTISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI

D. NICOLAI STERLINI AGRIGENTINI

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA CALEN ET THEANEN

EPISCOPI

Abb. Perpet. S. Vitaliani, Baron. Castri Rocchettae, S. Mauritii Regii Consiliarii, ac Equitis Regii Ordinis FRANCISCI I.

JUSSU EDITA



NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA DE CHRISTOPHARO

MDCCCXLVI.

Non sono dell' Editore tutte le Copie non munite della sottoscritta firma.

EXCELLENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO

D. NICOLAO STERLINI AGRIGENTINO

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

CALIUM ET THEANEN

EPISCOPO

ABBATI PERPETUO S. VITALIANI, BARONI CASTRI ROCCHETTÆ, S. MAURITII

REGIO CONSILIARIO

AC EQUITI REGII ORDINIS FRANCISCI I.

Excellentissime ac Reverendissime Praesul

Quod Anonymus Theanensis, ineunte seculo XII coram Pandulpho, istius Ecclesiae Episcopo, magni nominis viro, pro patriae gloria, ad civium pietatem fovendam egit, eidem Domino ac Patri carissimo, ac Praesuli eloquentissimo, quae scribebat, ad vetustissimi exemplaris fidem, de SS. Theanensibus, offerens, eumdemque obsecrans, ut si qua corrigenda novisset, emendaret, non corrigendis vero suae sanctionis auctoritatem imponeret;

id a Te nunc devotissime exorare mihi animus est, Tibi, Excellentissime ac Reverendissime PRAESUL, *obsequentissimo animo nuncupare novam hanc editionem Officiorum utriusque Tuae tum Calen tum Theanen Dioecesis, aliorumque jamdiu pro S. Metropolitana Ecclesia Capuana a S. R. Congregatione adprobatorum, aeque ac SS. Pontificum, ceterorumque novissime concessorum, quorum auctario libellus hic locupletatur, quam quidem editionem diligenti adcuratione emendatam, Amplitudini Tuae nunc sisto, eamque Te fore probatam spero. Ille siquidem ex veteribus membranis acta puellulae, Virginis et Martyris, Reparatae*, cujus caput Florentiae, *reliquum vero corpus Theani Sidicini asservabatur, et servatur adhuc ac colitur, tum Divi Paridis, primi Praesulis Theanensis, ac SS. Amasii, et Urbani, qui eidem proxime successerunt, nec non Divi Terentiani acta ex archetypo, sua recensione instructa, proferebat; ego vero, jussu auspiciisque Tuis libellum, Apostolica jam auctoritate probatum, auctum, emendatiorem, et nitidiorem exhibens, ac Tibi, Eruditissimo ac Sapientissimo* VIRO *dedicans, facere non potui, quin praeclara isthaec hujus Ecclesiae memorabilia saltem indigitarem, eo quidem consilio, ne Civium Theanensium diligentia, eorumque pietas in Divos Patronos etiamnum debita commendatione et laude fraudarentur; neque monumenti sacri, quod in membranaceo codice descriptum adservabatur, penitus interiret memoria. Adservatur quippe in hac Regia Neapolitana Bibliotheca exemplar Officiorum, quae pro laudatorum SS. cultu, juxta liturgicam formam tunc vigentem ex archetypo Capitulari edita fuere, typisque rubro nigris nitidissimis exhibita* Neapoli per Joannem Sulflaccilum Hagenovensem Germanum *anno Saluis* 1533 *in* 4. additis antiphonis, hymnis, invitatoriis, versiculis, et orationibus... *quae in sacris statutis diebus decantari solebant. Dum nova ergo, Tuo jussu, correctiora profero, Tibique dicare religioni mihi duco, vetustis etiam novitatem aliquam dare aequum duco, majora in animo volvens praestandi, recudendi scilicet vetustum exemplar, ad majorem Dei O. M., Sanctorumque suorum gloriam, eo*

praesertim consilio, ut Bollandianorum Actorum Continuatoribus morem gerens, Tuae Ecclesiae Theanensi decus aliquod addam, Tibi vero, Praesul Amplissime, *obsequii, et observantiae meae tributum perpendam, cujus tenuitatem, majora ex animo praestare voluisse, augeat. Sacras interim Tuas manus deosculans, Nestoreos Tibi prius adprecatus annos, Pastoralem benedictionem peto, et obsequentissimo, gratissimoque animo subscribor.*

Dabam Neapoli Kalendis Octobris MDCCCXLVI.

Excellentiae Tuae ac Reverendissimae.

Humillimus, addictissimusque subditus
Sacerdos Dominicus Venticinque
e Terra Camiliani Calenae Dioecesis

ELOGIA SS. PRO MARTYROLOGIO

DIE V. MARTII.

Elogium pro S. Josepho a Cruce.

Neapoli Depositio S. Joannis Josephi a Cruce, Ordinis Minorum Excalceatorum S. Petri de Alcantara Italicae Familiae Promotoris, primique Provincialis; qui Sanctorum Francisci Assisiensis, ac Petri de Alcantara studia aemulatus, vitae Sanctimonia, jugique poenitentia Ordini Seraphico insigne decus addidit, a Gregorio Papa XVI. in Sanctorum Canone relatus.

DIE XI. MAJI.

Elogium pro S. Francisco de Hieronymo.

In Oppido Cryptalearum Tarantinae Dioecesis Natalis S. Francisci de Hieronymo Confessoris, Societatis Jesu, eximiae in procuranda animarum salute charitatis, et patientiae, quem Gregorius Papa XVI. in SS. canone retulit. Ejus autem depositio Neapoli in ubi corpus quiescit, summa celebritate Ecclesia Domus professae colitur.

DIE IX. JULII.

Elogium pro S. Veronica de Julianis.

Tiferni Sanctae Veronicae de Julianis Ordinis Minorum Cappuccinorum Abbatissae Asceterii ejus Urbis, ex Oppido Mercatelli Urbaniensis Dioecesis, insigni patiendi studio, caeterisque Virtutibus, ac Coelestibus charismatibus illustris; quam Gregorius Papa XVI. Sanctarum Virginum Collegio adscripsit.

DIE XXV. SEPTEMBRIS.

Elogium pro S. Pacifico a S. Severino.

Septempedae in Piceno depositio S. Pacifici a S. Severino Conf., Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum, eximia patientia, et solitudinis amore illustris, quem Gregorius Papa XVI. in Sanctorum Canone retulit.

Ita reperitur in Actis, et Regestis Secretariae Congregationis S. R. In fidem etc. Datum ex eadem Secretarie die 31. Augusti 1839.

CALENDARIUM FESTORUM

Neapoli 1846, Ex Typographia de Christopharo — Calen. Teanen.

Oratio omissa in libel.

Da, quaesumus omnipotens Deus, ut beati Castrensis Confessoris tui, atque Pontificis veneranda Adventus in Campaniae littora commemoratio, et devotionem nobis augeat, et salutem. Per Dom.

CALENDARIO PERPETUO

AVVERTIMENTO

Siccome da diversi libelli si son presi gli Uffici di questo; così si son raccolte dal Breviario, e da altri trattati di Calendario le cose più necessarie di questo compendio.

Questo breve, e completo compendio s' intitola Calendario perpetuo, perchè ne mostra il modo, come conoscere di qualsivoglia anno passato, presente, e futuro, la lettera Domenicale, il N.° Aureo, e l' Epatta; tutte le Feste, e Tempi mobili della Chiesa sulla nuova tavola Pasquale riformata; ed anche le lunazioni, e ciascun giorno del mese sulle tavole de' mesi premesse nel Breviario.

MODO FACILE DI TROVARE IL N.° AUREO, L' EPATTA LA LETTERA DOMENICALE ETC.

N.° Aureo — Il N.° Aureo si ritrova con aggiungere I all' anno, di cui si vuol sapere: la somma si divide per 19, ed il residuo della divisione, senza tener conto del quoziente, sarà il N.° Aureo ricercato. Se poi la divisione, non darà alcun residuo, per esser esatta, allora lo stesso divisore 19 sarà il N.° Aureo.

Il corso del N.° Aureo è di 19 anni.

Epatta — Si ritrova l' Epatta, quando è nota quella dell' anno antecedente, aggiungendo a quella il num. 11, e la somma sarà l'epatta sino a 30 inclusive: se la somma sorpassa il num. 30, allora il residuo di 30 sarà l' Epatta.

Quando poi non si sa l' Epatta dell' anno antecedente, allora essa si ricava dal N.° Aureo di quell' anno moltiplicandolo per 11, e dividendo il prodotto per 30, ed il residuo della divisione sarà l'Epatta ricercata. Dal 1600 poi sino al 1699 si sottrae 10, e dal 1700 sino al 1899 inclusive si sottrae 11, e così in seguito, (come della tabella della Equazione per l' Epatta, e lettera Domenicale, che si rapporta dopo la tavola delle Lettere Domenicali) e quello che resta, sarà l' Epatta. Se poi non vi sarà residuo, allora lo stesso divisore 30 sarà l' Epatta di quell' anno; e sarà anche lo stesso 30 l' Epatta, quando non può farsi la divisione per 30 del prodotto del N.° Aureo per 11, e non vi è re-

siduo fatta la sottrazione dell' 11, come nel 1843, in cui moltiplicato il N.° Aureo 11 per 1 non dava residuo dopo la sottrazione dell' 11, nè poteva farsi la divisione per 30. Quando poi si dà il caso di non potersi fare la sottrazione, si aggiunge il num. 30, ed il residuo della sottrazione sarà l' Epatta.

Si averta, che quando il num. dell' Epatta è 25, allora si deve esaminare il N.° Aureo corrispondente; dappoichè se il N.° Aureo è minore di 12, si prende il XXV, ossia quello di color rosso colla corrispondente lettera rossa: se il N.° Aureo sarà maggiore di 11, allora si prenda il 25, ossia quello di color nero. L' Epatte per lo più di color rosso si scrivono in carattere latino; ed in carattere arabo soltanto quelle di color nero colla corrispondente lettera nera.

Il corso dell' Epatte è di 19 anni.

Lettera Domenicale — La lettera Domenicale si ritrova dividendo per 4 il N.° di quell' anno, di cui si vuol sapere, ed il quoziente si aggiunge allo stesso anno, formandone una somma. Da tale somma si toglie il 5 principiando dal 1699; e dall'anno 1700 al 1799 si toglie il 6, e così in seguito, come nella tabella dell' Equazioni. Il residuo poi si divide per 7, ed il residuo di tale divisione sarà il N.° corrispondente alla lettera Domenicale, come nella sottoposta tabella dell' ordine delle Lettere Domenicali: se poi nella divisione non vi sarà residuo, allora lo stesso divisore 7 si considera per residuo, ed indicherà la lettera A.

Se si volesse poi ritrovare la lettera Domenicale prima del 1582, invece di fare la sottrazione di sopra esposta, si deve aggiungere 5 alla somma del quoziente, e dell' anno.

Il corso della Lettera Domenicale è di 28 anni.

TAVOLA DELLE LETTERE DOMENICALI CON I CORRISPONDENTI NUMERI

G	F	E	D	C	B	A
1	2	3	4	5	6	7

TAVOLA DELLA EQUAZIONE IN OGNI SECOLO PER RITROVARE L'EPATTA, E LA LETTERA DOMENICALE IN OGNI ANNO.

	Sottrazione delle Epatte	Sottrazione delle Lettere Domenicali	
1600	10	5	Bisestile
1700	11	6	
1800	11	7	
1900	12	8	
2000	12	8	Bisestile
2100	12	9	
2200	13	10	
2300	14	11	
2400	13	11	Bisestile
2500	14	12	
2600	15	13	
2700	15	14	
2800	15	14	Bisestile
2900	16	15	
3000	16	16	
3100	17	17	
3200	17	17	Bisestile
3300	17	18	
3400	18	19	

Della Lettera del Martirologio, che fa un corso di 19 anni; del Ciclo solare, che fa un corso di 28 anni; e dell' Indizione Romana, che fa un corso di 15 anni, se ne danno in appresso soltanto le tavole corrispondenti del loro periodo sempre uniforme, non essendovi altro da osservarsi.

MODO DI TROVARE TUTTE LE FESTE MOBILI NELLA TAVOLA PASQUALE RIFORMATA.

Per ritrovare tutte le Feste mobili nella tavola Pasquale Riformata bisogna sapere la Lettera Domenicale, e l' Epatta di quell' anno, che si possono ritrovare praticamente nelle seguenti tavole, o colle regole date di sopra. Trovata dunque la Lettera Domenicale, e l' Epatta; si trovi in primo luogo la lettera Domenicale nella propria casetta della tavola suddetta, a destra di cui stà l' Epatta, ed alla stessa linea dell' Epatta corrisponderanno tutte le Feste mobili, come, per esempio in quest'anno 1846 la lettera Domenicale è D, l' Epatta è 3: si ritrovi il N.° 3 nella casetta delle Epatte vicino alla casetta della lettera Domenicale D, ed a linea del N.° 3 corrispondono tutte le Feste mobili.

Si noti, che siccome nell' anno bisestile vi sono due lettere Domenicali, così quella a sinistra corre sino alla festività di S. Mattia, e quella a destra vale dal detto giorno sino a tutto l' anno, e serve a ritrovare, come sopra, le Feste mobili, essendo questa la lettera, che si ritrova per mezzo della regola esposta di sopra: ed in questo caso di bisestile a tutte le Feste mobili, che accadono in Genn. e Febb. si aggiunge un giorno dippiù a quello segnato nella tavola Pasquale.

Si noti inoltre, che l' anno bisestile viene in ogni 4 anni, ed in ogni 4 secoli, e che gli uni, e gli altri possano dividersi in 4 parti eguali, e questa sarà la regola per conoscere quando l' anno, o il secolo deve essere bisestile. Che se nel giro di 28 anni, che è il periodo delle lettere Domenicali, accade che nel principio di un secolo si trovino due lettere Domenicali, che segnerebbero essere bisestile quell' anno di quel secolo, e non potesse esser tale per causa della Equazione delle Lettere Domenicali, che accadono in ogni secolo, allora si prende la lettera a sinistra per quell' anno, e quella a destra passa per l' anno appresso, come accadde nel 1800, in cui pel periodo delle lettere Domenicali accadevano E D, ma perchè quel secolo non poteva essere bisestile per la suddetta equazione, restò la lettera E pel 1800, e la lettera D passò al 1801, venendo così alterato il solito giro delle lettere Domenicali per questo incontro, per riprendere dopo tale incidente il solito corso di 28 anni sino al 1900 esclusive, in cui accade simile cambiamento per l' incontro di due lettere Domenicali G F; e non potendo essere bisestile quel secolo, resta la G pel 1900, e la F passa al 1901, e così degli altri secoli non bisestili.

MODO DI CONOSCERE NELLE TAVOLE DE' MESI LE DOMENICHE, E LE LUNA IN OGNI MESE.

Per conoscere in ogni mese in quale giorno accade la Domenica, si osservi quale giorno è segnato colla lettera Domenicale di quell' anno, la quale perchè serve ed indicare le Domeniche, perciò porta il nome di lettera Domenicale: conosciuto in quale giorno accade la Domenica, si conoscono ancora gli altri giorni feriali.

Per conoscere poi i Noviluni, si ritrovi l' Epatta di quell' anno, e questa segnerà il giorno della luna nuova.

TAVOLE PERIODICHE

IN CUI, TERMINATO IL CORSO DI OGNUNA, S'INCOMINCIA DA CAPO IL RISPETTIVO PERIODO.

Periodo di 28 anni dal 1801 al 1899 inclusive

Anni		Ciclo Solare	Lettere Domenicali
1829	1857	18	d
30	58	19	c
31	59	20	b
32	1860	21	A g
33	61	22	f
34	62	23	e
35	63	24	d
36	64	25	c b
37	65	26	A
38	66	27	g
39	67	28	f
1840	68	1	e d
41	69	2	c
42	1870	3	b
43	71	4	A
44	72	5	g f
45	73	6	e
46	74	7	d
47	75	8	c
48	76	9	b A
49	77	10	g
1850	78	11	f
51	79	12	e
52	1880	13	d c
53	81	14	b
54	82	15	A
55	83	16	g
56	84	17	f e

Periodo di 19 anni dal 1700 al 1899 inclusive

Anni		N°. Aureo	Epatta	Lettere del Martirologio
1833	1852	10	9	i
34	53	11	20	A
35	54	12	1	a
36	55	13	12	m
37	56	14	23	D
38	57	15	4	d
39	58	16	15	q
1840	59	17	26	G
41	1860	18	7	g
42	61	19	18	t
43	62	1	30	p
44	63	2	11	l
45	64	3	22	C
46	65	4	3	c
47	66	5	14	P
48	67	6	25	F
49	68	7	6	f
1850	69	8	17	s
51	1870	9	28	M

Periodo perpetuo di anni 15 dal 1582

Anni		Indizione Romana
1837	1852	10
38	53	11
39	54	12
1840	55	13
41	56	14
42	57	15
43	58	1
44	59	2
45	1860	3
46	61	4
47	62	5
48	63	6
49	64	7
1850	65	8
51	1866	9

OFFICIA
PASSIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

Fer. III. post Dom. Septuages.

OFFICIUM
ORATIONIS D. N. J. C.
IN MONTE OLIVETI.
DUPLEX MAJUS.

Ad Vesp. Antiph. Venit Jesus, *cum reliquis de Laud. Psalm.* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi Psalm.* Laudate Dominum omnes gentes etc.

Capitulum Matth. 26.

Venit Jesus ad Discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.

Hymnus.

Aspice, ut Verbum Patris a supernis
Sedibus clemens, et amore flagrans
Perditis culpa genitis mederi,
Pergit Adami.

Flebilem Mundi miserans ruinam,
Et volens nostros reparare casus
Orat, et prona veniam precatur
Fronte Magister.

Fluctuat secum tot acerba volvens:
Hunc, ait supplex, Calicem doloris,
Mi Pater, transfer: tua sed voluntas,
Non mea fiat.

Cum premat tristis pavor ima cordis,
Deficit languens Dominus; per artus
Sanguinis sudor fluit, atque guttis
Terra madescit.

At celer summo veniens Olympo
Angelus Jesum recreat jacentem,
Corpori vires redeunt, novoque
Robore surgit.

Laus, honor Patri, Genitaeque Proli,
Cui datum Nomen super omne nomen,
Et Paraclefo decus, atque virtus
Omne per aevum. Amen.

℣. Tristis est anima mea.
℟. Usque ad mortem.

Ad Magnificat.

Antiph. Positis genibus orabat dicens: Pater, si vis, transfer Calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui in horto verbo, et exemplo nos orare docuisti ad tentationum pericula superanda: concede propitius, ut nos orationi semper intenti, ejus copiosum fructum consequi mereamur. Qui vivis, et regnas. etc.

Ad Matut. Invitat. Christum Jesum in Monte Oliveti orantem. * Venite adoremus.

Psalm. Venite, exultemus

Hymnus, ut supra in Vesp.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.

Psalm. 16.

Exaudi Domine justitiam meam: * intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam, * non in labiis dolosis.

De vultu tuo judicium meum prodeat: * oculi tui videant aequitates.

Probasti cor meum, et visitasti nocte: * igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

Ut non loquatur os meum opera hominum: * propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

Perfice gressus meos in semitis tuis: * ut non moveantur vestigia mea.

Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus: * inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

Mirifica misericordias tuas, * qui salvos facis sperantes in te.

A resistentibus dexterae tuae custodi me, * ut pupillam oculi.

Sub umbra alarum tuarum protege me * a facie impiorum, qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt: * os eorum locutum est superbiam.

Projicientes me nunc circumdederunt me: * oculos suos statuerunt declinare in terram.

Susceperunt me sicut leo paratus ad praedam: * et sicut catulus leonis habitans in abditis.

Exurge Domine, praeveni eum, et supplanta eum: * eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuae.

Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum: * de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Saturati sunt filiis: * et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo: * satiabor cum apparuerit gloria tua.

Antiph. Ante orationem praepara animam tuam: et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.

Antiph. Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari.

Psalmus 27.

Ad te Domine clamabo, Deus meus, ne sileas a me: * ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.

Exaudi Domine vocem deprecationis meae dum oro ad te: * dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatoribus: * et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo, * mala autem, in cordibus eorum.

Da illis secundum opera eorum, * et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

Secundum opera manuum eorum tribue illis: * redde retributionem eorum ipsis.

Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum ejus * destrues illos, et non aedificabis eos.

Benedictus Dominus: * quoniam exaudivit vocem deprecationis meae. Dominus adjutor meus, et pro-

tector meus: * in ipso, speravit cor meum, et adjutus sum.

Et refloruit caro mea: * et ex voluntate mea confitebor ei.

Dominus fortitudo plebis suae:* et protector salvationum Christi sui est.

Salvum fac populum tuum Domine, et benedic haereditati tuae:* et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.

Antiph. Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari.

Antiph. Omnia quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis.

Psalm. 141.

Voce mea ad Dominum clamavi:* voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam: * et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum, * et tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam, * absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam: * et non erat, qui cognosceret me.

Periit fuga a me; * et non est, qui requirat animam meam.

Clamavi ad te Domine; * dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam:* quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me:* quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: * me expectant justi, donec retribuas mihi.

Ant. Omnia quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis.

℣. Tristis est anima mea.

℟. Usque ad mortem.

Lectio I.

De Libro Tobiae. *Cap. 12.*

Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam, et vitam aeternam. Qui autem faciunt peccatum, et iniquitatem, hostes sunt animae suae. Manifesto ergo vobis veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem. Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.

℟. In omnibus gratias agite: * Sine intermissione orate.

℣. Haec est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis. Sine intermissione orate.

Lectio II.

De Epistola B. Jacobi Apost. *Cap. 5.*

Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua. Elias homo erat similis nobis passibilis, et oratione oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum oravit, et coelum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum. Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit pec-

catorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.

℟. Cum stabitis ad orandum * Dimittite, si quid habetis adversus aliquem.

℣. Ut et Pater vester, qui in Coelis est, dimittat vobis peccata vestra. Dimittite.

Lectio III.

De Epist. B. Pauli Ap. ad Hebr.

Cap. 5.

Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui loquutus est ad eum: Filius meus es tu: ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suae preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam: et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae, appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech.

℟. Exaudivit Dominus deprecationem meam: * Dominus orationem meam suscepit.

℣. Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine. Dominus orationem. Gloria Patri. Dominus orationem.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in Synagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.

Psalm. 42.

Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: * ab homine iniquo, et doloso erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea: * quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam, et veritatem tuam: * ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tarbernacula tua.

Et introibo ad altare Dei: * ad Deum qui laetificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus: * quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Antiph. Cum oratis, non eritis sicut hypocritae qui amant in Synagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.

Antiph. Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum; et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.

Psalm. 63.

Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor: * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium: * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt: * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt, ut absconderent laqueos: * dixerunt: quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum: * et exaltabitur Deus.

Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum: * et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.

Conturbati snnt omnes qui videbant eos: * et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei: * et facta ejus intellexerunt.

Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo: * et laudabuntur omnes recti corde.

Antiph. Tu autem, cnm oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.

Antiph. Factum est autem in illis diebus, exiit Jesus in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.

Psalm. 120.

Levavi oculos meos in montes, * unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino, * qui fecit coelum, et terram.

Non det in commotionem pedem tnum: * neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, * qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua, * super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te: * neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: * custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum; * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Antiph. Factum est autem in illis diebus, exiit Jesus in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.

℣. Pater mi, si possibile est,

℟. Transeat a me Calix iste.

Lectio IV.

Ex Tractatu S. Cypriani Episc. et Mart.

De Oratione Dominica.

Nec verbis tantum, sed et factis Dominus orare nos docuit, ipse orans frequenter, et deprecans, quid facere nos oporteret, exempli sui contestatione demonstrans, sicut scriptum est: Ipse autem fuit secedens in solitudinem, et adorans. Et iterum: Exivit in montem orare, et fuit pernoctans in oratione Dei. Quod si ille orabat, qui sine peccato erat; quanto magis peccatores oportet orare? Et si ille per totam noctem jugiter vigilans continuis precibus orabat, quanto nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare? Orabat autem Dominus, et rogabat non pro se: (quid enim pro se innocens precaretur?) Sed pro delictis nostris, sicut et ipse declarat, cum dicit ad Petrum: Ecce Sathanas expetivit, ut vos vexaret quomodo triticum: ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Et postmodum pro omnibus Patrem deprecatur dicens: Non pro his autem rogo solis, sed et pro illis, qui credituri sunt per verbum ipsorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.

℟. Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: * Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.

℣. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Ego autem.

Lectio V.

Ex Commentariis S. Anselmi Episcopi.

In Epist. ad Hebraeos. Cap. 5.

Sicut verus Pontifex obtulit preces: nam in Evangelio saepe legitur orasse, et maxime apud Lucam, qui Sacerdotis in eo descripsit personam. Sed et quidquid ipse egit in carne, preces, et supplicationes fuerunt pro hominibus. Tota vita sua Patrem oravit de resurrectione carnis suae, ac de nostra salute, et instante jam Passione obtulit supplicationes, idest humillimas, et instantissimas orationes, cum summa devotione cordis, et affectione, quando factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Et has preces, supplicationesque obtulit, idest obviam tulit Patri per exauditionem sibi obvianti. Obtulit eas ad eum, qui posset illum a morte salvum facere, idest resuscitare; ad eum, quem scivit esse sufficientem, ut salvaret eum, idest immortalem, et impassibilem faceret eripiendo a morte, ut nec anima remaneret in inferno, nec caro putresceret in sepulchro.

℟. Oratio humiliantis se nubes penetrabit: *Et donec propinquet, non consolabitur.

℣. Et non discedet, donec Altissimus aspiciat. Et donec.

Lectio VI.

Et obtulit has cum clamore valido, idest cum intentione piae devotionis vehementissima, et efficacissima, ut quando prolixius orabat, et etiam cum lacrymis; quia in illa prolixa Oratione credendus est lacrymas effudisse, cum et guttae sanguinis pro sudore decurrerent ab ejus Corpore, et exauditus est, quia, quod quaesierat, accepit in resurrectione. Exauditus est; idest, extra numerum aliorum omnium auditus est, quoniam super omnem creaturam post laboris sui militiam a Patre sublimatus est; et hoc pro sui reverentia, idest, secundum hoc, quod ipse, sicut Dei Filius, dignus est reverentia, et veneratione. Vel pro sua reverentia in Deum, idest propter quod ipse super omnia Patrem reveritus est, et honoravit. Sive pro sua reverentia, idest, sicut sua religio meruit. Sanguinis quoque ejus effusio potest intelligi clamor validus, in quo exauditus est pro reverentia ejusdem Passionis. Reverentia est, quod sine peccato passus est pro sola charitate.

℟. Fiant aures tuae auscultantes, et oculi tui aperti, * Ut audias orationem servi tui.

℣. Quam ego oro coram te hodie nocte, ac die. Ut audias. Gloria Patri. Ut audias.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Tribulatio, et angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est.

Psalm. 3.

Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es: * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum: * et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge Domine; salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua.

Antiph. Tribulatio, et angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est.

Antiph. Sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni.

Psalm. 12.

Usquequo Domine oblivisceris me in finem? * Usquequo avertis faciem tuam a me?

Quamdiu ponam consilia in anima mea, * dolorem in corde meo per diem.

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? * respice, et exaudi me, Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte: * nequando dicat inimicus meus: Praevalui adversus eum.

Qui tribulant me, exultabuut si motus fuero: * ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: * et psallam nomini Domini altissimi.

Antiph. Sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni.

Antiph. Adhaesit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.

Psalm. 87.

Domine Deus salutis meae, * in die clamavi, et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: * et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori * in tenebrosis, et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar: * oculi mei languerunt prae inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die: * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia? * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, * et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: * et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Domine, clamavi: * et mane oratio mea praeveniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam: * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: * exaltatus antem, umiliatus sum, et conturbatus.

In me transierunt irae tuae: *

et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die: * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum, et proximum: * et notos meos a miseria.

Antiph. Adhaesit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.

℣. Vigilate, et orate.

℟. Ut non intretis in tentationem.

Lectio VII.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Cap. 22.

In illo tempore: Egressus Jesus ibat secundum consuetudinem in Montem Olivarum. Sequuti sunt autem illum, et Discipuli. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episc.

Libr. 10. Comment. in Luc.

Cap. 22.

Transfer a me Calicem hunc: quasi homo mortem recusans, quasi Deus sententiam suam servans. Oportet enim mori nos saeculo, ut corpore, juxta divinam sententiam, in terrae limum naturae fine resoluto, spiritu resurgamus Deo. Quod autem ait, non mea voluntas, sed tua fiat: suam ad hominem retulit, Patris ad Divinitatem. Voluntas enim hominis temporalis, voluntas Divinitatis aeterna. Non alia voluntas Patris; alia Filii. Una enim voluntas, ubi una Divinitas. Disce tamen Deo esse subjectus, ut non, quod ipse vis, eligas, sed quod Deo scias esse placiturum.

℟. Veni in altitudinem maris, * Et tempestas demersit me.

℣. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam. Et tempestas.

Lectio VIII.

Deinde verborum ipsorum proprietatem consideremus. Tristis est, inquit, anima mea. Et alibi: Nunc anima mea turbata est valde. Non ergo suscipiens, sed suscepta turbatur. Anima enim obnoxia passionibus, Divinitas libera. Etenim spiritus promptus, caro autem infirma. Tristis autem est non ipse, sed anima. Non est tristis sapientia, non divina substantia, sed anima. Suscepit enim animam meam, suscepit corpus meum. Non me fefellit, ut aliud esset, et aliud videretur. Tristis videbatur, et tristis erat, non pro sua passione, sed pro nostra dispersione.

℟. Intret in cospectu tuo oratio mea * Inclina aurem tuam ad precem meam.

℣. Quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit. Inclina aurem. Gloria Patri. Inclina.

Lectio IX.

Denique ait: percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Tristis erat, quia nos parvulos relinquebat. Ceterum quam constanter se morti obtulerit connexa declarant: quandoquidem quaerentibus occurrit, turbatos confirmavit, trepidos provocavit. Proditorem osculi dignatione suscepit. Nec illud distat a vero si tristis erat pro persequutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii poenas daturos. Et ideo dixit: transfer hunc calicem a me. Non quia Dei Filius mortem timebat, sed quia nec malos perire volebat. Te Deum.

Ad Laudes, et per Horas.

Antiph. Venit Jesus cum Discipulis suis in Villam, quae dicitur Gethsemani, et dixit illis: Se-

dete hic, donec vadam illuc, et orem

Psalm. Dominus regnavit, *etc. cum reliquis de Dominica.*

Antiph. Et assumpto Petro, et duobus filiis Zebedaei, caepit contristari, et moestus esse.

Antiph. Tunc ait illis; tristis est anima mea usque ad mortem, sustinete hic, et vigilate mecum.

Antiph. Et progressus pusillum procidit in faciem suam orans: et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me Calix iste.

Antiph. Pater mi, si non potest hic Calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

Capitulum. Matth. c. 26.

Venit Jesus ad Discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.

Hymnus.

Venit e Coelo Mediator alto,
Quem sacri dudum cecinere Vates.
Parce moerori, lacrymisque amaris
Filia Sion.

Attulit mortem vetus hortus, unde
Culpa prodivit: novus iste vitam
Hortus en affert; ubi nocte Jesus
Permanet orans.

Vindicem placat Genitoris iram,
Reprimit forti jacienda dextra
Fulmina: occurrit sceleri expiando
Sponte Redemptor.

Sic teret duros laqueos Averni;
Et diu clausam reserabit Aulam:
Nos ad aeterna revocans beata
Gaudia Regni.

Laus, honor Patri, Genitaeque Proli,
Cui datum Nomen super omne nomen,
Et Paracleto decus, atque virtus
Omne per aevum Amen.

℣. Doce nos orare.

℟. Sic ergo vos orabitis.

Ad Benedictus.

Antiph. Factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.

Oratio. Domine Jesu Christe etc.

Ad Primam.

Antiph. Venit Jesus.

Ad Lection. brev. Capitulum Nonae.

Ad Tertiam.

Antiph. Et assumpto Petro.

Capitulum. Venit Jesus, *ut ad Laudes.*

℟. *Brev.* Tristis est * anima mea. Tristis.

℣. Usque ad mortem. Anima. Gloria Patri. Tristis est.

℣. Pater mi, si possibile est.

℟. Transeat a me calix iste.

Ad Sextam.

Antiph. Tunc ait illis.

Cap. Luc. 21.

Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt; et stare ante Filium hominis.

℟. *brev.* Pater mi, * Si possibile est. Pater.

℣. Transeat a me calix iste. Si possibile. Gloria Patri. Pater mi.

℣. Vigilate, et orate.

℟. Ut non intretis in tentationem.

Ad Nonam.

Antiph. Pater mi.

Cap. Matt. 5.

Orate pro persequentibus, et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in Coelis est.

℟. *Brev.* Vigilate, * et orate. Vigilate.

℣. Ut non intretis in tentationem. Et orate. Gloria Patri. Vigilate.

℣. Factus est sudor ejus.

℟. Sicut guttae sanguinis.

In 2. Vesperis omnia ut in primis; et loc. ult. Psalm. Credidi propter quod etc.

℣. Factus est sudor ejus.

℟. Sicut guttae sanguinis.

Ad Magnificat.

Antiph. Ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

Oratio, ut supra.

FERIA TERTIA

Post Dominicam Sexagesimae

IN SOLLEMNI COMMEMORATIONE

DOMINICÆ PASSIONIS

Duplex 1. Classis cum Octava.

AD VESPERAS

Antiphona.

Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Psal. Credidi, *cum reliquis ut in vesp. fer. V. in Coena Domini.*

Ant. Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: * cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Ant. Ab hominibus iniquis libera me Domine.

Ant. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.

Ant. Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat, qui cognosceret me.

Capitulum Philip. 2.

Fratres: hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus, ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

Hymnus.

Mœrentes oculi spargite lacrymas,
Et luctu resonent intima cordium,
Illatas refero Numini ab impiis
Poenas, et fera vulnera.

Accincta heu! gladiis turba satellitum
Arreptum Dominum fustibus impetit,
Nunc caedit colaphis, nunc quatit horridis
Divinum Caput ictibus.

Haud finis sceleri: traditur improbo
Christus Carnifici; nec mora, barbarus
In Regem superum non timet, impio
Ausu, vertere dexteram.

Audite, o Populi; Numen amabile,
Manante ex humeris, undique sanguine,
Lictoris rabidi sustinet impetum,
Et vocem premit innocens.

Quis non illacrymet! Jam nova condidit
Tormenta indomitae gentis iniquitas,
Infigit cerebro, proh dolor! efferis
Sertum vepribus asperum.

Heu crimen! trahitur funibus improbis,
Funesti Dominus supplicii ad locum,
Illic oppetiit funere spiritum
Patri restituens suo.

Passo pro miseris tam fera vulnera
In terris resonet debita gloria;
Sacrumque assidue Nomen in æthera
Humanum genus efferat. Amen.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit.

℟. Et livore ejus sanati sumus.

Ad Magnificat.

Antiphona. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor, sicut dolor meus.

Oratio.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere, et crucem subire fecisti: concede propitius, ut, sicut solemnem commemorationem passionis ejus celebramus, ita, et patientiae ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur. Per eumdem etc.

Ad Complet., et per Horas diei, ac etiam per totam Octav. in fine Hymnorum dicitur.

Patri sit, ac Paraclyto,
Natoque Patris gloria,
Nostrae dedit, qui prodigus
Pretium salutis sanguinem. Amen.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Regem Crucifixum * Venite adoremus.
Psal. Venite exultemus etc.

Hymnus.

Aspice infami, Deus ipse ligno
Pendet, effuso madidus cruore;
Aspice immitti manus alma clavo
Finditur alte.

Hunc, velut pravi sceleris ministrum
Inter indignos medium latrones,
Cerne: crudelis fuit ista gentis
Dira voluntas.

Pallet heu! vultus, caput ecce lassum
Flectitur, clausis oculis, Redemptor
Spiritum, sacro meritis onustum,
Fundit ab ore,

O cor, æs durum superas, gemendo,
Ni scelus tergas, tua culpa Christum
Stipiti affixit: tua culpa morti
Subdidit atrae.

Sit Deo aeternum decus omne in aevum,
Qui pius nostri generis Redemptor,
Criminis labem miseris nocentem
Sanguine, tersit. Amen.

In I. Nocturno

Antiph. Astiterunt Reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Psal. 2.

Quare fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum, * et projciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in caelis, irridebit eos, * et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praeceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam * et possessionem tuam terminos terrae.

Reges eos in virga ferrea * et tanquam vas figuli confriges eos.

Et nunc reges intelligite; * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes, qui confidunt in eo.

Antiph. Astiterunt Reges terrae, et Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Antiph. Multiplicati sunt qui tribulant me, multi insurgunt adversum me.

D *Psalm. 3.*
Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum * et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus, * et super populum tuum benedictio tua.

Antiph. Multiplicati sunt, qui tribulant me, multi insurgunt adversum me.

Antiph. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

D *Psalm. 21.*
Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, et non exaudies: * et nocte; et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * laus Israel.

In te speraverunt Patres nostri: * speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt! * in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo: * opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me: * locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino: eripiat eum: * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: * spes mea ab uberibus matris meae, in te projectus sum ex utero.

De ventre matris meae Deus meus es tu: * ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est, * quoniam non est, qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum, * sicut leo rapiens, et rugiens

Sicut aqua effusus sum: * et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens * in medio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis: * in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas, et pedes meos: * dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: * ad defensionem meam conspice.

Erue a framea Deus, animam meam: * et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis: * et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis : * in medio Ecclesiae laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum : universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel:* quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam a me: * et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in Ecclesia magna: * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum, * vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum * universi fines terrae.

Et adorabunt in conspectu ejus, * universae familiae gentium.

Quoniam Domini est regnum * et ipse dominabitur gentium.

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terrae, * in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura, * et annuntiabunt caeli justitiam ejus, populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.

Antiph. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit.
℟. Et livore ejus sanati sumus.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Romanos.

Lect. I. Cap. 5. cc. 6.

Commendat charitatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatore essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est ; multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus ; multo magis reconciliati salvi erimus, in vita ipsius. Non solum autem, sed et gloriamur, in Deo, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus: Si enim, unius delicto, mors regnavit per unum : multo magis abundantiam gratiae, et donationis, et justitiae accipientes, in vita regnabunt per Jesum Christum.

℟. Vinea mea electa, ego te plantavi, dicit Dominus, et tu facta es mihi nimis amara; Quia parasti Crucem Salvatori tuo.

℣. Popule meus; quid feci tibi, aut in quo contristavi te responde mihi. Quia parasti etc.

Lectio II.

Igitur, sicut, per unius delictum, in omnes homines, in condemnationem, sic et per unius justitiam, in omnes homines in justificationem vitae : sicut enim, per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi ; ita, et per unius obeditionem, justi constituentur multi. Lex autem subintravit, ut abundaret delictum ; ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam, in vitam aeternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.

℟. Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharaone in mare rubrum et ante te praeivi in columna nubis; * Et tu me tradidisti Principibus Sacerdotum, et me duxisti ad Praetorium Pilati.

℣. Popule meus, quid feci tibi; aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu me tradidisti etc.

Lectio III.

Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit; qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo, per baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris; ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus; simul et resurrectionis erimus. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo.

℟. Ego propter te flagellavi Ægyptum, cum primogenitis suis; * Et tu me flagellatum tradidisti, * Qui, tanquam Agnus, coram tondente se obmutui, et non aperui os meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu me. Gloria Patri etc. Qui, tanquam Agnus etc.

In II. Nocturno.

Antiph. Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, et peribit nomen ejus?

Psalmus 40.

Beatus, qui intelligit super egenum, et pauperem, * in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, * et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus * universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Ego dixi Domine miserere mei, * sana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi; * quando morietur, et peribit nomen ejus?

Et si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur, * cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras, * et loquebatur in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei, * adversum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt adversum me; * numquid qui dormit non adjiciet, ut resurgat?

Etenim homo pacis meae, in quo speravi, * qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Tu autem Domine miserere mei; et resuscita me, * et retribuam eis.

In hoc cognovi, quoniam voluisti me, * quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti, * et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum.

Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo, et usque in saeculum, * fiat, fiat.

Antiph. Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, et peribit nomen ejus?

Antiph. Alieni insurrexerunt in me, et fortes quaesierunt animam meam.

Psalm. 53.

Deus in nomine tuo salvum me fac, * et in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam; * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam; * et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me; * Dominus susceptor est animae meae.

Averte mala inimicis meis, * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi: * et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me; * et super inimicos meos despexit oculus meus.

Ant. Alieni insurrexerunt in me, et fortes quaesierunt animam meam.

Ant. Conculcaverunt me inimici mei tota die, adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Psal. 55.

Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo; * tota die impugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei tota die, * quoniam multi bellantes adversum me.

Ab altitudine diei timebo; * ego vero in te sperabo.

In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi, * non timebo quid faciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabantur, * adversum me omnes cogitationes eorum, in malum.

Inhabitabunt, et abscondent, * ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: * in ira populos confringes.

Deus, vitam meam annuntiavi tibi: * posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Sicut et in promissione tua: * tunc convertentur inimici mei retrorsum.

In quacunque die invocavero te: * ecce cognovi, quoniam Deus meus es.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: * in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua: * quae reddam, laudationes tibi.

Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu: * ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Antiph. Conculcaverunt me inimici mei tota die, adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

℣. Proprio Filio suo non pepercit Deus.

℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 41. Domin. in Palmis de Passione Domini.

Lectio IV.

Admonet nos, Fratres charissimi, ad solemnitatem Dominicae Passionis ipse, in quo eam, nec muta elementa tacuerunt. Celebret eam lux fidei, linguis hominum, quam conclamaverunt etiam silentia tenebrarum. Dominus noster in statere Crucis pretium nostrae salutis appendit, et una morte universum mundum, sicut omnium Conditor, ita omnium Reparator absolvit. Indubitanter enim credamus, quod totum mundum redemit, qui plus dedit, quam totus mundus valeret. Meritum enim redemptae mercedis dignitas

insignis pretii supergressa est. Inter redemptum, et redimentem dispensatio fuit, compensatio non fuit. Qui ergo non habebat peccata propria, digne delevit aliena. Solus hic pia victima pro omnibus cecidit, ut omnes levaret, et quia debitum solus non habuit, recte foenus misericordiae pro debitoribus erogavit.

℟. Ego propter te Chananaeorum Reges percussi, et dedi tibi sceptrum regale; * Et tu dedisti capiti meo spineam coronam, et percussisti arundine caput meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te; responde mihi. Et tu dedisti capiti meo.

Lectio V.

Perpende inter haec, qui talem pro nobis dedit pecuniam, qualem a nobis sit exacturus usuram. In hac itaque die fides propheticae annunciationis impleta est ita dicentis: Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus, faciem meam non averti a foeditate sputorum. Suscepit mala nostra, ut tribueret bona sua. Hinc intelligamus, quantum hominem diligere dignatus sit ante culpam; quem sic diligit, post ruinam. Agnosce, homo quantum valeas, et quantum debeas; et dum tantam redemptionis tuae perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem: Ecce, pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace, veritas necatur, damnatur justitia pro iniquo, misericordia affligitur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo.

℟. Ego duxi te per desertum, quadraginta annis, et manna cibavi te, * Et tu me caecidisti alapis, et flagellis.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu me etc.

Lectio VI.

Expavit scelus hominum natura rerum, et quem creatura rebellis non agnoscit, cum mundi Dominum tremens terra testatur, et coeli Regem Sol fugiens confitetur. Clamyde coccinea induitur, quia sanguine Martyrum suorum Ecclesiae corpus ornatur. Corona spinea capiti ejus imponitur, quia punctio peccatorum nostrorum, quorum remissione Redemptoris gloria struitur, aridis tribulis comparatur. Studeamus nunc e diverso, ut membrorum vita Capitis sit corona. Quod vero sitire se in Cruce positus dicit, fidem incredulae gentis concupiscit; sed contra acetum malitiae porrigunt, quia vinum sapientiae, quod a Deo acceperant, peccando corruperant. Velum templi scinditur, quia Sinagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur, Ecclesiae unitas præmonstratur. Monumenta aperiuntur, quia mortis jura superantur.

℟. Ego exaltavi te magna virtute: * Et tu me suspendisti in patibulo Crucis, * In qua expandi manus meas ad Populum non credentem, et contradicentem.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu me etc. Gloria Patri etc. In qua.

In III. Nocturno.

Antiph. Filii hominum dentes eorum arma, et sagittae, et lingua eorum gladius acutus.

Psalmus 56.

Miserere mei Deus, miserere mei: * quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo: * donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum: * Deum qui benefecit mihi.

Misit de Coelo, et liberavit me: * dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam: * et eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.

Filii hominum dentes eorum arma, et sagittae; * et lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super Coelos Deus; * et in omnem terram gloria tua.

Laqueum paraverunt pedibus meis: * et incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam: * et inciderunt in eam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: * cantabo, et psalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge psalterium, et cithara, * exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis Domine: * et psalmum dicam tibi in Gentibus.

Quoniam magnificata est usque ad Caelos misericordia tua: * et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super Coelos Deus; * et super omnem terram gloria tua.

Antiph. Filii hominum dentes eorum arma, et sagittae, et lingua eorum gladius acutus.

Antiph. Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Psalm. 63.

Exaudi Deus orationem meam cum deprecor; * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium, * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt, * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt, ut absconderent laqueos; * dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum, * et exaltabitur Deus.

Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum, * et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.

Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, * et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei, * et facta ejus intellexerunt.

Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo, * et laudabuntur omnes recti corde.

Antiph. Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Antiph. Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.

Psalm. 87.

Domine Deus salutis meae, * in die clamavi, et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: * et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descenden-

tibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: * et ipsi de manu sua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: * in tenebrosis, et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar: * oculi mei languerunt prae inopia.

Clamavi ad te Domine tota die: * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia: * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam: * et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: * et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te Domine clamavi * et mane oratio mea praeveniet te.

Ut quid Domine repellis orationem meam, * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: * exaltatus autem humiliatus sum, et conturbatus.

In me transierunt irae tuae, * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die; * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum, et proximum; * et notos meos a miseria.

Antiph. Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.

℣. Factus est obediens usque ad mortem.

℟. Mortem autem Crucis.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. *Cap. 19.*

In illo tempore sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrisostomi.

Hom. 84. in cap. 16. Joannis ante medium.

Sciens Jesus omnia consummata, ait, Sitio: Etiam hoc verbo prophetiam implens. Tu autem adstantium pravitatem intellige; nam licet innumeros habeamus inimicos, qui nos gravissime persecuti sint, cum tamen interimi eos videmus, flectimur misericordia. Hi vero nil moti, magis efferantur, et irrident, acetumque in spongia porrigunt, ut bibat, tamquam reus. Nam propter hoc byssopum additur, quo gustato, mortuus est. Vides quam non perturbate, et quam potenter omnia transigentem? Quod et prosequens ostendit, cum enim omnia consummata essent, inclinato capite, quod affixum non erat, tradidit spiritum, hoc est expiravit.

℟. Ego te potavi aqua salutis de petra: * Et tu me potasti felle, et aceto.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu etc.

Lectio VIII.

Atqui non post inclinatum Caput expiratur; sed post expirationem Caput inclinatur. Hic autem contra accidit, per quod ostendit eum Evangelista esse omnium Dominum. Judaei autem Camelum devorantes, et calicem excolan-

tes, tantum nefas ausi de die consultant: Quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in Cruce Corpora Sabbato, rogaverunt Pilatum, ut frangerent eorum Crura. Vides quanti sit veritas? Per ea, quae illi faciunt, prophetia implctur, alia enim ex hoc manifestata est: Venerunt ergo Milites, et aliorum fregerunt Crura, non Christi; sed ad Judaeorum gratiam conciliandam latus ejus lancea aperuerunt, et mortuo adhuc insultant. O pessimam voluntatem, ac scelestissimam!

℟. Ego ante te aperui mare, * Et tu aperuisti lancea latus Salvatori tuo. * Qui redemit Mundum in sanguine suo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, * aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu aperuisti etc. Gloria Patri etc. Qui redemit Mundum etc.

Lectio IX.

Noli tamen pertubari, dilectissime, quae enim, malo illi animo, patrarunt, veritati consentiebant. Prophetia hinc impleta est, iniquiens, videbunt in quem transfixerunt: Neque hoc tantum, sed non credituris fuit fidei argumentum, ut Thomae, et qui cum eo erant. Ad haec, et arcanum mysterium consummatum est, exivit enim Sanguis, et Aqua: non casu, et simpliciter hi fontes scaturierunt: Sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est. Sciunt hoc initiati, per aquam enim regenerati, Sanguine, et Carne nutriti, hinc mysteria ortum habent, ut quoties ad admirandum Calicem accedis, tamquam ab ipso latere hauriens accedas.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per Horas.

Antiph. Fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis. *Psal.* Dominus regnavit *cum reliquis de Dominica.*

Antiph. Veni ad Montem myrrae, et ad Collem thuris; Tamquam Agnus ad occisionem ductus, obmutui, et non aperui os meum.

Antiph. Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

Antiph. Consolantem me quaesivi, et non inveni: Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Antiph. Cum accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est, et inclinato capite, emisit Spiritum.

Capitulum. Ad Philip. 2.

Fratres: Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

Hymnus.

Saeve dolorum turbine
Jactatur, atris obtritus
Poenis, acerba sustinens
Redeptor affixus Cruci.
Pedes, manusque horribili
Clavi cruentant vulnere,
Cor, vultus, artus, pectora,
Sacro redundant sanguine.
Flet, orat, et clamans obiit;
Cor Matris ictum concidit:
Heu mater! Heu Fili! dolor
Ingrata frangat pectora.
Montes sepulchra, saxaque,
Scinduntur; arva, flumina,

Rupes, et aequor contremunt,
Templique velum scinditur,
Sol, luna, coelum, sydera
Plangunt, et orbis ingemit:
O vos viri, vos parvuli,
Nuptae, puellae, plangite.
Adstate moerentes Cruci,
Pedes beatos ungite,
Lavate fletu, tergite
Comis, et ore lambite.
Tu charitatis victima,
Ut nostra tollas crimina,
Nobis salubri perficis
Adoptionem Sanguine.
Nostra ergo pax, et gaudium
Sis vita, Jesu, et praemium:
Sis ductor, et lux in via,
Merces, Corona in Patria. Amen.

℣. Ipse vulneratus est, propter iniquitates nostras.

℟. Et attritus est propter scelera nostra.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus Crura; sed unus Militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit Sanguis, et Aqua.

Oratio ut supra ad vesp.

Ad Primam in ℟. brev. dicitur.

℣. Qui pro nobis pati dignatus es: *Et sic per totam Octavam, etiam in festis Ss.*

Ad Tert. Antiph. Veni ad montem Mirrhae.

Capitulum. Fratres hoc enim *ut supra.*

℟. *brev.* Oblatus est * Quia ipse voluit. Oblatus.

℣. Et livore ejus sanati sumus. Quia ipse voluit. Gloria Patri. Oblatus est.

℣. Proprio Filio suo non pepercit Deus.

℟. Sed pro nobis omnibus, tradidit illum.

Ad Sextam, Antiph. Foderunt manus meas.

Capitulum. Zach. 13. 6.

Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet, his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

℟. *brev.* Proprio Filio suo * Non pepercit Deus. Proprio. ℣. Sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non pepercit Deus. Gloria Patri. Proprio Filio.

℣. Factus est obediens usque ad mortem.

℟. Mortem autem Crucis.

Ad Nonam, Antiphona. Cum accepisset Jesus.

Capitulum. Isaiae 53. 1.

Generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussi eum.

℟. *brev.* Factus est obediens * Usque ad mortem. Factus est. ℣. Mortem autem Crucis. Usque ad mortem. Gloria Patri. Factus est.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Et attritus est propter scelera nostra.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis praeter sequentia.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Et attritus est propter scelera nostra.

Ad Magnificat, Antiph. Deponens Joseph Corpus Jesu involvit Sindone, et posuit eum in monumento exciso: fuit planctus magnus in illa die: mulieres autem sedentes contra sepulchrum dolebant, sicut doleri solet in morte Primogeniti.

FERIA QUARTA.

Post Dominicam Sexag.

Secunda die infra Octavam Dominicæ Passionis.

Ad Benedictus Antiphona.

Pater mi, si non potest hic Calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

Ad Magnificat Antiphona.

Traditor autem dedit eis signum dicens: Quem osculatus fuero, ipse est; tenete eum, et ducite caute.

FERIA QUINTA

Post Dominicam Sexag.

Tertia die infra Octavam.

Ad Benedictus Antiphona.

Ministri Judaeorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Unus assistens Ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes Pontifici?

FERIA SEXTA

Post Dominicam Sexag.

Quarta die infra Octavam.

Ad Benedictus.

Antiph. Veniebant milites ad Jesum, et dicebant: Ave Rex Judaeorum, et dabant ei alapas.

Ad Magnificat, Antiphona.

Exivit Jesus portans Coronam spineam, et purpureum vestimentum, quem cum vidissent Pontifices, et Ministri eorum, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.

SABBATO

Post Dominicam Sexagesimae.

Quinta die infra Octavam.

Ad Benedictus Antiphona.

Bajulans Jesus sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum, ubi crucifixerunt eum, et cum eo latrones duos, unum a dextris, et alterum a sinistris.

Ad Magnificat Antiphona.

Ait latro ad latronem: Nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid fecit? Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Sexta die infra Octavam.

Officium fit de Dominica cum comm. Dom. Pass.

Ad Benedictus.

Ant. Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.

Ad Magnificat.

Ant. Cum vidisset Jesus Matrem, et Discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suae: Mulier, ecce filius tuus: Deinde dicit Discipulo: Ecce Mater tua.

FERIA SECUNDA.

Post Dominicam Quinquagesimae.

Septima Die infra Octavam.

Ad Benedictus, Antiphona.

Clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, et haec dicens expiravit.

IN I. VESPERIS OCTAVÆ.

Omnia ut in primis Vesperis Festi.

O R A T I O.

Effunde super nos, quaesumus Omnipotens Deus, spiritum gratiae, et precum, ut Unigeniti Filii tui Passionem pio devotionis affectu jugiter recolere, et in Populi tui corde, monitis, et exemplo imprimere valeamus. Per eumdem Dominum.

FERIA TERTIA.

Post Dominicam Quinquagesimae.

In Octava Dominicae Passionis.

Duplex.

Omnia, ut in die Festi.

In I. Nocturno.

Incipit Epistola prima beati Petri Apostoli.

Lectio I. *Cap. 1.*

Petrus Apostolus Jesu Christi

electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae, et Bythiniae secundum praescientiam Dei Patris in sanctificationem spiritus, in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi. Gratia vobis, et pax multiplicetur, scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso Sanguine, quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati: praecogniti quidem ante Mundi constitutionem; manifestati antem novissimis temporibus propter vos, qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra, et spes esset in Deo.

Lectio II. *Cap. 2.*

In hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste; qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae vivamus, cujus livore sanati estis. Eratis enim, sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem, et Episcopum animarum vestrarum.

Lectio III. *Cap. 3.*

Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit. Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur Arca, in qua pauci, idest octo animae salvae factae sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formae salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi, qui est in dextera Dei, degluticns mortem, ut vitae aeternae haeredes efficeremur.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Leonis Papae.

Serm. 8. de Pass. Domini post med.

Lectio IV.

Exaltato, Dilectissimi, per crucem, Christo, non illa tantum species aspectui mentis occurrat, quæ fuit in oculis impiorum; quibus per Moysen dictum est: Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, et timebis die ac nocte, et non credes vitae tuae. Isti enim nihil in crucifixo Domino, praeter facinus suum cogitare potuerunt, habentes timorem, non quo fides vera justificatur, sed quo conscientia iniqua torquetur. Noster vero intellectus, quem spiritus veritatis illuminat, gloriam Crucis Coelo, terraque radiantem, puro, ac libero corde suscipiat, et interiore acie, videat, quale sit, quod Dominus, cum de Passionis suae loqueretur instantia, dixit: Nunc judicium mundi est; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras; et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.

Lectio V.

O admirabilis potentia Crucis! O ineffabilis gloria Passionis, in qua et tribunal Domini, et judicium Mundi, et potestas est Crucifixi! Traxisti enim, Domine, omnia ad te, et cum expandisses

tota die manus tuas ad Populum non credentem, et contradicentem tibi, confitendae majestatis tuae sensum totus mundus accepit. Traxisti, Domine, omnia ad te, cum in execrationem judaici sceleris, unam protulerunt omnia elementa sententiam; Cum, obscuratis luminaribus Coeli, et converso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, universaque creatura impiorum usui se negaret. Traxisti, Domine, omnia ad te, quoniam, scisso Templi velo, Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem, et lex in Evangelium verteretur.

Lectio VI.

Traxisti, Domine, omnia ad te, ut quod in uno Judaeae templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno, apertoque Sacramento, universarum ubique nationum devotio celebraret. Nunc etenim, et ordo clarior Levitarum, et dignitas amplior seniorum, et sacratior est unctio Sacerdotum, quia Crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum; per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam carnalium Sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, una corporis, et sanguinis tui implet oblatio: quoniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; et ita in te universa perficis mysteria, ut sicut unum est pro omni victima Sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 19. f.

In illo tempore: Sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia Ven. Bedae Presbyteri. *Lib. 6. in Evang. Luc. cap. 23. in Medio.*

Patrem invocando Filium Dei se esse Christus declarat. Spiritum vero commendando non defectum suae virtutis, sed confidentiam ejusdem cum Patre potestatis insinuat. Amat enim dare gloriam Patri, ut nos edificet dare gloriam Creatori. Commendat itaque Patri spiritum juxta hoc quod delectato corde, et exultantibus spe resurgendi labiis in alio psalmo loquitur: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Lectio VIII.

Quia ergo sexta die homo factus, et tota mundi est creatura perfecta, septima autem Conditor ab opere suo requievit: unde et hanc Sabbatum, idest requiem vocari praecipit, recte Dominus eadem die sexta crucifixus, humanae reparationis implevit arcanum. Unde cum accepisset acetum, dixit: Consummatum est; idest sexti dei, quod pro mundi refectione suscepi, totum est opus perfectum. Sabbato autem in sepulchro requiescens, surrectionis, quae octava die ventura erat, expectabat eventum.

Lectio IX.

Ubi nostrae simul devotionis praelucet exemplum, quos in hac quidem sexta mundi aetate pro Do-

mino pati, et velut mundo crucifigi necesse est. In septima vero aetate, idest, cum lethi quis debitum solvit, corpora quidem in tumulis, animas autem secreta in pace cum Domino manere, et post bona oportet opere quiescere, donec octava tandem veniente aetate, etiam corpora ipsa resurrectione glorificata cum animabus simul incorruptionem aeternae haereditatis accipiant.

FERIA SEXTA

Post Cineres.

SACRAT. CORONÆ SPINARUM D. N. JESU CHRISTI.

Duplex Majus.

Si haec Feria Sexta post Cineres fuerit impedita a Festo novem Lectionum Dupl. primae, vel secundae Classis tant. occurrente, tunc Fest. Sacratissimae Coronae Spinar. transfertur in aliam primam diem non impeditam, et praefertur cuicumque alio Festo translato, qui non sit majoris Ritus. Si vero fuerit impedita a Festo Dupl. maj., vel min., aut Semiduplici occurrente, tunc fit Officium de Festo Coronae Spinar., cum translatione Festi occurr. Idem dicendum de Festis Sacrorum Clavor. et Lanceae; Sacror. quinq. Vulner., Pretiosissimi Sanguinis; et Sacratissimae Sindonis. Haec Rubrica imposterum servanda erit pro dictis Festis D. N. Jesu Christi.

AD VESPERAS

Antiphona.

Milites Praesidis; *cum reliquis de Laudibus, ut infra. Psalm.* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica; et loco ultimi Psal. 116.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. Cantic. 3.

Egredimini, et videte, Filiae Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis ejus.

Hymnus.

Vexilla Regis prodeunt;
Fulget Crucis mysterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda, et sanguine.

Impleta sunt quae concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.

Arbor decora et fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.

Beata, cujus brachiis
Pretium pependit saeculi,
Statera facta corporis,
Tulitque praedam tartari.

O Crux ave spes unica,
Hoc passionis tempore
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.

Te fons salutis Trinitas
Collaudet omnis spiritus,
Quibus Crucis Victoriam
Largiris, adde praemium. Amen.

℣. Tuam Coronam Spineam adoramus Domine.

℟. Tuam gloriosam recolimus Passionem.

Ad Magnificat, Antiphona.

Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et Milites plectentes Coronam de Spinis imposuerunt Capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum.

Oratio.

Praesta quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in memoriam Pas-

sionis Domini Nostri Jesu Christi, Coronam ejus Spineam veneramur in terris; ab ipso gloria, et honore coronari mereamur in Coelis. Qui tecum etc.

Fit commem. Feriae.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Summum Regem Gloriae Christum pro nobis Spinis coronatum: * Venite adoremus.

Psal. Venite exultemus Domino.

Hymnus.

Pange lingua gloriosi
Lauream certaminis,
Et super Crucis trophaeo
Dic triumphum nobilem:
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.

De Parentis protoplasti
Fraude factor condolens,
Quando pomi noxialis
In necem morsu ruit:
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.

Hoc opus nostrae salutis
Ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris
Ars, ut artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis unde laeserat.

Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis Conditor,
Atque Ventre Virginali
Carne amictus prodiit.

Vagit infans inter arcta
Conditus praesepia,
Membra pannis involuta
Virgo Mater alligat:
Et Dei manus, pedesque
Stricta cingit fascia.

Sempiterna sit Beatae
Trinitati gloria,
Æqua Patri, Filioque;
Par decus Paraclito:
Unius Trinique nomen
Laudet universitas. Amen.

In I. Nocturno.

Antiph. Maledicta terra in opere tuo: Spinas et tribulos germinabit tibi.

Psalm. Beatus vir, *cum reliquis, ut in primo Noct. C. P.*

Antiph. Ait Jesus Discipulis suis: Filius hominis tradetur, et damnabunt eum morte, et illudent ei, et conspuent eum.

Antiph. Coronans coronabit te tribulatione; quasi pilam mittet te in terram; ibi morieris, et ibi erit currus gloriae tuae.

℣. Tuam Coronam spineam adoramus Domine.

℟. Tuam gloriosam recolimus Passionem.

De Isaia Propheta.

Lectio I. Cap. 53.

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor; et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: Despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem: et quasi absconditus vultus ejus, et despectus; unde nec reputavimus eum.

℟. Ecce vidimus eum non habentem speciem, neque decorem: aspectus ejus in eo non est; hic peccata nostra portavit; et pro nobis dolet; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: * Cujus livore sanati sumus.

℣. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Cujus etc.

Lectio II.

Vere languores nostros ipse tu-

lit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum; et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.

℟. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? * Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

℣. Framea suscitare super pastorem meum; et super virum cohaerentem mihi. Et dicet etc.

De Zacharia Propheta.

Lectio III. Cap. 12. et 13.

Et erit in die illa: quaeram conterere omnes gentes, quae veniunt contra Jerusalem Et effundam super Domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiae, et precum; aspicient ad me, quem confixerunt: et plangent eum planctu quasi super unigenitum; et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem: Et dicetur ei: Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, et dispergentur oves: et convertam manum meam ad parvulos.

℟. Tuam Coronam Spineam veneramur Domine, tuam gloriosam recolimus passionem: * Miserere nobis, qui passus es pro nobis.

℣. Salva praesentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam: Miserere etc. Gloria Patri etc. Miserere etc.

In II. Nocturno.

Antiph. Pro frumento ortus est mihi tribulus; et pro hordeo Spina.

Psal. Cum invocarem, *cum reliquis, ut in secun. Noctur. C. P.*

Antiph. Egredimini, et videte Filiae Sion Dominum Jesum Christum in diademate, quo coronavit illum Synagoga mater sua.

Antiph. Vidimus eum, et non erat aspectus, et quasi absconditus vultus ejus: unde nec reputavimus eum.

℣. Eripe me de inimicis meis, Deus meus.

℟. Et ab insurgentibus in me libera me.

De Homilia S. Athanasii Episcopi.

In Passionem Domini to. 3.

Lect. IV.

Cum exueretur Dominus, eo ipso invisibiliter erigebatur de Diabolo trophaeum: et quo illud manifestum fieret, narratur a Joanne, indutum fuisse purpura: a Matthaeo vero, et Marco, chlamyde coccinea. Coronamque illi ex Spinis super caput esse positam, et calamum in manus datum; et ita, cum eum produxissent, genibus flexis adorasse. Miraculum novum, et incredibile, et magnae sine dubio victoriae insigne: quem enim ut hominem condemnaverunt; eum mortuum deinde, ut Deum adoraverunt: et quem aspernabantur, ut vilem, et contemptibilem: cum confitebantur Regem: cui tunicam, et vestem detraxerant, eum purpura circumdederunt, et quem ignorantes contumeliis afficiebant; cum Prophetam, etiam nolentes,

appellaverunt: et quem per ludibrium, subsannationemque pulsabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam chlamydem, et Coronam Spineam, et calamum. Nam tametsi ea quasi per contumeliam agebant, efficiebatur tamen inde, ut ab eo latenter spoliarentur.

℟. Insurrexerunt in me viri iniqui: absque misericordia quaesierunt me interficere, et non pepercerunt in faciem meam spuere; et lanceis suis vulneraverunt me, et concussa sunt omnia ossa mea: * Ego autem existimabam me tamquam mortuum super terram.

℣. Effuderunt furorem suum in me, fremuerunt contra me dentibus suis. Ego etc.

Sermo S. Ambrosii Episcopi.
Sermo 72. de S. Cypriano, alias 18. vel 58. vel 73.

Lectio V.

Videamus diligenter ne ex palmite operis nostri non nascatur dulcediuis uva, sed fellis; ne dicatur nobis quod Judaeis dictum est per Prophetam: Sustinui ut faceret uvam, fecit autem Spinas, et non justitiam sed clamorem. Quam dura conditio, ut possessio, quæ Domino suo suavitatis fructus afferre debuit, spinarum illum asperitate compunxerit: hoc est, cum Judaei Salvatorem debuerunt tota fidei devotione suscipere, Spinarum eum coronaverunt passione. Quae Corona quidem, quantum in Judaeis est, erat injuriarum contumelia; quantum in Domino, erat Corona virtutum. Compungunt ergo Judaei Dominum, dum coronant; compungunt, dum crucifigunt. Unde ait Scriptura Sancta: Videbunt in quem compunxerunt.

℟. Omnes amici mei dereliquerunt me, et praevaluerunt insidiantes mihi; tradidit me quem diligebam. * Et terribilibus oculis plaga crudeli percutientes, subsannabant mihi.

℣. Inter iniquos projecerunt me, et non pepercerunt Animae meae. Et terribilibus etc.

Lectio VI.

Igitur: fratres videte, ne et nobis dicatur: Sustinui ut faceret uvam, fecit autem Spinas: hoc est, ne Spinas, quas Domino Judaei cruentis imposuerunt manibus, nos iniquis sensibus apponamus, et compungamus eum non asperitate sentium, sed operum pravitate. Sunt enim Spinae cordis, quæ verbum Dei etiam vulnerare consueverunt, de quibus meminit in Evangelio Salvator, dicens: Seminantis semen cecidisse inter Spinas, et crevisse eas, ac suffocasse quod satum est. Ergo fratres videte, ne vinea vestra non uvas, sed Spinas faciat; ne vindemia vestra non vinum afferat, sed acetum. Quisquis enim vindemiam legit, et pauperibus non largitur, ille acetum collegit, non vinum. Quisquis messes recondit, et indigentibus non ministrat, iste non alimoniae fructus reposuit, sed tribulos avaritiae congregavit. Nam propterea ait Scriptura de terra nostra: Spinas, et tribulos germinabit tibi.

℟. Vinea mea electa, ego te plantavi. * Quomodo conversa es in amaritudinem, ut me Spinis coronares.

℣. Sepivi te, et lapides elegi ex te, et aedificavi turrim. Quomodo etc. Gloria Patri etc. Quomodo etc.

In III. Nocturno.

Antiph. Gravata est super me manus tua: conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Psal. Cantate Domino, *cum reliquis, ut in tertio Noct. de com. Virg.*

Antiph. Christus Jesus splendor Patris, et figura substantiae ejus; portans omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, Spinis Coronatus apparere dignatus est.

Antiph. Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui? responde mihi: Tu imposuisti Coronam spineam capiti meo, et arundine percussisti.

℣. Deus meus eripe me de manu peccatoris.

Et de manu contra legem agentis, et iniqui.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. *Cap. 19.*

In illo tempore; Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit: Et milites plectentes Coronam de spinis imposuerunt Capiti ejus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 116. in Joan.

Hoc Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi ut ejus injuriis Judaei satiati, sufficere sibi existimarent; et usque ad ejus mortem saevire desisterent. Ad hoc pertinet, quod idem Praeses cohortem suam etiam permisit facere quae sequuntur, aut fortassis et jussit; quamvis hoc Evangelista tacuerit: dixit enim quid deinde fecerint milites: Pilatum tamen id jussisse non dixit, et milites, inquit, plectentes Coronam de Spinis imposuerunt Capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum, et veniebant ad eum, et dicebant: Ave Rex Judaeorum; et dabant ei alapas. Sic implebantur, quae de se praedixerat Christus.

℟. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. * Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

℣. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur non comminabatur. Qui peccatum etc.

Bened. Divinum.

Lectio VIII.

Sic Martyres informabantur ad omnia, quae persecutori libuisset facere, perferenda: sic paulisper occulta tremenda potentia commendabatur prius imitanda patientia: Sic regnum, quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat: Sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumelia, ut mirabile pullularet in gloria. Exiit ergo Jesus portans Coronam Spineam, et purpureum vestimentum: et dicit eis Pilatus: Ecce homo. Hic apparet non ignorante Pilato haec a militibus facta, sive jusserit ea, sive permiserit; illa scilicet causa, quam supra diximus, ut hæc ejus ludibria inimici libentissime biberent, et ulterius Sanguinem non sitirent: Egreditur ad eos Jesus portans Spineam Coronam, et purpureum vestimentum; non clarus imperio, sed plenus opprobrio; et dicit eis: Ecce Homo. Si Regi invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis: Flagellatus est, Spinis coronatus, ludibriosa veste amictus est, amaris conviciis illusus est, alapis cæsus

est : Fervet ignominia, frigescat invidia: sed non frigescit, inardescit potius, et increscit.

℟. Milites Praesidis suscipientes Jesum in Praetorium, congregaverunt ad eum universam cohortem, et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei; * Et plectentes Coronam de Spinis posuerunt super caput ejus.

℣. Genuflexo ante eum, illudebant ei dicentes : Ave Rex Judaeorum. Et plectentes etc. Gloria Patri etc. Et plectentes etc.

Lectio IX. erit Homil. feriae, et in fine dicit.

Te Deum.

AD LAUDES.

Et per Horas. Antiph.

Milites Praesidis suscipientes Jesum in Praetorium congregaverunt ad eum universam cohortem.

Psalm. Dominus regnavit *cum reliq. de Dom.*

Antiph. Et exuentes eum; clamydem coccineam circumdederunt ei.

Antiph: Et plectentes Coronam de Spinis posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus.

Antiph. Et genuflexo ante eum illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judaeorum.

Antiph. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus.

Capitulum *Cant. 3.*

Egredimini, et videte, Filiae Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die despousationis illius, et in die laetitiae cordis ejus.

Hymnus.

Lustra sex qui jam peregit,
Tempus implens corporis.
Sponte libera Redemptor,
Passioni deditus,
Agnus in Crucis levatur,
Immolandus stipite.
Felle potus ecce languet :
Spina, clavi, lancea
Mite corpus perforarunt.
Unda manat, et cruor :
Terra, pontus, astra, mundus,
Quo lavantur flumine !
Crux fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis.
Sylva talem nulla profert
Fronde, flore, germine :
Dulce ferrum, dulce lignum,
Dulce pondus sustinent.
Flecte ramos arbor alta,
Tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille,
Quem dedit nativitas ;
Et superni membra Regis
Tende miti stipite.
Sola digna tu fuisti
Ferre mundi victimam,
Atque portum praeparare
Arca mundo naufrago,
Quam sacer cruor perunxit,
Fusus Agni corpore.
Sempiterna sit beatae
Trinitati gloria,
Æqua Patri, Filioque,
Par decus Paraclito:
Unius, Trinique nomen
Laudet Universitas. Amen.

℣. Avertantur retrorsum, et erubescant.

℟. Qui cogitant mihi mala.

Ad Benedictus.

Antiph. Milites induunt Jesum purpura, et imponunt ei plectentes Spineam Coronam, et coeperunt salutare eum : Ave Rex Judaeorum.

Fit commem. Feriae

Ad Primam Antiph. Milites Praesidis.

℟. *br.* Christe Filii Dei etc.

℣. Qui passus es pro homine.

Ad Tertiam Antiph. Et exuentes eum.

Capitulum. Egredimini, *ut sup.*

℟. *br.* Tuam Coronam Spineam * Adoramus Domine. Tuam Coronam. ℣. Tuam gloriosam recolimus passionem. Adoramus etc. Gloria Patri etc. Tuam Coronam etc.

℣. Miserere nostri, Domine.

℟. Qui passus es pro nobis.

Ad Sextam, Antiph. Et plectentes Coronam.

Capitulum. Isaiae 53.

Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum; Despectum, et novissimum virorum: virum dolorum, et quasi absconditus vultus ejus, unde nec reputavimus eum.

℟. *br.* Miserere nostri: * Domine. Miserere.

℣. Qui passus es pro nobis. Domine. Gloria Patri etc. Miserere etc.

℣. Tibi gloria, tibi triumphus, et victoria.

℟. Tibi summae laudis, et honoris Corona.

Ad Nonam, Ant. Et expuentes in eum.

Capitulum. Joan. 19.

Exivit Jesus portans Coronam Spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis Pilatus: Ecce homo.

℟. *br.* Tibi gloria * Tibi triumphus, et victoria. Tibi gloria. ℣. Tibi summae laudis, et honoris Corona. Tibi triumphus. Gloria Patri etc. Tibi gloria etc.

℣. Tuam Coronam Spineam veneramur Domine.

℟. Tuam gloriosam recolimus Passionem.

IN II. VESPERIS

Omnia ut in primis, praeter sequ.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Coronae miranda dignitas! mortis poenas debitas repellis: tu spes lapsis, firmitas infirmis, tu restauras Coronas perditas.

Fer. VI. Post Dom. 4. Quadrag.

FEST. CLAVOR. ET LANCEÆ DOMINI.

Duplex Majus.

AD VESPERAS,

Antiphona.

Hasta Regem gloriae; *cum reliquis de Laud. ut infra, Psalm.* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica; et loco ultimi Psalm. 116.* Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. Sapient. 5. d.

Sumet Dominus scutum inexpugnabile, aequitatem: acuet autem duram iram in Lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

Hymnus.

Pange lingua gloriosae
Lanceae praeconium,
Quae reclusit praetiosae
Cataractae fluvium,
Passo Christo dolorose
Pro salute Gentium.

Hasta gazis praeoptata,
Mundi pandit pretium,
Cordis tactu praeparata
Fit sagitta fortium:
Arma Clavi sunt beata
Contra vires Daemonum.

Dulcis Hasta Dei latus
Spoliasti sanguine:
Dulces clavi, qui reatus
Expurgastis flumine;
Ut sit mundus emundatus,
Et sanatus vulnere.

Hasta fulcit viatores,
Et timentes animat,
Et ostenso bellatores
Cordis succo roborat,
Clavus firmat, et dat rores,

Pusillosque recreat.
Jesu victor inferorum,
Qui triumphas Lancea:
Et virtute, qui Clavorum
Restaurasti omnia:
Fac, ut horum nos armorum
Muniant praesidia. Amen.

℣. Accipiet armaturam zelus illius.

℟. Et armabit creaturam ad ultionem inimicorum.

Ad Magnificat.

Antiphona. Gaude pia plebs justorum, omne genus Christianorum, tantis de muneribus; nam primordia salutis tibi dedit Rex virtutis, suis de vulneribus; Clavos, Lanceam, et Crucem, ut sequaris Christum Ducem.

Oratio.

Deus, qui in assumptae carnis infirmitate Clavis affigi, et Lancea vulnerari pro Mundi salute voluisti, concede propitius, ut qui eorumdem Clavorum, et Lanceae solemnia veneramur in terris, de glorioso victoriae tuae triumpho gratulemur in coelis. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre etc.

AD MATUTINUM,

Invitatorium. Coelestis Regis Lanceam, venite adoremus. * Et pro Clavis ejus, Christo jubilemus.

Psal. Venite exultemus Domino.

Hymnus.

Sacris solemniis sonent praeconia,
Armorum Domini, per quæ victoria
Venit Christicolis, sint in memoria
Crux, et Clavi, et Lancea.
Crux apud inferos spoliat tartara,
Lancea superis tribuit praemia,
Clavi consociant coelos, et infima,
Fletum mutant laetitia.
Clavus dum figitur in Dei manibus,
Et dum demergitur in sacris pedibus,
Hasta dum fodiat latus, hominibus
Manat gratiae fluvius.
Lancea saeviens in Dei pectore,
Et inde proferens aquam cum sanguine
Mundum laetificat impetus flumine,
Omnes ad aquas currite.
Te, summa Deitas, Cœlum magnificat,
Ordo Seraphicus laudibus insonat,
His noster pariter cœtus se misceat,
Et in saecula te canat. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Exaltatur Crucis lignum, dum Christus occubuit lanceatus, a maligno hoste nos eripuit.

Psal. Beatus vir, *cum reliquis, ut in primo Noct. C. P.*

Ant. Videte gloriosa loca clavorum, et latus meum Lancea perforatum pro salute Mundi.

Ant. Latus ejus aperuit, patefecit ostium vitae, ingrediamur illud.

℣. Tuam Lanceam adoramus, Domine.

℟. Tuam gloriosam passionem recolimus.

De libro secundo Paralipomenon.

Lectio I. Cap. 3. d.

Fecit igitur Rex Salomon ducentas hastas, de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur. Trecenta quoque scuta aurea, trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta: posuitque ea Rex in armentario, quod erat consitum nemore.

℟. Videte gloriosa loca Clavorum, et latus meum Lancea perforatum pro salute Mundi. * Palpate, et videte, quia ego ipse sum.

℣. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit, Palpate etc.

De Libro Sapientiae.

Lectio II. Cap. 5. c.

Et accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea judicium certum. Sumet scutum inexpugnabile aequitatem. Acuet autem duram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

℟. Latus ejus aperuit, * Patefecit ostium vitae.

℣. Ingrediamur illud. Patefecit etc.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Ephesios.

Lectio III. Cap. 6.

Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem; sed adversus principes et potestates, adversus Mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiae, et calceati pedes in praeparationem Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, et galeam salutis assumere, et gladium spiritus, quod est Verbum Dei.

℟. Inter Clavos * Christus in Cruce separatus est.

℣. Et in sancta resurrectione mundus in ejus laudibus vigilavit. Christus etc. Gloria Patri etc. Christus etc.

In II. Nocturno.

Ant. Tuam lanceam adoramus, Domine, et tuam gloriosam passionem recolimus.

Psal. Cum invocarem, *cum reliquis, ut in secundo Noct. C. P.*

Ant. Dulces Christi Clavi pungite corda nostra.

Ant. Christus pro nobis Clavis fossus in palmis, atque pedibus.

℣. Vere languores nostros ipse tulit.

℟. Et dolores nostros ipse portavit.

Sermo Innocentii Papae sexti.

In Decreto de Festo Lanceae, et Clavorum Domini.

Lectio IV.

In Redemptoris nostri Domini Jesu Christi sacratissima Passione sic nos gloriari oportet, ut ipsius passionis cuncta mysteria dinumerantes, et merita, singulis etiam ejus salutaribus instrumentis gloriemur. Inter quae illud celebriter memorandum est, quod ipse Salvator emisso in Cruce jam spiritu, sustinuit perforari Lancea latus suum, ut, inde sanguinis, et aquae profluentibus undis, formaretur unica, et immaculata, ac virgo Sancta mater Ecclesia sponsa sua. O beatissima ipsius sacri lateris apertura, unde nobis tot, et tanta divinae pietatis dona fluxerunt! O felix Lancea, quae tot bona nobis efficere, et ad tanti triumphi gloriam meruit superaddi!

℟. Surge virgo Ecclesia, Sponso redde munia, tui Clavi gravia imprimunt vestigia, per quae ruit infernalis Sisara: * Nam Clavum Jahel malleo fixit in ejus tempora.

℣. Dulces Clavi pungite corda nostra: Nam Clavum.

Lectio V.

Haec latus ipsum aperiendo, sacratissimas januas nobis regni coe-

lestis aperuit. Haec vulnerando jam mortuum, vulnera nostra sanavit, vitamque, nobis reddidit, et salutem. Haec innoxium transfigendo, illius sanguine culpas nostras abstersit; et demum ejusdem sacratissimis undis irrigata, caecitatis nostrae tenebras sustulit, et nos ipsius divinae pietatis fluviis mundavit. Illi etiam dulces Clavi, quibus ipse Salvator eidem Cruci fuit affixus, quique non solum immaculato respergi sanguine, et molem ferre tanti ponderis meruerunt, sed et nos etiam per ipsorum salutiferas plagas dulcedinem tantam ipsius divinae charitatis accepimus, ut manus nostrae a peccati solutae nexibus, pedesque nostri a mortis laqueis fuerint liberati, sunt devotissime recolendi.

℟. Hasta nitet * Margaritis nimis coruscantibus.

℣. Mucro gemmis infinitis sanguine vernantibus. Margaritis.

Lectio VI.

Quid enim vulnere, et plagis hujusmodi sanctius? Quid eis salubrius, ex quibus salus nostra processit, et in quibus assidue se possunt curare animae devotorum? Licet igitur Lancea, et Clavi praedicti, aliaque ipsius passionis salutaria instrumenta, sint a cunctis fidelibus Christi ubilibet veneranda, et de ipsa etiam passione in eadem Ecclesia solemnia annis singulis officia celebrentur, et fiant, dignum tamen, et conveniens reputamus, si de ipsius passionis specialibus instrumentis, et praesertim in partibus, in quibus instrumenta ipsa dicuntur haberi, solemne, ac speciale festum celebretur, et fiat. Nosque illos fideles Christi, qui aliqua ex instrumentis ipsis habere se gaudent, in eorum devotione, divinis officiis, atque muneribus specialiter foveamus.

℟. Jesu, nostra spes * Suavis ab uberibus.

℣. Pro nobis fossus clavis in palmis, atque pedibus. Suavis etc. Gloria Patri etc. Suavis etc.

In III. Nocturno.

Ant. Tu, Christe nostrum gaudium, de lanceato latere da oris mellicidium ardenti corde sugere.

Psal. Cantate Domino, *cum reliquis, ut in tertio Noct. de com. Virgin.*

Ant. Vibrans miles Lanceam acutissimam aperuit templum Sanctum gloriae Dei.

Ant. Tuam lanceam adoramus, tuam gloriosam recolimus passionem.

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 19.

In illo tempore: Sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 120. in Joan.

Unus militum Lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit: ut illud quodammodo vitae ostium panderetur, unde sacramenta manaverunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intratur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissionem fusus est peccatorum.

Aqua illa salutaris temperat poculum, haec et lavacrum praestat, et potum. Hoc praenuntiabat, quod Noe in latere arcae ostium facere jussus est, quo intrarent animalia, quae non erant diluvio peritura, quibus figurabatur Ecclesia.

℟. Vibrans miles Lanceam acutissimam aperuit templum sanctum gloriae Dei: * In quo habitat plenitudo Divinitatis.

℣. Ibi abscondita est fortitudo ejus, ante faciem ejus ibit mors. In quo etc.

Lectio VIII.

Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, et appellata est vita, materque vivorum, magnumque signavit bonum ante magnum praevaricationis malum; et secundus Adam inclinato capite in Cruce dormivit, ut inde formaretur ei Conjux, quae de latere dormientis effluxit. O mors, unde mortui reviviscunt? Quid isto sanguine mundius, quid vulnere isto salubrius? Facta sunt enim haec, inquit, ut scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

℟. Tuam Lanceam adoramus, Domine: * Tuam gloriosam recolimus passionem.

℣. Hasta Regem gloriae cruentavit Christum. Tuam. Gloria Patri. Tuam gloriosam etc.

Lectio IX. erit Homil. feriae.

AD LAUDES.

Et per Horas.

Hasta Regem gloriae Christum cruentavit, dum Crucis in arbore Dominus regnavit.

Psal. Dominus regnavit *cum reliq. de Dom.*

Ant. Hanc tremendam Lanceam omnes adoremus, et in ejus laudibus semper jubilemus.

Ant. Unus militum Lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua.

Ant. Fui mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum.

Ant. Sempiterna gaudia Christus tunc donavit, cum Clavis, et Lancea mortem superavit.

Capitulum *Sap. 5.*

Sumet Dominus scutum inexpugnabile, aequitatem: acuet autem duram iram in Lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

Hymnus.

Verbum supernum prodiens
Salvare quod perierat,
Hasta, Clavisque moriens
Complevit ad quod venerat.
O gloriosa Lancea!
Timor, tremorque Daemonum,
Regna pandis siderea,
Per sanctae necis meritum.
De Clavorum stigmatibus
Emanat mundi pretium,
E cunctis aromatibus
Spirans odorem coelicum.
In corde Christi mergitur
Mucro leone saevior:
De forti fons exoritur,
Cibusque melle dulcior.
In Natum Pater phialam
Effudit iracundiae,
Ut nobis coenam maximam
Gratis suae det gloriae;
O Christe, nostrum gaudium,
De vulnerato latere,
Da lac, et vinum depluum
Ardente corde sugere.
Precamur, Auctor omnium,
Tu nostra sis refectio:
Tuorum quoque meritum
Armorum sis profectio. Amen.

℣. Per sanctam Lanceam de inimicis nostris.
℟. Libera nos, Deus noster.

Ad Benedictus.

Antiphona. O felix, et omni laude digna Lancea Salvatoris, quae pertransiens latus ejus, chirographum peccati affixit patibulo Crucis.

Oratio.

Deus, qui in assumptae carnis infirmitate Clavis affigi, et Lancea vulnerari pro mundi salute voluisti: concede propitius; ut, qui eorumdem Clavorum, et Lanceae solemnia veneramur in terris, de glorioso victoriae tuae triumpho gratulemur in coelis. Qui vivis.

Ad Primam. ℣. Qui vulneratus es pro nobis.

Ad Tertiam Ant. Hanc tremendam Lanceam.

Capitul. Sumet Dominus, *ut supra.*

℟. *br.* Apprehende * Arma, et scutum. Apprehende. ℣. Et exurge in adjutorium mihi. Arma et scutum. Gloria Patri etc. Apprehende etc.

℣. Foderunt manus meas, et pedes meos.

℟. Dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ad Sextam Ant. Unus militum.

Capitulum. *Apoc. 5.*

Gratia vobis, et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terrae: qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

℟. *br.* Foderunt * Manus meas, et pedes meos Foderunt. ℣. Dinumeraverunt omnia ossa mea. Manus etc. Gloria Patri etc. Foderunt etc.

℣. Quem tu percussisti persecuti sunt.

℟. Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Ad Nonam, Ant. Sempiterna gaudia.

Capitulum. *Apoc. I. d.*

Ego sum primus, et novissimus, et vivus, qui fui mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum.

℟. *br.* Quem tu percussisti * Persecuti sunt. Quem tu. ℣. Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Persecuti. etc. Gloria Patri etc. Quem tu etc.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Attritus est propter scelera nostra.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, et loco ultimi, Psal.

Credidi, propter quod.

Ad Magnificat, Antiphona.

Collaudemus Christi clementiam, qui per gloriosos Clavos, et Lanceam dat Ecclesiae de inimicis victoriam, et in coelo vitam, et coronam perpetuam.

FERIA SEXTA.

Post Dominic. 2. Quadrag.

FEST. SACROR. QUINQUE VULNERUM D. N. JESU CHRISTI.

Duplex Majus.

AD VESPERAS.

Antiphona.

Vere languores nostros, *cum reliq. de Laud. Ps.* Credidi, *cum rel. ut in Vesp. Fer. V. in Coena Domini.*

Capitulum. *Isaiae 53.*

Christus vulneratus est propter

iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus.

Hymnus. Pange lingua gloriosi
Lauream certaminis,
ut ad Matut. Sacratiss. Cor. Spinar. ut sup. fol. 25.

℣. Videbunt, in quem transfixerunt.

℟. Et dolebunt super eum, ut in morte Primogeniti.

Ad Magnificat.

Antiph. Dum in Cruce penderet Unigenitus Dei Filius, et ab omnibus subsannaretur, Mater ejus Virgo Maria ipsum verum Deum, et hominem condolens venerabatur

Oratio.

Deus, qui Unigeniti Filii tui passione, per quinque vulnera ejus, et sanguinis effusionem humanam naturam peccato perditam reparasti: tribue nobis quaesumus; ut qui ab eo suscepta vulnera veneramur iu terris, ejusdem pretiosissimi Sanguinis fructum consequi mereamur in coelis. Per eumdem Dominum etc.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum in Cruce confixum, quinque plagis vulneratum, * Venite adoremus.

Psal. Venite, exultemus etc.

Hymnus. Pange lingua *ut supra fol. 25.*

In I. Nocturno.

Antiph. Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?

Psalm. 10.

In Domino confido: quomodo dicitis animae meae: * Transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, * ut sagitent in obscuro rectos corde.

Quoniam quae perfecisti, destruxerunt, * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo, * Dominus in coelo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: * palpebrae ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum, et impium: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: * ignis, et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, et justitiam dilexit, aequitatem vidit vultus ejus.

Ant. Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?

Ant. Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Psalm. 14.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, * et operatur justitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua

Nec fecit proximo suo malum, * et opprobrium non accepit adversus proximos suos

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dominum glorificat.

Qui jurat proximo suo, et non decipit, * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit haec, * non movebitur in aeternum.

Ant. Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Ant. Torcular calcavi solus, et de Gentibus non fuit vir mecum.

Psalm 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Jacob.

Attolite portas principes vestras et elevamini portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus fortis et potens: Dominus potens in praelio.

Attolite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Ant. Torcular calcavi solus, et de Gentibus non fuit vir mecum.

℣. Foderunt manus meas, et pedes meos.

℟. Dinumeraverunt omnia ossa mea.

De Isaia Propheta.

Lectio I. *Cap. 53.*

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, et despectus: unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: Et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.

℟. Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo: * In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus in remissionem peccatorum.

℣. Ecce venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum in terras. In quo habemus etc.

Lectio II.

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi Agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia, et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate.

℟. Nos, qui aliquando eramus longe, facti sumus prope per sanguinem Jesu Christi: * Ipse est

pax nostra, qui fecit utraque unum.

℣. A Domino factum est istud: et est mirabile in oculis nostris. Ipse est pax nostra etc.

Lectio III. *Cap. 63.*

Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae. Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, et de Gentibus non est vir mecum? calcavi in furore meo, et conculcavi eos in ira mea; et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi: dies enim ultionis in corde meo, annus Redemptionis meae venit: circumspexi: et non erat auxiliator: quaesivi, et non fuit qui adjuvaret.

℟. In primogenito ex mortuis complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare, et per eum reconciliari omnia in ipsum. * Pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quae in coelis, sive quae in terris sunt.

℣. Ipse est caput corporis Ecclesiae, in omnibus primatum tenens. Pacificans per sanguinem etc. Gloria Patri etc. Pacificans etc.

In II. Nocturno.

Ant. Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

Psal. Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti; * ut in fol. 12.

Ant. Foderunt manus etc.

Ant. A plancta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.

Psalmus 65.

Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, * date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua Domine, * in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, et psallat tibi, * psalmum dicat nomini tuo.

Venite, et videte opera Dei? * terribilis in consiliis super filios hominum.

Qui convertit mare in aridam in flumine pertransibunt pede * ibi laetabimur in ipso.

Qui dominatur in virtute sua in aeternum, oculi ejus super gentes respiciunt, * qui exasperant non exaltentur in semetipsis.

Benedicite Gentes Deum nostrum, * et auditam facite vocem laudis ejus.

Qui posuit animam meam ad vitam, * et non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probasti nos Deus: * igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: * imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem et aquam: * et eduxisti nos in refrigerium.

Introibunt in domum tuam in holocaustis: * reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum, * in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: * offeram tibi boves cum hircis.

Venite, audite, et narrabo omnes

qui timetis Deum, * quanta fecit animae meae.

Ad ipsum ore meo clamavi: * et exaltavi sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in corde meo, * non exaudiet Dominus.

Propterea exaudivit Deus, * et attendit voci deprecationis meae.

Benedictus Deus * qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.

Ant. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.

Ant. Vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligata; nec curata medicamine, nec fota oleo

Psalm. 75.

Notus in Judaea Deus: * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus: * et habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit potentias arcuum, * scutum, gladium, et bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis: * turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum: * et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua Deus Jacob * dormitaverunt qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es, et quis resistet tibi? * ex tunc ira tua.

De coelo auditum fecisti judicium: * terra tremuit et quievit.

Cum exurgeret in judicium Deus, * ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: * et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro? omnes qui in circuitu ejus affertis munera.

Terribili et ei qui aufert spiritum principum, * terribili apud reges terrae.

Ant. Vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligata; nec curata medicamine, nec fota oleo.

℣. Vere languores nostros ipse tulit.

℟. Et dolores nostros ipse portavit.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

Lib. 1. de Pass. Domini, Cap. 41.

Lectio IV.

Captus est Jesus post plurimas illusiones tam Judaeorum, quam Gentium: post sanguinis plures effusiones, clavis immitibus manibus simul et pedibus perforatur: et configitur ligno Crucis Salvator noster mitissimus Jesus. Intuere, et respice rosam Passionis sanguineae, quomodo rubet in indicium ardentissimae charitatis. Contendunt passio, et charitas; ista, ut plus ardeat; illa, ut plus rubeat.

℟. Per mortem destruxit Jesus eum, qui mortis habebit imperium * Ut liberaret eos, qui timore mortis obnoxii erant servituti.

℣. Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret. Ut liberaret etc.

Lectio V.

Vide quomodo hoc flore rosae floruerit optima vitis nostra rubicundus Jesus. Vide totum corpus, sicuti rosae sanguineae florem non invenias. Inspice manum unam, et alteram, si florem rosae non invenias in utraque. Inspice pedem unum, et alterum, numquid non rosei? Inspice lateris aperturam, quia nec illa caret rosa, quamvis ipsa subrubea sit, propter mixturam aquae: quia, sicut narrat Evangelista, cum unus

militum lancea perforasset, exivit sanguis, et aqua.

℟. Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum: * Et sicut in Adam omnes peccaverunt, ita in Christo omnes vivificabuntur.

℣. Novissime autem inimica destruetur mors. Et sicut etc.

Ex eodem D. Bernardi Sermone de Passione Domini.

Lectio VI.

Respice, Domine Sancte Pater, de Sanctuario tuo, et de excelso Cœlorum habitaculo: et intuere hanc Sacrosanctam Hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus Puer tuus Dominus Jesus, pro peccatis fratrum suorum; et esto placabilis super multitudine malitiae nostrae. Cognosce, Pater, tunicam filii tui Joseph: Heu! fera pessima devoravit eum, et conculcavit in furore suo vestimentum ejus: Ecce quinque scissuras lamentabiles in eo reliquit.

℟. Videmus Jesum propter passionem mortis gloria, et honore coronatum. * Ut pro omnibus gustaret mortem.

Decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari. Ut pro omnibus etc.

In III. Nocturno.

Ant. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?

Psal. Cantate Domino canticum novum; *cum reliquis in tertio Noct. de Com. Virgin.*

Ant. His plagatus sum in domo eorum, qui me diligebant.

Ant. In amaritudine sermo meus est, et manus plagae meae aggravata est super gemitum meum.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Attritus est propter scelera nostra.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. *Cap. 19.*

In illo tempore: Sciens Jesus; quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini.

Lib. 12. Comment. Joan.

Cum ab immanibus Judaeis omnis in Christum expleta esset impietas, nec quicquam jam ad summam crudelitatem reliquum esset, ad extremum Caro Christi Sanctissima proprium quiddam, ac naturale rursus patitur. Multis enim, ac variis doloribus exsiccata, siti torquetur. Graves siquidem dolores magnam ad sitim commovendam vim habent, naturali quodam, et inexplicabili calore humidum consumentes, et igneis ardoribus praecordia urentes. Consummatum esse ait impietatis Judaicae modum, et impotentem saeviendi animum. Quid enim Judaei intentatum reliquerunt, aut quid non extremae crudelitatis adhibuerunt? Quod supplicii, aut contumeliae genus praetermiserunt?

℟. Manifestata est gratia Dei per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi: * Qui destruxit mortem, illuminavit autem vitam in incorruptionem.

℣. Liberavit, et vocavit nos vocatione sua sancta per gratiam, quae data est nobis in Christo. Qui distruxit etc.

Lectio VIII.

Quamobrem jure, consummatum est, ait: sed hora jam eum ad praedicandum spiritibus, qui apud inferos erant, invitante. Advenit enim, ut mortuorum, ac vivorum dominaretur: ipsam pro nobis mortem suscepit, communem hanc naturae passionem sustinuit in carne sua. Cum autem Jesum caput inclinasse comperissent, et jam eum expirasse putarent, frustra ejus crura confringi existimant: sed cum adhuc mortuum esse nonnihil diffiderent, lancea latus ejus perfodiunt, unde cruor aqua mixtus scaturiit, quod Eulogiae mysticae, et sancti baptismatis imago quaedam erat, atque primitiae. Christi enim est vere, et a Christo sanctum baptisma, et mysticae Eulogiae vis ex sancta nobis carne prodiit.

℟. Dignus es Domine accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo. * In sanguine tuo.

℣. Fecisti enim nos Deo nostro regnum, et Sacerdotes. In sanguine tuo. Gloria Patri etc. In sanguine tuo.

Lect. IX. de Homil. fer. et in fine. Te Deum.

AD LAUDES

Et per horas.

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.

Psalm. Dominus regnavit *cum reliq. de Dom.*

Ant. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Ant. Alligavit Dominus plagam populi sui, et percussuram ejus sanavit.

Ant. Omnis, qui transibit, stupebit super omnes plagas ejus.

Ant. O vos omnes, qui transitis per viam; attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus.

Capitulum. Isaiae 53.

Christus vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus.

Hymn. Lustra sex qui jam peregit, *ad Laud. Sacratiss. Coronae Spinar. ut sup. fol. 29.*

℣. Avertantur retrorsum, et erubescant.

℟. Qui cogitant mihi mala.

Ad Benedictus Antiphona.

Unus militum Lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguinis, et aqua.

Oratio.

Deus, qui Unigeniti Filii tui passione, per quinque vulnera ejus, et sanguinis effusionem humanam naturam peccato perditam reparasti: tribue nobis, quaesumus; ut qui ab eo suscepta vulnera veneramur in terris, ejusdem pretiosissimi Sanguinis fructum consequi mereamur in coelis. Per eumdem Dominum.

Ad Primum. Ant. Vere languores.

In ℟. *br.* ℣. Qui vulneratus es pro nobis.

Ad Tertiam.

Ant. Ipse autem.

Capitul. Christus vulneratus est, *ut supra.*

℟. *br.* Foderunt manus meas, * Et pedes meos. Foderunt. ℣. Dinumeraverunt omnia ossa mea. Et pedes etc. Gloria Patri etc. Foderunt. etc.

℣. O vos omnes, qui transitis per viam.

℟. Attendite, et videte dolorem meum.

Ad Sextam. Ant. Alligavit Dominus.

Capitulum Isaiac. 50.

Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me. Dominns Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus.

℟. *br.* Vere languores nostros, * Ipse tulit. Vere. ℣. Et dolores nostros ipse portavit. Ipse tulit. Vere languores etc.

℣. Disciplina pacis nostrae super eum.

℟. Et livore ejus sanati sumus.

Ad Nonam.

Ant. O vos omnes.

Capitul.

Tradidit Christus in morte animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

℟. *br.* Ipse vulneratus est, * Propter iniquitates nostras. Ipse ℣. Attritus est propter scelera nostra. Propter etc. Gloria Patri etc. Ipse vulneratus etc.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit.

℟. Et non aperuit os suum.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, praeter sequ.

Ad Magnificat.

Ant. Ego sum vestra Redemptio: manus meae, quae vos fecerunt, clavis confixae sunt: propter vos flagellis caesus sum, spinis coronatus sum, aquam petii pendens, et acetum porrexerunt; in escam meam fel dederunt, et in latus lanceam: mortuus, et sepultus resurrexi: vobiscum sum, et vivo in aeternum.

FERIA SEXTA

Post Dominic. III. Quadrag.

FEST. PRETIOSISS. SANGUINIS

D. N. JESU CHRISTI.

Duplex Majus.

AD VESPERAS.

Antiphona

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua.

Psalm. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi Psalm. 116.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Ant. Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

Ant. Vestitus erat veste aspersa Sanguine, et vocatur nomen ejus Verbum Dei.

Ant. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua, sicut calcantium in torculari?

Ant. Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.

Capitulum. Hebr. 9.

Fratres: Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, et perfectius tabernaculum non manufactum, idest, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa.

Hymnus.

Festivis resonent compita vocibus,
Cives laetitiam frontibus explicent:
Tædis flammiferis ordine prodeant
Instructi pueri, et senes.
Quem dura moriens Christus in arbore,
Fudit multiplici vulnere Sanguinem;
Nos facti memores, dum colimus, decet
Saltem fundere lacrymas.

Humano generi pernicies gravis
Adami veteris crimine contigit:
Adami integritas, et pietas novi
Vitam reddidit omnibus.
Clamorem validum summus ab Æthere
Languentis Geniti, si Pater audiit,
Placari potius Sanguine debuit,
Et nobis veniam dare.
Hoc quicumque stolam Sanguine proluit,
Abstergit maculas; et roseum decus,
Quo fiat similis protinus Angelis;
Et Regi placeat, capit.
A recto instabilis tramite postmodum
Se nullus retrahat; meta sed ultima
Tangatur; tribuet nobile præmium,
Qui cursum Deus adjuvat.
Nobis propitius sis Genitor potens,
Ut quos Unigeni Sanguine Filii
Emisti, et placido Flamine recreas,
Cœli ad culmina transferas. Amen.

℣. Redemisti nos Domine in Sanguine tuo.

℟. Et fecisti nos Deo nostro Regnum.

Ad Magnificat.

Antiph. Accessistis ad Sion montem, et Civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem, et testamenti novi mediatorem Jesum, et Sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Unigenitum Filium tuum Mundi Redemptorem constituisti, ac ejus Sanguine placari voluisti: concede, quaesumus, salutis nostrae pretium solemni cultu ita venerari, atque a praesentis vitae malis ejus virtute defendi in terris, ut fructu perpetuo laetemur in coelis. Qui tecum vivit, et regnat in unitate etc.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Dei Filium, qui suo nos redemit Sanguine: Venite adoremus.

Psal. Venite, exultemus etc.

Hymnus.

Ira justa Conditoris,
Imbre aquarum vindice,
Criminosum mersit Orbem,
Noe in Arca sospite:
Mira tandem vis amoris
Lavit Orbem Sanguine.
Tam salubri terra felix
Irrigata pluvia,
Ante spinis quae scatebat,
Germinabit flosculos:
Inque nectaris saporem
Transiere absynthia.
Triste protinus venenum
Dirus anguis posuit,
Et cruenta belluarum
Desiit ferocia:
Mitis Agni vulnerati
Haec fuit victoria.
O scientiae supernae
Altitudo impervia!
O suavitas benigni
Praedicanda pectoris!
Servus erat morte dignus,
Rex luit poenam optimus.
Quando culpis provocamus
Ultionem Judicis,
Tunc loquentis protegamur
Sanguinis praesentia:
Ingruentium malorum
Tunc recedant agmina.
Te redemptus laudet Orbis
Grata servans munera,
O salutis sempiternae
Dux, et Auctor inclyte!
Qui tenes beata regna
Cum Parente, et Spiritu. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Postquam consummati sunt

dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus Jesus.

Psalmus 2.

Quare fremuerunt Gentes, * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in coelis irridebit eos, * et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua,* et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praeceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu? ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi Gentes haereditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terrae.

Reges eos in virga ferrea, * et tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intelligite: * erudimini qui judicatis terram.

Servite Domino in timore, * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes qui confidunt in eo.

Ant. Postquam cunsummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus Jesus.

Ant. Factus in agonia, prolixius orabat; et factus est sudor ejus, sicut guttae Sanguinis decurrentis in terram.

Psalm. 3.

Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es, * gloria mea, et exultans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivi me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum:* et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus, * et populum tuum benedictio tua.

Ant. Factus in agonia, prolixius orabat, et factus est sudor ejus, sicut gittae Sanguinis decurrentis in terram.

Ant. Judas, qui eum tradidit, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos, dicens: Peccavi, tradens Sanguinem justum.

Psalm. 15.

Conserva me Domine, quoniam speravi in te * Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus,* mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatae sunt infirmitates eorum, * postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei: * tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in prae-

claris: * etenim haereditas mea praeclara est mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: * insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper: * quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea: * insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno: * nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo: * delectationes in dextera tua usque in finem.

Ant. Judas, qui eum tradidit, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos, dicens: Peccavi, tradens Sanguinem justum.

℣. Redemisti nos Domine.

℟. In Sanguine tuo.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Hebraeos.

Lectio I. *Cap. 9.*

Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, et perfectius tabernaculum non manufactum, idest, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem, introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi testamenti mediator est, ut, morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt aeternae haereditatis.

℟. Jesus, ut sanctificaret per suum Sanguinem populum, extra portam passus est: * Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.

℣. Nondum enim usque ad Sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes. Exeamus igitur.

Lectio II.

Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato Legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum, et hircorum cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: Hic Sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum, et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit. Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur: Et sine sanguinis effusione non fit remissio.

℟. Moyses sumptum sanguinem respersit in populum. * Et ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum.

℣. Fide celebravit Pascha, et sanguinis effusionem, ne qui vastabat primitiva, tangeret eos. Et ait etc.

Lectio III.

Habentes itaque, fratres, fidu-

ciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, idest Carnem suam, et Sacerdotem magnum, super Domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem, (fidelis enim est, qui repromisit) et consideremus invicem in provocationem charitatis, et bonorum operum.

℟. Vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in Sanguine Christi; * Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum.

℣. Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per Sanguinem Crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt. Ipse enim etc. Gloria Patri etc. Ipse etc.

In II. Nocturno.

Ant. Pilatus volens populo satisfacere, tradidit illis Jesum flagellis caesum.

Psalm. 22.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit: * in loco pascuae ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me * animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiae: * propter nomen suum.

Nam et si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala; * quoniam tu mecum es.

Virga tua, et baculus tuus: * ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam: * adversus eos, qui tribulant me.

Impinquasti in oleo caput meum: * et calix meus inebrians quam praeclarus est.

Et misericordia tua subsequetur me: * omnibus diebus vitae meae.

Et ut inhabitem in domo Domini: * in longitudinem dierum.

Ant. Pilatus volens populo satisfacere, tradidit illis Jesum flagellis caesum.

Ant. Videns autem, quia nihil proficeret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a Sanguine justi hujus.

Psalm. 29.

Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine, Deus meus, clamavi ad te: * et sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animam meam * salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino sancti ejus: * et confitemini memoriae sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus: * et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus: * et ad matutinum laetitia.

Ego autem dixi in abundantia mea: * non movebor in aeternum.

Domine in voluntate tua: * praestitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me, * et factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo: * et ad Deum meum deprecabor.

Quae utilitas in sanguine meo: * dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis, * aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, et misertus est mei: * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi, * conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar, * Domine, Deus meus, in aeternum confitebor tibi.

Ant. Videns autem, quia nihil proficeret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a Sanguine justi hujus.

Ant. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

Psalm. 63.

Exaudi Deus, orationem meam, cum deprecor, * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium: * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt, ut gladium, linguas suas: * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt, * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt, ut absconderent laqueos: dixerunt * Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates, * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum, * et exaltabitur Deus.

Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum, * et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.

Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, * et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei, * et facta ejus intellexerunt.

Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo, * et laudabuntur omnes recti corde.

Ant. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

℣. Sanguis Jesu Christi filii Dei.

℟. Emundat nos ab omni peccato.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Lectio IV.

Vultis Sanguinis Christi audire virtutem? redeamus ad ejus exemplum, et priorem typum recordemur, et pristinam scripturam narremus. In Ægypto, nocte media, Ægyptiis Deus plagam decimam minabatur, ut eorum primogenita deperirent, quia primogenitum ejus populum detinebant. Sed ne amata plebs Judaeorum una cum illis periclitaretur, quia unus locus continebat universos, remedium discretionis inventum est. Proinde, exemplum mirabile! ut discas in veritate virtutem: Ira divinae indignationis sperabatur, et domos singulas mortifer circuibat. Quid igitur Moyses? Occidite, inquit, agnum anniculum, et sanguine ejus linite januas. Quid ait Moyses? Sanguis ovis rationalem hominem liberare consuevit? Valde, inquit, non eo quod sanguis est, sed quia Dominici Sanguinis per eum demonstratur exemplum.

℟. In timore incolatus vestri conversamini, * Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis.

℣. Sed pretioso Sanguine, quasi agni immaculati Christi. Scientes etc.

Lectio V.

Nam sicut Regnantium statuae, quae sine causa sunt, et sermone, nonnunquam ad se confugientibus hominibus, anima et ratione decoratis, subvenire consueverunt, non quia sunt aere confectae, sed

quia retinent imaginem Principalem: Ita et sanguis ille, qui irrationalis fuit, animas habentes homines liberavit: Non quia sanguis fuit, sed quia hujus Sanguinis ostendebat adventum. Et tunc Angelus ille vastator, cum linitos postes atque aditus perviderct, transjecit gressus, et non est ausus intrare. Nunc ergo si viderit inimicus non postibus impositum sanguinem Typi, sed fidelium ore lucentem Sanguinem veritatis Christi templi postibus dedicatum, multo magis se subtrahet. Si enim Angelus cessit exemplo, quanto magis terrebitur inimicus, si ipsam perspexerit veritatem? Vis et aliam hujus Sanguinis scrutare virtutem? volo, unde primum cucurrit, inspicias, et de quo fonte manavit. De ipsa primum Cruce processit; Latus illud Dominicum initium fuit. Mortuo, enim, ait, Jesu, et adhuc in Cruce pendente, approximat miles; Latus lancea percussit, et exinde aqua fluxit, et Sanguis. Unum baptismatis symbolum, aliud sacramenti. Ideo non ait: Exiit Sanguis, et aqua; sed exiit aqua primum, et Sanguis. Quia primum baptismate diluimur, et postea mysterio dedicamur.

℟. Empti estis pretio magno: * Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.

℣. Pretio empti estis: nolite fieri servi hominum. Glorificate etc.

Lectio VI.

Latus miles aperuit, et templi sancti parietem patefecit. Et ego thesaurum praeclarum inveni, et fulgentes divitias me gratulor reperire. Sic et de illo agno factum est. Judaei ovem occiderunt, et ego fructum de sacramento cognovi. De latere Sanguis, et aqua. Nolo tam facile, auditor, transeas tanti secreta mysterii. Restat enim mihi mystica atque secretalis oratio. Dixi baptismatis symbolum et mysteriorum, aquam illam et Sanguinem demonstrare. Ex his enim sancta fundata est Ecclesia per lavacri generationem, et renovationem Spiritus Sancti. Per baptisma, inquam, et mysteria, quae ex latere videntur esse prolata. Ex latere igitur suo Christus aedificavit Ecclesiam, sicut de latere Adam ejus conjux Heva prolata est. Nam hac de causa Paulus quoque testatur, dicens: De corpore ejus, et de ossibus ejus sumus: Latus videlicet illud significans: Nam, sicut de illo Latere Deus fecit feminam procreari, sic et de suo Latere Christus aquam nobis et sanguinem dedit, unde reparetur Ecclesia.

℟. Commendat charitatem suam Deus in nobis, * Quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.

℣. Multo igitur magis nunc justificati in Sanguine ipsius. Quoniam etc. Gloria Patri etc. Quoniam etc.

In III. Nocturno.

Antiph. Exivit ergo Jesus, portans Coronam Spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis: Ecce Homo.

Psalm. 73.

Ut quid Deus repulisti in finem,* iratus est furor tuus super oves pascuae tuae?

Memor esto congregationis tuae,* quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam haereditatis tuae, * mons Sion, in quo habitasti in eo.

Leva manus tuas in superbias eorum in finem, * quanta malignatus est inimicus in sancto?

Et gloriati sunt, qui oderunt te, * in medio solemnitatis tuae.

Posuerunt signa sua, signa, * et non cognoverunt, sicut in exitu super summum.

Quasi in silva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum, * in securi et ascia dejecerunt eam.

Incenderunt igni Sanctuarium tuum, * in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul, * Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vidimus, jam non est propheta: * et nos non cognoscet amplius.

Usquequo Deus improperabit inimicus, * irritat adversarius nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam, et dexteram tuam;* de medio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante saecula, * operatus est salutem in medio terrae.

Tu confirmasti in virtute tua mare, * contribulasti capita draconum in aquis.

Tu confregisti capita draconis; * dedisti eum escam populis Æthiopum.

Tu dirupisti fontes, et torrentes; * tu ficcasti fluvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox: * tu fabricatus es auroram, et solem.

Tu fecisti omnes terminos terrae, * aestatem et ver tu plasmasti ea.

Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino; * et populus insipiens incitavit nomen tuum.

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi: * et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Respice in testamentum tuum; * quia repleti sunt, quia obscurati sunt, terrae domibus iniquitatum.

Ne avertatur humilis factus confusus; * pauper, et inops laudabunt nomen tuum.

Exurge Deus, judica causam tuam; * memor esto improperiorum tuorum, eorum, quae ab insipiente sunt tota die.

Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum; * superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

Ant. Exivit ergo Jesus, portans Coronam Spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis: Ecce Homo.

Ant. Et bajulans sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum; ubi crucifixerunt eum.

Psalm. 87.

Domine Deus salutis meae; * in die clamavit et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea; * inclina aurem tuam ad precem meam.

Qui repleta est malis anima mea: * et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum discendentibus in lacum; * factus sum, sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius; * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me de lacu inferiori; * in tenebrosis; et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus; * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me;* posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar; * oculi mei languerunt prae inopia.

Clamavi ad te Domine, tota die; * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia; * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam; * et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua; * et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te Domine, clamavi; * et mane oratio mea praeveniet te.

Ut quid Domine, repellis orationem meam; * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea; * exultatus autem, humiliatus sum, et conturbatus.

In me transierunt irae tuae, * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die; * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum, et proximum; * et notos meos a miseria.

Ant. Et bajulans sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum; ubi crucifixerunt eum.

Ant. Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua.

Psalmus 93.

Deus ultionum Dominus: * Deus ultionum libere egit.

Exaltare, qui judicas terram * redde retributionem superbis?

Usquequo peccatores, Domine;* usquequo peccatores gloriabuntur?

Effabuntur, et loquentur iniquitatem: * loquentur omnes qui operantur injustitiam?

Populum tuum Domine, humiliaverunt: * et haereditatem tuam vexaverunt.

Viduam et advenam interfecerunt: * et pupillos occiderunt.

Et dixerunt: Non videbit Dominus: * nec intelliget Deus Jacob.

Intelligite insipientes in populo: * et stulti aliquando sapite.

Qui plantavit aurem, non audiet: * aut qui finxit oculum, non considerat?

Qui corripit gentes, non arguet:* qui docet hominem scientiam?

Dominus scit cogitationes hominum: * quoniam vanae sunt.

Beatus homo, quem tu erudieris Domine: * et de lege tua docueris eum.

Ut mitiges ei a diebus malis; * donec fodiatur peccatori fovea.

Quia non repellet Dominus plebem suam, et haereditatem suam non derelinquet.

Quoadusque justitia convertatur in judicium; * et qui juxta illam, omnes, qui recto sunt corde.

Quis consurget mihi adversus malignantes; * aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?

Nisi quia Dominus adjuvit me;* paulo minus habitasset in inferno anima mea.

Si dicebam: Mntus est pes meus; * misericordia tua Domine, adjuvabat me.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuae laetificaverunt animam meam.

Numquid adhaeret tibi sedes iniquitatis? * qui fingis laborem in praecepto?

Captabunt in animam justi; et sanguinem innocentem condemnabunt.

Et factus est mihi Dominus in refugium: * et Deus meus in adjutorium spei meae.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos; * disperdet illos Dominus Deus noster.

Antiph. Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua.

℣. Christus dilexit nos.

℟. Et lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. *Cap. 19.*

In illo tempore: Dum accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Trat. 120. in Joan.

Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed aperuit, ut illic quodammodo vitae ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Ille Sangnis in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum: haec et lavacrum praestat, et potum. Hoc praenuntiabat, quod Noe in latere Arcae ostium facere jussus est, qua intrarent animalia, quae non erant diluvio peritura, quibus praefigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, et appellata est vita, materque vivorum: Magnum quippe significavit bonum, ante magnum praevaricationis malum. Hic secundus Adam inclinato capite in Cruce dormivit: ut inde formaretur ei conjux, quae de latere dormientis effluxit: O mors, unde mortui reviviscunt! Quid isto Sanguine mundius? Quid Vulnere isto salubrius?

℟. Hic est, qui venit per aquam, et Sanguinem, Jesus Christus: * Non in aquam solum, sed in aqua, et Sanguine.

℣. In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris. Non in aqua.

Benedict. Divinum:

Lectio VIII.

Tenebantur homines captivi sub diabolo, et doemonibus serviebant. Sed redempti sunt a captivitate: Vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, et dedit pretium: Fudit sanguinem suum, et emit orbem terrarum. Quaeritis, quid emerit? Videte, quid dederit, et invenietis quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid nisi totus orbis? Quid nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt pretio suo, aut multum superbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parum est, ut solos Afros emerit, aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit datum. Non ergo exultent; non superbiant: Pro toto dedit, quantum dedit.

℟. Praedestinavit nos Deus in adoptionem filiorum per Jesum Christum: * In quo habemus re-

demptionem per Sanguinem ejus.

℟. Remissionem peccatorum secundum divitias gratiae ejus; quae superabundavit in nobis. In quo etc. Gloria Patri In quo etc.

Lectio IX. Homil. feriae.

AD LAUDES.

Et per horas.

Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venerunt?

Ps. Dominus regnavit, *cum reliq. de Dominica.*

Ant. Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas in Sanguine Agni.

Ant. Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte.

Ant. Et ipsi vicerunt draconem propter testamentum verbi sui.

Ant. Beati, qui lavant stolas suas in Sanguine Agni.

Capitulum. *Heb. 9.*

Fratres: Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, idest non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa:

Hymnus.

Salvete Christi vulnera,
Immensi amoris pignora,
Quibus perennes rivuli
Manant rubentis Sanguinis.

Nitore stellas vincitis,
Rosas odore et balsama,
Pretio lapillos Indicos,
Mellis favos dulcedine.

Per vos patet gratissimum
Nostris asylum mentibus,
Non huc furor minantium
Unquam penetrat hostium.

Quot Jesus in Praetorio
Flagella nudus excipit!
Quot scissa pellis undique
Stillat Cruoris guttulas!

Frontem venustam, proh dolor!
Corona pungit Spinea.
Clavi retusa cuspide
Pedes manusque perforant.

Postquam sed ille tradidit
Amans volensque spiritum,
Pectus feritur lancea,
Geminusque liquor exilit.

Ut plena sit redemptio,
Sub torculari stringitur,
Suique Jesus immemor,
Sibi nil reservat Sanguinis.

Venite quotquot criminum
Funesta labes inficit:
In hoc salutis balneo,
Qui se lavat, mundabitur.

Summi ad Parentis dexteram
Sedenti habenda est gratia,
Qui nos redemit Sanguine,
Sanctoque firmat Spiritu. Amen.

℣. Justificati in Sanguine Christi.
℟. Salvi erimus ab ira per ipsum.

Ad Benedictus.

Antiph. Erit Sanguis Agni vobis in signum, dicit Dominus: Et videbo Sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Unigenitum Filium tuum Mundi Redemptorem constituisti, ac ejus Sanguine placari voluisti, concede, quaesumus, salutis nostrae pretium, solemni cultu ita venerari, atque a praesentis vitae malis ejus virtute defendi in terris, ut fructu perpetuo laetemur in coelis. Qui tecum vivit, et regnat in unitate etc.

Ad prim. in ℟. br. ℣. Qui tuo nos Sanguine redemisti.

Ad Tertiam Ant. Hi sunt:

Capitul. Fratres, *ut supra.*

℟. *br.* Redemisti nos Domine. * In Sanguine tuo. Redemisti.

℣. Ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione. In Sanguine etc. Gloria Patri etc. Redemisti etc.

℣. Sanguis Jesu Christi Filii Dei.

℟. Emundat nos ab omni peccato.

Ad Sextam. Ant. Ideo sunt.

Capitulum *Hebr. 9.*

Si sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis. Quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?

℟. *br.* Sanguis Jesu Christi filii Dei * Emundat nos. Sanguis etc.

℣. Ab omni peccato. Emundat nos. Gloria Patri etc. Sanguis etc.

℣. Christus dilexit nos.

℟. Et lavit nos in Sanguine suo.

Ad Nonam. Ant. Beati.

Capitulum *Hebr. 9.*

Accipiens Moyses sanguinem vitulorum, et hircorum cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.

℟. *br.* Christus dilexit nos, et lavit nos. * In Sanguine suo. Christus etc.

℣. Et fecit nos Regnum, et Sacerdotes Deo, et Patri. In sanguine suo etc. Gloria Patri etc. Christus etc.

℣. Justificati in Sanguine Christi.

℟. Salvi erimus ab ira per ipsum.

IN II. VESPERIS.

Ant., *Psal.*, *et Hymn. ut in primis, sed loco ult. Psalmi dic.* Lauda Jerusalem Dominum.

℣. Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni.

℟. Quos pretioso Sanguine redemisti.

Ad Magnificat.

Ant. Habebitis autem hunc diem in monumentum: et celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris, cultu sempiterno.

FERIA SEXTA.

Post Dominic. 4. Quadrag.

FEST. SACRATISS. SINDONIS D. N. JESU CHRISTI.

Duplex Majus.

AD VESPERAS.

Ant. Joseph nobilis Decurio, *cum reliq., ut infr. ad Laud. Ps.* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, et loco ult. Psal.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. *Isaiae 63.*

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae? Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

Hymnus.

Gloriam sacrae celebremus omnes
Sindonis, laetis recolamus hymnis.
Et piis votis monumenta nostrae
Certa salutis.

Quae refert semper veneranda Sindon
Sanguine impressis decorata signis.
Dum Cruce ex alta tulit involutum
Corpus Jesu.

Reddit haec saevos animo dolores:
Quos tulit casum miseratus Adae,
Chistus humani generis Redemptor
Morte perempta,

Saucium ferro latus, atque palmas,
Et pedes clavis lacerata flagris,
Membra, et infixam capiti coronam
Monstrat Imago.
Quis pius siccis oculis, et absque
Intimi cordis gemitu notata,
Vivaque indignae simulacra mortis
Cernere possit?
Nostra cum solum tibi Christe culpa
Caussa tantorum fuerit malorum,
Nostra debetur tibi vita: Vitam
Dedimus ipsam.
Sit tibi, Fili, decus, atque virtus,
Qui tuo mundum redimis cruore,
Quique cum summo Genitore, et almo
Flamine regnas. Amen.

℣. Tuam Sindonem veneramur Domine.

℟. Tuam recolimus passionem.

Ad Magnificat, *Antiphona*.

Joseph vir bonus, et justus accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu, quo accepto involvit illud in Sindone munda.

Oremus.

Deus, qui nobis in Sancta Sindone, qua Corpus tuum Sacratissimum e Cruce depositum a Joseph involutum fuit, passionis tuae vestigia reliquisti, concede propitius, ut per mortem, et sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis, et regnas etc.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Dominum, qui passionis suae memoriam in Sacra Sindone renovat: Venite adoremus.

Psal. Venite exultemus etc.

Hymnus.

Mysterium mirabile
Luce nobis panditur,
Verus Dei cum Filius
Mortem cruentam sustinet,
Caussam tuendo servuli,
Reique formam vestiens,
Pro servo herus suspenditur,
Pro sonte justus plectitur.
Necis manent insignia,
Impressa Sacra in Sindone,
Quae post triumphum nobilem
Corpus cruentum involverat.
Sunt mortis haec, et Tartari,
Mundique victi insignia,
Trophaea sunt haec inclyta
Ductoris invictissimi.
Debemus ergo hanc gratiam
Nostrae salutis vindici,
Ut daemonia contra dolos
Hac militemus tessera.
Vitae vetustae mortui,
Surgamus in vitam novam;
Christum secuti per crucem,
Christi fruemur gloria.
Praesta Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari.

Psalmus 4.

Cum invocarem exaudivit me Deus justitiae meae: * in tribulatione dilatasti mihi

Miserere mei: * et exaudi orationem meam.

Filii hominum usquequo gravi corde: * ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: * Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare, quae dicitis in cordibus vestris: * in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiae,

et sperate in Domino: * multi dicunt, quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: * dedisti laetitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et olei sui: * multiplicati sunt.

In pace in idipsum: * dormiam, et requiescam.

Quoniam tu Domine, singulariter in spe: * constituisti me.

Antiph. Rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari.

Antiph. Aspersus est sanguis super vestimenta mea, omnia indumenta mea inquinavi.

Psalm. 15.

Conserva me, Domine, quoniam speravi in te: * dixi Domino, susceptor meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus: * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatae sunt infirmitates eorum: * postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei: * tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in praeclaris: * etenim haereditas mea praeclara est mihi.

Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum: * insuper, et usquè ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper; * quoniam a dexteris est mihi, ne commovear.

Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea; * insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno; * nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo: * delectationes in dextera tua usque in finem.

Antiph. Aspersus est sanguis super vestimenta mea omnia indumenta mea inquinavi.

Antiph. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Psalmus 14.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo: aut qui requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula; * et operatur justitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo; * qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit proximo suo malum; * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus; * timentes autem Dominum glorificat.

Qui jurat proximo suo, et non decipit; * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit haec; * non movebitur in aeternum.

Antiph. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

℣. Tuam Sindonem veneramur Domine.

℣. Tuam recolimus passionem.

De Isaia Propheta.

Lectio I. *Cap. 53.*

Quis credidit auditui nostro, et

brachium Domini cui revelatum est; et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum despectum, et novissimum virorum, et virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipsé portavit, et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.

℟. Ecce vidimus eum non habentem speciem, neque decorem. Aspectus ejus in eo non est: Hic peccata nostra portavit, et pro nobis dolet: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: * Cujus livore sanati sumus.

℣. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Cujus etc.

Lectio II.

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum, de angustia, et de judicio sublatus est; generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussi eum, et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.

℟. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? * Et dicet his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

℣. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi. Et dicet his, etc.

Lectio III.

Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate, si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur: in scientia sua, justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

℟. Tuam Sindonem veneramur Domine, tuam gloriosam recolimus passionem, * Miserere nobis, qui passus es pro nobis.

℣. Salva praesentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam. Miserere etc. Gloria Patri etc. Miserere etc.

In II. Nocturno.

Ant. Quasi absconditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum.

Psalm. 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus; * orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Do-

mini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde: * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Jacob.

Attolite portas Principes vestras, et elevamini portae aeternales; * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae: * Dominus fortis, et potens, Dominus potens in praelio.

Attollite portas principes vestras; et elevamini portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae: * Dominus virtutum, ipse est Rex gloriae.

Ant. Quasi absconditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum.

Ant. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Psal. 26.

Dominus illuminatio mea, et salus mea, * quem timebo?

Dominus protector vitae meae,* a quo trepidabo?

Dum appropiant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei,* ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.

Si exurgat adversum me praelium: * in hoc ego sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requiram * ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meæ.

Ut videam voluptatem Domini,* et visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: * in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me: * et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: * cantabo, et psalmum dicam Domino.

Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te: * miserere mei, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: * faciem tuam Domine requiram.

Ne avertas faciem tuam a me,* ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto: ne derelinquas me: * neque despicias me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus, et mater mea dereliquerunt me: * Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Domine, in via tua: * et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: * quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini, * in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age,* et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Ant. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Ant. Tradidit in mortem animam suam, et ipse peccata multorum tulit.

Psal. 29.

Exaltabo te, Domine, quoniam

suscepisti me ; * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine, Deus meus, clamavi ad te ; * et sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animam meam, * salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino sancti ejus; * et confitemini memoriae sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus, * et vita in voluntate ejus.

Ad vesperam demorabitur fletus, * et ad matutinum laetitia.

Ego autem dixi in abundantia mea, * non movebor in aeternum.

Domine in voluntate tua, * praestitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me; * et factus sum conturbatus.

Ad te Domine clamabo, * et ad Deum meum deprecabor.

Quae utilitas in sanguine meo? * dum descendo in corruptionem ?

Numquid confitebitur tibi pulvis, * aut annunciabit veritatem tuam ?

Audivit Dominus, et misertus est mei : * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi: * conscidisti saccum meum : et circumdedisti me laetitia.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar : * Domine Deus meus in aeternum confitebor tibi.

Ant. Tradidit in mortem animam suam, et ipse peccata multorum tulit.

℣. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Sermo Sancti Ambrosii Episcopi.

Luc. 23. Lectio IV.

Quid sibi vult, quod non Apostoli, sed Joseph, et Nicodemus, ut Joannes dicit: Christum sepeliunt? Unus Justus, et constans, alter, qui erat Magister in Israel. Talis enim Christi est sepultura, quae justitiam, magisteriumque habeat. Obstruitur igitur tergiversandi locus, et domestico Judaei testimonio revincuntur. Nam si Apostoli sepelissent, dicerent utique non sepultum quem raptum esse dixerunt. Justus autem Christi Corpus operit Sindone, innocens ungit unguento. Namque haec non otiose distincta reperimus ; quia justitia vestit Ecclesiam, innocentia gratiam subministrat.

℟. O Admirabilis Sindon, in qua involutus est Thesaurus noster * Redemptio captivorum.

℣. Gandet totus mundus, qui redemptus est sanguine Domini sui. Redemptio etc.

Lectio V.

Vesti ergo et tu Domini corpus gloria sua, ut et ipse sis justus. Et si mortuum credis, operi tamen divinitatis propriae plenitudine; unge illud myrra, et aloe, ut bonus odor Christi sis. Bonum linteum misit Joseph ille vir justus; et fortasse illud, quod Petrus vidit e coelo ad se esse demissum, in quo erant genera quadrupedum, et ferarum, et volucrum ad similitudinem gentilium figurata. Mistico igitur unguento illo pystico consepelietur Ecclesia, quae diversitatem populorum fidei suae communione sociavit.

℟. Tulerunt tunicam Joseph fratres ejus, et in sanguine haedi, quem occiderunt, tinxerunt, mit-

tentes, qui ferret ad Patrem, et diceret: * Hanc invenimus, vide num tunica filii tui sit, an non?

℣. Quam cum cognovisset Pater, ait, tunica filii mei est, fera pessima devoravit eum. Hanc invenimus etc.

Lectio VI.

Hunc Joseph justum Lucas dixit, Matthaeus divitem, merito dives hoc loco dicitur ubi corpus suscipit Christi, suscipiendo enim divitem nesciunt fidei paupertatem. Dives est ergo, qui justus est; Justus igitur Sindone involvit, Israelita vero, et diversos miscet virtutum odores, et aloes mittit quasi libras centum, hoc est perfectae fidei quantitatem. Et ligaverunt Corpus Jesu juxta consuetudinem specialem Judaeorum, non utique nodis perfidiae, sed fidei ligaturis, et posuerunt in horto, cui frequenter Ecclesia comparatur, quae diversorum habet poma meritorum, floresque virtutum.

℣. Christus passum est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus: * Qui peccatum non fecit; nec inventus est dolus in ore ejus.

℟. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur Qui peccatum etc. Gloria etc. Qui peccatum etc.

In III. Nocturno.

Ant. Caro mea requiescet in spe, quia dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Psalm. 53.

Deus in nomine tuo salvum me fac; * et in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam: * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me: * et fortes quaesierunt animam meam: et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: * et Dominus susceptor est animae meae.

Averte mala inimicis meis; * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi; * et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me; * et super inimicos meos despexit oculus meus.

Antiph. Caro mea requiescet in spe, quia non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Ant. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.

Psal. 75.

Notus in Judaea Deus, * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus, * et habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit potentias arcuum, * scutum, gladium, et bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis; * turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum; * et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua Deus Jacob; * dormitaverunt, qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es, et quis resistet tibi; * ex tunc ira tua.

De coelo auditum fecisti judicium; * terra tremuit et quievit.

Cum exurgeret in judicium Deus; * ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.

Quoniam cogitatio hominis con-

fitebitur tibi; et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro; * omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.

Terribili, et ei, qui aufert spiritum principum, * terribili apud Reges terrae.

Ant. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.

Ant. Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.

Psalmus 87.

Domine Deus salutis meae; * in die clamavi et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea; * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea; * et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum; * factus sum, sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius; * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me de lacu inferiori? * in tenebrosis, et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus, * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me, * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar; * oculi mei languerunt prae inopia.

Clamavi ad te Domine, tota die; * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia; * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam * et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua; * et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te Domine, clamavi; * et mane oratio mea praeveniet te.

Ut quid Domine, repellis orationem meam; * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea; * exaltatus autem, humiliatus sum, et conturbatus.

In me transierunt irae tuae, * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die; * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum, et proximum: * et notos meos a miseria.

Ant. Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.

℟. Omnis terra adoret te, et psallat tibi.

℣. Psalmum dicat nomini tuo Domine.

Lectio Sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio VII. *Cap.*

In illo tempore, cum jam sero factum esset, quia erat Parasceve, quod est ante Sabbatum, venit Joseph ad Arimathaea nobilis Decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Parasceve graece, latine praeparatio dicitur, quo nomine Judaei, qui inter Graecos morabantur sextam Sabbati appellabant, eo quod in illo ea, quae requiei Sabbati necessaria essent, praepa-

rare solerent. Juxta hoc, quod de manna quondam praeceptum est: Sexta autem die colligetis duplum. Quia ergo sexta die factus est homo, et tota est mundi creatura perfecta: septima autem conditor ab opere suo requievit, unde, et hanc Sabbatum, hoc est requiem voluit appellari: recte Salvator eadem sexta die crucifixus humanae restaurationis implevit arcanum; ideoque, cum accepisset acetum, dixit consummatum est, hoc est sextae diei, quod pro mundi refectione suscepi, jam totum est opus expletum. Sabbato autem in sepulcro requiescens resurrectionis, quae octava die ventura erat, expectabat eventum.

℟. Mercatus est Joseph Sindonem mundam, ut involveret in ea Corpus Domini: * Venit ergo, et tulit Corpus ejus.

℣. Rogavit Pilatum Joseph ab Arimathaea, ut tolleret Corpus Jesu. Venit ergo etc.

Lectio VIII.

Venit, inquit, Joseph ab Arimathaea nobilis Decurio, qui, et ipse erat expectans Regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit Corpus Jesus. Magnae quidem Joseph iste dignitatis ad saeculum, sed majoris apud Deum meriti fuisse laudatur. Talem namque existere decebat eum, qui Corpus Domini sepeliret, qui et per justitiam meritorum tali ministerio dignus esset, et per nobilitatem potentiae saecularis facultatem posset obtinere ministrandi; non enim quilibet ignotus, aut mediocris ad Praesidem accederet, et crucifixi Corpus poterat impetrare.

℟. Haec est Sindon dignissima, in qua salutis auctor de Cruce depositus involvi dignatus est; * Ut nos consepulti cum eo, veteris hominis exuviis depositis innocentiae Sindone tegeremur.

℣. Felix Domus Sabaudiae, quæ tanto pignore ditata, sacro hoc munere gloriatur. Ut etc. Gloria Patri etc. Ut etc. *Lectio IX. Homil. fer., et in fine. dic.* Te Deum.

AD LAUDES.

Et per horas.

Joseph nobilis Decurio, vir bonus, et justus, et ipse dives erat expectans Regnum Dei.

Psal. Dominus regnavit, *cum reliq. de Dom.*

Ant. Hic audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu.

Ant. Cum cognovisset Pilatus a Centurione, quod jam mortuus esset, donavit corpus Jesu.

Ant. Joseph autem mercatus Sindonem, et deponens eum, involvit Sindone.

Ant. Posuit eum in monumento, in quo nondum quisquam positus fuerat.

Capitulum.

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra: Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suae? ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

Hymnus.

Jesu, dulcis amor meus!
Ac si praesens sis, accedo,
Te complector cum affectu,
Tuorum memor vulnerum.
O quam nudum hic te cerno,
Vulneratum, et distensum,
Inquinatum, involutum
In hoc sacro tegmine.
Salve caput cruentum
Spinis; cujus dulcis vultus

Immutavit suum florem,
Quem Coeli premit Curia.
Salve latus Salvatoris,
Salve mitis apertura,
Super rosam rubicunda,
Medela salutifera.
Manus sanctae vos avete,
Diris clavis perforatae;
Ne repellas me Salvator
De tuis sanctis Pedibus. Amen.

℣. Dominus regnavit, decorem induit.

℟. Induit Dominus fortitudinem, et praecinxit se virtute.

Ad Benedictus.

Antiph. Joseph nobilis Decurio expectans et ipse regnum Dei, mercatus est Sindonem, et deponens Corpus Jesu involvit illud in Sindone.

Oremus.

Deus, qui nobis in Sancta Sindone, qua Corpus tuum Sacratissimum e Cruce depositum a Joseph involutum fuit, passionis tuae vestigia reliquisti, concede propitius; ut per mortem, et sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis, et regnas etc.

Ad Tertiam.

Ant. Hic audacter introivit etc.

Capitul. Quis est iste, *ut sup.*

℟. *br* Tuam Sindonem * veneramur Domine. Tuam Sindonem: ℣. Tuam recolimus passionem. Veneramur etc Gloria Patri etc. Tuam Sindonem etc.

℣. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per mortem tuam redemisti mundum.

Ad Sextam.

Antiph. Cum cognovisset etc.

Capitulum.

Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari! torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.

℟. *brev.* Adoramus te Christe, et benedicimus tibi. Adoramus. ℣. Quia per mortem tuam redemisti mundum. Benedicimus etc. Gloria Patri etc. Adoramus etc.

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nomini tuo Domine.

Ad Nonam, Antiph. Posuit cum.

Capitulum.

Circumspexi, et non erat auxiliator, quaesivi, et non fuit qui adjuvaret, et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.

℟. *brev.* Omnis terra adoret te, et psallat tibi. Omnis etc. ℣. Psalmum dicat nomini tuo Domine. Et psallat etc. Gloria etc. Omnis terra etc.

℣. Dominus regnavit decorem induit.

℟. Induit Dominus fortitudinem, et praecinxit se virtute.

In II. Vesperis.

Ant. Joseph nobilis Decurio, *cum reliquis in laud. de Laudib.*

Psalm. Dixit Dominus, *cum reliquis de Domin. et ultimo loco ultimi psal.*

Psalm. 141.

Voce mea ad Dominum clamavi: * voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam, * et tribulationem meam ante ipsum pronuncio.

In deficiendo ex me spiritum meum: * et tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam, * absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam: * et non erat, qui cognosceret me.

Periit fuga a me: * et non est, qui requirat animam meam.

Clamavi ad te Domine: * dixi; tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me: * quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: * me expectant justi donec retribuas mihi.

Ant. Posuit eum in monumento, in quo nondum quisquam positus fuerat.

Capitulum. *Isaie 63.*

Quis est iste, *ut in primis vesp.*

Hymnus.

Gloriam sacrae, *ut in primis vesp.*

Ad Magnificat.

Antiph. Homo quidam dives ab Arimathaea, nomine Joseph, accepto Corpore Jesu, involvit illud in Sindone munda.

OFFICIA SANCTORUM

FESTA JANUARII

Dominica II. post Epiphaniam.
OFFICIUM
SS. NOMINIS JESU
Dupl. 2. class.
Ad Vesp. Antiph.

Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Psal. Dixit Dominus. *Cum reliquis de Dominica, et loco ultimi, Psal.* Credidi.

Antiph. Sanctum, et terribile nomen ejus, initium sapientiae timor Domini.

Antiph. Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo.

Antiph. A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.

Antiph. Sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Capitulum. *Phil. 2.*

Fratres, Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod, et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur.

Hymnus.

Jesu, dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia:
Sed super mel, et omnia,
Ejus dulcis praesentia.
Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus Dei Filius.
Jesu, spes poenitentibus,
Quam pius es petentibus!
Quam bonus te quaerentibus!
Sed quid invenientibus?
Nec lingua valet dicere,
Nec litera exprimere;
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.
Sis Jesu nostrum gaudium,
Qui es futurus praemium:
Sit nostra in te gloria,
Per cuncta semper sæcula. Amen.

℣. Sit nomen Domini benedictum, Alleluja.

℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum, Allel.

Ad Magnif.

Ant. Fecit mihi magna, qui potens est; et sanctum nomen ejus, Alleluja.

Oratio.

Deus, qui Unigenitum Filium tuum constituisti humani generis Salvatorem, et Jesum vocari jussisti: concede propitius; ut, cujus sanctum nomen veneramur in terris, ejus quoque aspectu perfruamur in coelis. Per eumdem Dominum nostrum.

Deinde fit com. Domin. II. post Epiphaniam.

Ad Complet. et per Horas diei, in fine Hymn. dicitur:

Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine.

Ad Matut. Invitat.

Admirabile nomen Jesu, quod est super omne nomen: * Venite adoremus.

Psal. Venite exultemus.

Hymnus.

Jesu, Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.

Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.

Jesu dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

Jesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite;
Jesum ardenter quaerite,
Et quaerendo inardescite.

Te nostra Jesu vox sonet,
Nostri te mores exprimant;
Te corda nostra diligant,
Et nunc, et in perpetuum. Amen.

In I. Noct.

Ant. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Psal. 8. Domine Dominus noster *cum reliquis ut in Offic. parv. B. M. V. Psal. vero iste incip. a 2. versic.* Quoniam elavata est.

Ant. In nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum.

Psalm. 18. Coeli enarrant gloriam Dei, etc.

Ant. Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: mementote, quoniam excelsum est nomen ejus.

Psal. 22. Domini est terra, etc.

℣. Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo.

℟. Multum est enim.

Absolutio. Exaudi Domine.

Benedictio. Benedictione perpetua.

De Actibus Apostolorum.

Lectio I. Cap. 3.

Petrus autem, et Joannes ascendebant in Templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suae, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quae dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is cum vidisset Petrum, et Joannem incipientes introire in Templum, rogabat, ut eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit: Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum, et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula. Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum. Et protinus consolidatae sunt bases ejus, et plantae. Et exiliens stetit, et ambulabat, et intravit cum illis in Templum ambulans, et exiliens, et laudans Deum.

℟. Ecce concipies, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum: * Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

℣. Vocatum est nomen ejus Jesum, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Ipse enim.

Benedictio. Unigenitus Dei Filius.

Lectio II.

Et vidit omnis populus eum ambulantem, et laudantem Deum. Cognoscebant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam Templi: et impleti sunt stupore, et extasi in eo, quod contigerat illi. Cum teneret autem Petrum et Joannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quae appellatur Salomonis, stupentes. Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israelitae, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem sanctum, et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis. Auctorem vero vitae interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus. Et in fide nominis ejus hunc, quem vos vidistis, et nostis, confirmavit nomen ejus: et fides, quae per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.

℟. Benedictum est nomen tuum, Deus Patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiae recordaberis: * Et in tempore tribulationis peccata dimittis.

℣. Et benedictum nomen Majestatis tuae in aeternum, qui facis mirabilia solus. Et in tempore.

Benedictio. Spiritus Sancti.

Lectio III. *Cap. 4.*

Factum est autem in crastinum, ut congregarentur principes eorum et seniores, et scribae in Jerusalem, et Annas princeps sacerdotum, et Caiphas, et Joannes, et Alexander, quotquot erant de genere sacerdotali, et statuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos? Tunc repletus Spiritu Sancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, et seniores, audite: Si nos bodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, notum sit omnibus vobis, et omni plebe Israel: quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis aedificantibus, qui factus est in caput anguli, et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

℟. Laudabo nomen tuum assidue, * Et collaudabo illud in confessione.

℣. Laetabor, et exultabo in te: psallam nomini tuo, Altissime. Et collaudabo. Gloria Patri. Et.

In II. Noct.

Ant. Memores erunt nominis tui, Domine, in omni generatione, et generationem.

Ps. 44. Eructavit cor meum, etc.

Ant. Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Psalm. 45. Deus noster refugium, etc.

Ant. Omnes gentes quascumque fecisti venient, et adorabunt co-

ram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum.

Psal. 86. Fundamenta ejus etc.

℣. Propter gloriam nominis tui Domine libera nos.

℟. Et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Absolutio. Ipsius pietas. *Benedictio.* Deus Pater.

Sermo S. Bernardi Abbatis

Serm. 15. super Cantica, circa medium.

Lectio IV.

Non otiose Spiritus Sanctus nomen sponsi oleo comparat, cum ita doceat sponsam ad sponsum clamare: Oleum effusum nomen tuum. Oleum enim lucet, pascit, et ungit. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem: lux, cibus, medicina. Vide idem nunc et de sponsi nomine: Lucet praedicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit, et ungit. Et percurramus singula. Unde putas in toto orbe tanta, et tam subita fidei lux, nisi de praedicato nomine Jesu? Nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen suum, quibus illuminatis, et in lumine isto videntibus lumen, dicat merito Paulus: Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino?

℟. Sperent in te, qui noverunt nomen tuum. * Quoniam non dereliquisti quaerentes te Domine.

℣. Exurge Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum. Quoniam.

Benedictio. Christus perpetuae.

Lectio V.

Hoc denique nomen coram Regibus, et Gentibus, et filiis Israel portare jussus est idem Apostolus, et portabat nomen, tamquam lumen, et illuminabat patriam, et clamabat ubique: Nox praecessit, dies autem appropinquavit; abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus. Et monstrabat omnibus lucernam super candelabrum, annuntians in omni loco Jesum, et hunc crucifixum. Quomodo lux ista resplenduit, ac perstrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri tamquam fulgur egrediens, claudi unius corporales plantas solidavit, et bases, multosque spiritualiter caecos illuminavit? Numquid non ignem sparsit, cum ait: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula?

℟. Confiteamur nomini tuo magno: * Quoniam terribile, et sanctum est.

℣. Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. Quoniam.

Benedictio. Ignem sui amoris.

Lectio VI.

Nec tantum lux est nomen Jesu, sed est et cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid aeque mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos, atque honestos, castas fovet affectiones? Aridus est omnis animae cibus, si non oleo isto infunditur. Insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum. Si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est et medicina. Tristatur aliquis nostrum? veniat in cor ejus Jesus, et inde saliat in os. Et ecce ad exortum nominis

lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen? currit insuper ad laqueum mortis desperando? Nonne, si invocet nomen vitae, confestim respirabit ad vitam?

℟. Laetentur omnes, qui sperant in te, Domine, in aeternum exultabunt, et habitabis in eis, et gloriabuntur in te omnes: * Qui diligunt nomen tuum.

℣. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die. Qui. Gloria Patri. Qui.

In III. Noct.

Antiph. Cantate Domino, et benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem salutare ejus.

Psalm. 95. Cantate Domino.

Antiph. Secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terræ: justitia plena est dextera tua.

Psalm. 96. Dominus regnavit, exultet.

Ant. Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.

Psalm 97. Cantate Domino.

℣. Afferte Domino gloriam, et honorem.

℟. Afferte Domino gloriam nomini ejus.

Absolutio. A vinculis.

Benedictio. Evangelica lectio etc.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap. 2. b.*

In illo tempore: Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Serm. 1. de Circumcisione.

Magnum, et mirabile Sacramentum. Circumciditur puer, et vocatur Jesus. Quid sibi vult ista connexio? circumcisio nempe magis salvandi, quam Salvatoris esse videtur: et Salvatorem circumcidere potius decet, quam circumcidi. Sed agnosce mediatorem Dei, et hominum, qui ab ipso nativitatis suae exordio divinis humana sociat, ima summis. Nascitur ex muliere, sed cui foecunditatis fructus sic accedat, ut non decidat flos virginitatis Pannis involvitur, sed panni ipsi Angelicis laudibus honorantur. Absconditur in praesepio, sed proditur radiante stella de coelo. Sic et circumcisio veritatem susceptae probat humanitatis, et nomen, quod est super omne nomen, gloriam indicat majestatis. Circumciditur tamquam verus Abrahae filius: Jesus vocatur tamquam verus Filius Dei.

℟. Tribulationem, et dolorem inveni: * Et nomen Domini invocavi.

℣. Turris fortissima nomen Domini, in ipso speravi, et adjutus sum. Et nomen Domini invocavi.

Benedictio. Divinum auxilium.

Lectio VIII.

Neque enim ad instar priorum meus iste Jesus nomen vacuum, aut inane portat. Non est in eo magni nominis umbra, sed veritas. Coelitus siquidem inditum nomen Evangelista testatur: Quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Et attende verbi profunditatem: Postquam natus est Jesus. Jesus vocatur ab hominibus, qui vocatus est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Idem quippe et Angeli Salvator, et hominis; sed hominis ab incarnatione, Angeli ab

initio creaturae. Vocatum est, ait, nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo. In ore ergo duorum, vel trium testium stat omne verbum; et ipsum, quod in Propheta abbreviatum, manifestius in Evangelio legitur, caro factum.

℟. Expectabo nomen tuum, Domine: * Quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum.

℣. Ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua. Quoniam. Gloria. Quoniam.

Lectio IX. de Homil. Domin. II. post Epiph.

Te Deum laudamus.

Si contingat hoc Festum transferri, nona lectio erit sequens.

Merito sane dum circumciditur puer, qui natus est nobis, Salvator vocatur: quod videlicet ex hoc jam coeperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens. Neque enim jam quaerere est Christianis, cur voluerit Dominus Christus circumcidi. Propter hoc siquidem circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se, sed omnia propter electos. Nec in peccato genitus, nec a peccato circumcisus, nec mortuus est pro peccato suo: magis autem propter delicta nostra. Quod vocatum est, inquit, ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Vocatum plane, non impositum: nempe hoc ei nomen est ab aeterno. A natura propria habet, ut sit Salvator: innatum est ei nomen hoc, non inditum ab humana, vel Angelica creatura.

Te Deum laudamus.

Ad Laud. Et per Horas.

Antiphona.

Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulae dilexerunt te.

Psal. Dominus regnavit. *Cum reliq. de Dominica.*

Ant. Scitote, quia Dominus ipse est Deus, cujus nomen in aeternum.

Ant. Sitivit anima mea ad nomen sanctum tuum, Domine.

Ant. Benedictum nomen gloriae tuae sanctum, et laudabile, et superexaltatum in saecula.

Ant. Juvenes, et Virgines, senes cum junioribus laudate nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius.

Capitulum. *Philip. 2.*

Fratres, Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur.

Hymnus.

Jesu decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar coelicum.
Qui te gustant, esuriunt;
Qui bibunt, adhuc sitiunt;
Desiderare nesciunt,
Nisi Jesum, quem diligunt.
O Jesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animae:
Te quaerunt piae lacrymae,
Te clamor mentis intimae.
Mane nobiscum Domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsa mentis caligine,
Mundum reple dulcedine.
Jesu, flos Matris Virginis,
Amor nostrae dulcedinis
Tibi laus, honor nominis,
Regnum beatitudinis. Amen.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum, et terram,

Ad Benedict.

Ant. Dedit se, ut liberaret populum, et acquireret sibi nomen aeternum, Allel.

Oratio.

Deus, qui Unigenitum Filium tuum constituisti humani generis Salvatorem, et Jesum vocari jussisti: concede propitius; ut cujus sanctum nomen veneramur in terris, ejus quoque aspectu perfruamur in coelis. Per eumdem Dominum.

Postea fit comm. Domin. II. post Epiph.

Ad Primam.

℟. *brev.* Christe Fili.

℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam.

Antiph. Scitote.

Capit. Fratres, Christus humiliavit.

℟. *brev.* Sit nomen Domini benedictum, * Alleluja, alleluja. Sit nomen.

℣. Ex hoc nunc, et usque in saeculum. Alleluja, alleluja, Gloria Patri. Sit.

℣. Afferte Domino gloriam, et honorem, alleluja.

℟. Afferte Domino gloriam nomini ejus, allel.

Ad Sextam.

Antiph. Sivit.

Capitulum. Philiph. 2.

In nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum: et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

℟. *brev.* Afferte Domino gloriam, et honorem, * Alleluja, alleluja. Afferte.

℣. Afferte Domino gloriam nomini ejus, Alleluja, alleluja. Gloria Patri. Afferte.

℣. Magnificate Dominum mecum, allel.

℟. Et exaltemus nomen ejus in idipsum, allel.

Ad Nonam.

Antiph. Juvenes, et Virgines.

Capit. Coloss. 3.

Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum.

℟. *brev.* Magnificate Dominum mecum, * Alleluja, alleluja. Magnificate.

℣. Et exaltemus nomen ejus in idipsum, Alleluja, alleluja. Gloria. Magnificate.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini, alleluja.

℟. Qui fecit coelum, et terram, alleluja.

In 2. Vesp. omnia dicuntur sicut in primis.

Ad Magnif.

Ant. Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum, alleluja.

Orat. Deus, qui Unigenitum, etc. *ut supra.*

Deinde fit comm. Domin. II. post Epiphaniam.

DIE XVI. JANUARII

S. Marcelli I. Pp. M.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

EADEM DIE.

In festo S. Tammari Africani, Ep. Benev. et Conf Titul. Eccles. et Pagi S. Tammari Archidioec. Cap.

Duplex I. clas. cum Oct. Pro

dict. Pago tant., Omnia de Com. Conf. Pont. praeter sequ.

Oratio sequens concessa est pro Dioec. Benevent. tant.

Oratio.

Deus, qui beatum Tammarum Confessorem tuum, atque Pontificem admirabili sanctitate illustrare voluisti: concede propitius, ut ejus meritis et intercessione ad Coelum aliquando nos pervenire valeamus. Per Domin.

In primo Noct. Lect. Fidelis sermo, *ex cit. comm. Extra dict. Pagum vero de script. occ.*

In secundo, et tert. Noct. Lect. de eod. Com. 1. loco.

Die XX. januarii

Ss. Fabiani Pp. et Sebastiani *Mart. Duplex.*

Omnia ut in Breviario.

Die XXX. januarii

S. Felicis IV. Pp. C.

Duplex. De comm. C. P.

In Hymn. mutat. ℣.

Oratio. Exaudi.

In 1. Noct. Lect de script.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Felix Quartus Samnitis, Castoris filius, divina gratia copiose instructus, beato Joanne Papa in Theodorici Regis Italiae Ariani carcere defuncto, ob humilem pietatem, atque simplicitatem caeteris praelatus, celsum Romani Episcopatus locum promeruit. Per id tempus Athalaricus Theodorici successor, quamquam et ipse Arianus, Apostolicae tamen Sedis honori consulens, instantisque Romani Cleri desideriis favens, suo decreto constituit, quod juxta priscae consuetudinis tenorem (ne Clerus, forensibus litibus profanatus, saecularibus implicetur) si quis aliquem ad Romanum Clerum pertinentem in qualibet causa probabili crederet actione pulsandum, ad Beatissimi Papae judicium prius veniret audiendus; ut, aut ipse inter utrosque more suae Sanctitatis cognosceret, aut causam deligeret aequitatis studio terminandam. Qui vero reverentiam tantae Sedi exhibere contemneret, decem librarum auri dispendio mulctari jussit, per manus memorati Antistitis erogandum.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Porro Felix nefariam damnavit praesumptionem eorum, qui Sacerdotali Ordinatione suscepta, ad saecularis vitae mores demigrabant. Erexit in Urbe Basilicam Sanctorum Cosmae, et Damiani eo loco, qui appellatur Via sacra, juxta templum Urbis Romae, consumptamque incendio Sancti martyris Saturnini Basilicam via Salaria a solo refecit. Idem pauperibus largus, et miseris solatia praebens, cum crescere fecisset opes Apostolicae Sedis, aerumnosam banc cum beata vita commutavit, sepultus in Basilica S. Petri, quarto Idus Octobris, Justiniano Imperatore, et Athalarico Italiae Rege. Duabus Ordinationibus mense Februario, et Martio creavit Presbyteros quinquaginta quinque, Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca viginti novem. Sedit in Pontificatu annos quatuor, menses duos, dies decem et octo.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Sermo S. Gregorii Papae.

2. Par. Past. c. 1.

Tantum debet actionem populi

pectio transcendere Praesulis, quantum distare solet a grege vita Pastoris. Oportet namque, ut metiri se solicite studeat, quanta tenendae rectitudinis necessitate constringitur; sub cujus aestimatione populus grex vocatur. Sit ergo (necesse est) cogitatione mundus, actione praecipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus prae cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiae erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum solicitudine non relinquens.

℟. Iste est.

In 3. Noct. Homil. super Evang. Vigilate.

FESTA FEBRUARII.

DIE III.

In Festo S. Blasii Ep. et M. dup.

Oratio.

Deus, qui beatum Blasium Martyrem tuum atque Pontificem in suis perferendis suppliciis, et in aliorum depellendis infirmitatibus admirabilem effecisti, concede propitius; ut illius, et in fide constantiam imitemur, et in periculis patrocinia sentiamus. Per Domin.

L. 1. noct. de scrip.

In II. Noct. Lect. IV.

Blasius Cappadox, nobili genere ortus. Sebaste in Cappadocia ex Medico Episcopus creatus est, ut corporum curationi animorum cura succederet. Huic muneri cum sedulam, ac piam operam navaret, dira tempestas adversus Christianos a Licinio Tyranno excitata fuit. Blasius divino instinctu, Christi consilio, et exemplo in montem Argaeum se recepit, ac sese in speluncam abdidit, in qua rerum divinarum contemplationi vacans ab ipsis feris, nativae feritatis oblitis, quotidianum victum accepit, et mutis obsequiis cultus est.

℟. Honestum fecit etc.

Lectio V.

Ibi tamdiu latuit, dum ab Agrigolai Praesidis militibus casu deprehensus, inde abstractus, et ad Praesidem ductus illius jussu in vincula conjectus est. Sed vinctus ipse, multos, quos ejus sanctimoniae fama acciverat, a diversorum morborum vinculis liberavit. In his Puer fuit, qui desperata a medicis salute, transversa spina faucibus inhaerente, animam agebat. Illustris sane tum corporum, tum animorum medicus, non humana, sed divina arte, non paratis a natura remediis, sed Christi gratia comparatis, aegros pristinae saluti restituit; omni fere miraculorum genere conspicuus; nam Christi super aquas ambulantis, et Eliae Sareptanae Viduae annonam multiplicantis miracula renovavit.

℟. Desiderium animae etc.

Lectio VI.

Atrocissimis tormentis, crudelissimi Praesidis jussu cruciatus fuit. Duris verberibus caesus, tortus in equuleo, pectinibus ferreis dilaniatus, candenti lorica indutus, aliisque exquisitissimis suppliciis affectus est. Sed ejus fides probari quidem potuit, non tamen vinci. Dilacerato corpore, infractus animus restitit. Tandem victo Tyranno, capite plexus, il-

lustre Fidei testimenium Ecclesiae reliquit tertio nonas Februarii, anno Christi tercentesimo decimo sexto.

℟. Stola jucunditatis eto.

In III. Noct. Homilia in Evang. Si quis vult post me venire *de eodem comm. 2. loco.*

DIE V. FEBRUARII

In Fest. S. Agathae V. et M. *cujus Mamilla in Metropolit. Eccles. Capuae, dup. 1. cl. cum Oct. pro Civitat. et Archidioec. Capuae ex Decr. S. R. C. 3. Sept. 1741. ac in tota Provinacia juxta extens. Bened. XIV. Anno. 1743.*

Omnia ut in Breviar. Rom., sed in utriusq Vesp. nulla com. Singulis diebus infra Oct. fit com. S. Agathae in Off.

DIE VI. EX XXVII. JANUARII

S. VITALIANI Pp. C.

Duplex. de Comm. C. P.

Orat. Da quaesumus.

In 1. Noct. Lect. de Scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Vitalianus, Patria Signiensis, natione Campanus, Anastasio Patre, duobus fere mensibus ab Eugenii hujus nominis primi obitu, non sine pubblica bonorum omnium gratulatione, in ejus locum subrogatus fuit, vir sane disciplinae, ac regulae Ecclesiasticae amantissimus, et retinentissimus. Illam in vigore suo, ut a praedecessore laetus acceperat, ita sedulus successori reliquit, et nihil unquam omisit, quod ad illius splendorem servandum pertineret.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Nulli labori, nulli pepercit industriae, ut Orientalem Ecclesiam, jam diuturno schismate a Romana separatam, et Constantium Imperatorem Heraclii Nepotem Monothelitarum fautorem, impiique auctorem Typi, ad meliorem frugem reduceret. Eodem animo, et fine Petrum Patriarcham Constantinopolitanum, scriptis ad eum litteris, hortatus est ad reddendam Ecclesiae pacem, et fidem Catholicam amplectendam.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Varias scripsit epistolas, ut sacrorum Canonum indemnitati, et divinae fidei propagationi consuleret. In id praesertim pastoralis illius cura incubuit, non sine prospero eventu: Religionem enim in Anglia collabentem restituit: et cum ibi esset sacrorum Ministrorum penuria, magnum Theodorum Tharsensem, et Adrianum Abbatem eo misit: illum quidem, ut Ecclesiae Anglicanae Primas esset, hunc vero, ut Monasticam disciplinam restauraret. Cum demum illius pietas multum, diuque refulsisset, ac sedisset annos quatuordecim, et menses quinque, ex hac vita ad Deum migravit, anno Christi sexcentesimo sexagesimo nono, et in Vaticano sepultus est.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. super. Evang. Homo peregre.

DIE X. FEBRUARII.

In Festo S. Scolasticae Virginis.

Duplex. Omnia de commu. Virg. praeter sequent.

Oratio.

Deus, qui animam Beatae Virginis tuae Scholasticae, ad ostendendam innocentiae suae viam, in Columbae specie Coelum penetrare fecisti; da nobis ejus meritis,

et precibus ita innocenter vivere, ut ad aeterna mereamur gaudia pervenire. Per Dominum.

In II. Noct.

Ex Libro secundo Dialogorum S. Gregorii Papae.

Lect. IV. *Cap. 33.*

Scholastica, venerabilis Patris Benedicti soror, omnipotenti Domino ab ipso infantiae tempore dedicata, ad eum semel per annum venire consueverat; ad quam vir Dei non longe extra januam in possessione Monasterii descendebat. Quadam vero die venit ex more, atque ad eam cum Discipulis venerabilis ejus descendit frater, qui totum diem in Dei laudibus, sacrisque colloquiis ducentes, incumbentibus jam noctis tenebris, simul acceperunt cibum. Cumque adhuc ad mensam sederent, et inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem sanctimonialis femina soror ejus eum rogavit, dicens: Quaeso te, ut ista nocte me non deseras, ut usque mane de coelestis vitae gaudiis loquamur. Cui ille respondit: Quid est quod loqueris soror? manere extra cellam nullatenus possum. Tanta vero erat coeli serenitas, ut nulla in aere nubes appareret. Sanctimonialis autem femina, cum verba fratris negantis audivisset, insertas digitis manus super mensam posuit, et caput in manibus omnipotentem Dominum rogatura declinavit. Cumque levaret de mensa caput, tanta coruscationis, et tonitrui virtus, tantaque inundatio pluviae erupit, ut neque venerabilis Benedictus, neque Fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen, quo consederant, pedem movere potuerint.

Lectio V.

Sanctimonialis quippe femina caput in manibus declinans, lacrymarum fluvium in mensam fuderat, per quas serenitatem aeris ad pluviam traxit. Nec paulo tardius post orationem inundatio illa secuta est, sed tanta fuit convenientia orationis, et inundationis, ut de mensa caput jam cum tonitruo levaret: quatenus unum, idemque esset momentum, et levare caput, et pluviam deponere. Tunc vir Dei inter coruscos, et tonitruos, atque ingentis pluviae inundationem, videns se ad Monasterium non posse remeare, coepit conqueri contristatus dicens: Parcat tibi omnipotens Deus, soror, quid est, quod fecisti? Cui illa respondit. Ecce rogavi te, et audire me noluisti: rogavi Deum meum, et audivit me; modo ergo, si potes, egredere, et me dimissa, ad Monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum non valens, qui remanere sponte noluit in loco, mansit invitus. Sicque factum est, ut totam noctem pervigilem ducerent, atque per sacra spiritalis vitae colloquia, sese vicaria relatione satiarent.

Lectio VI.

Cumque die altero eadem venerabilis femina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad Monasterium rediit. Cum, ecce, post triduum in cella consistens, elevatis in aera oculis, vidit ejusdem sororis suae animam de corpore egressam, in Columbae specie coeli secreta penetrare. Qui, tantae ejus gloriae congaudens, omnipotenti Deo in hymnis, et laudibus gratias reddidit, ejusque obitum Fratribus denuntiavit. Quos etiam

protinus misit, ut ejus corpus ad Monasterium deferrent, atque in sepulchro, quod sibi ipsi paraverat, ponerent. Quo facto contigit, ut quorum mens una semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret.

In III. Noct. Homil. in Evang. Simile erit regnum coelorum decem virginibus, *de Commu. Virg.*

Si hoc Festum celebretur in Quadragesima, Lectio IX. erit de Homilia Feriae.

DIE XI. FEBRUARII

In fest. S. Castrensis Africani, Ep. et Conf. *dupl.*

Lect. 1. n. de Scr.—In 2. Noct.

Lectio IV.

Castrensis Episcopus in partibus Africae fuit, tempore persecutionis Wandalicae. Quo tempore multi Christiani comprehensi sunt, quibus illata sunt diversa tormentorum genera, ut fidem Catholicam negarent. Videntes autem impii satellites, quod nec blanditiis, nec tormentis eos possent superare, nacti vetustissimam navem, sanctos Dei (in quibus unus erat idem beatus Castrensis) in eam imposuerunt: quam, ut eos pelagus absorberet facilius, armamentis omnibus, et remigum auxilio spoliarunt. At omnipotens Deus, qui est in mari via, et semita in aquis multis, mutato ordine, eorum versutiam in Sanctorum gloriam convertit mirabiliter; illi etenim, Domino dirigente, incolumes ad Campaniae littora pervenerunt.

℟. Inveni David, etc.

Lectio V.

Erant autem Castrensis, Priscus, Tammarus, Rosius, Heraclius, Secundinus, Adjutor, Marcus, Augustus, Elpidius, Canion, et Vindonius, qui omnes, Angelo deducente, ad loca propria, quae illis Christus pro salute credentium destinaverat, pervenerunt, in quibus dispersi, diversisque Ecclesiis praefecti, Christianam doctrinam propagarunt. Sanctus autem Castrensis humanas opes, et fastus despiciens, in Suburbano cujusdam Urbis humilem Cellulam incoluit. Sed qui humiles exsaltat, et corda ubique conspicit, et qui nec Civitatem super montem, nec lumen sub modio abscondi permittit, ab illis finibus, a quibus expulsus fuerat, ejus nomen praedicari constituit.

℟. Posui adjutorium etc.

Lectio VI.

Ex quo enim spiritu superbiae percitus homo crudelis, et impius, nomine Adamantius, dederat consilium, ut Sancti cariosae navi imponerentur, qua mergerentur in profundum mare, ita graviter repente oppressus, et contractus est, ut veluti gibbosus terram spectare, divino judicio, cogeretur; quam paenam tamdiu substinuit, donec Angelo monente, Campano in littore Castrensem benignum Antistitem convenit, cujus accepta benedictione, ab humo sanus erigitur: ejusque absens conjux pariter incolumis ab alia infirmitate efficitur; et multa alia edidit miracula. Migravit autem beatissimus Castrensis ab hoc saeculo tertio Idus Februarii. Ejusdem sacrum Corpus Montem Regalem translatum, in Metropolitana, sub Altare Cappellae magnifici operis, ad illius memoriam constructae, honorifice conditum, summa veneratione colitur.

℟. Iste est qui ante Deum etc.

In III. Noct. Homil. S. Gregorii Pp. de eodem comm 1. loco.

DIE XII. FEBRUARII

In die Oct. S. Agathae V. et M. *dup. omnia ut in die fest. praeter seq.* = *ll. 1. n. de Scr.* =

In 2. Noct.

De Epistola S. Hieronymi Presbyteri ad Eustochium.

De custod. Virg. t. 1. circa med.

Lectio IV.

De virginibus, inquit Apostolus, praeceptum Domini non habeo. Cur? Quia et ipse, ut esset virgo, non fuit imperii, sed propriae voluntatis? Neque enim audiendi sunt, qui eum uxorem habuisse confingunt: cum de continentia disserens, et suadens perpetuam castitatem, intulerit: Volo autem omnes esse sicut meipsum. Et infra: Dico autem innuptis, et viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. Quare ergo non habet Domini de virginitate praeceptum? Quia majoris est mercedis, quod non cogitur, et offertur: quia si fuisset virginitas imperata, nuptiae videbantur ablatae; et durissimum erat contra naturam cogere, Angelorumque vitam ab hominibus extorquere.

℟. Ego autem, adjuta a Domino, perseverabo in confessione ejus, qui me salvam fecit. * Et consolatus est me. ℣. Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui misisti ad me Apostolum tuum curare vulnera mea. Et consolatus est me.

Lectio V.

Alia fuit in veteri lege felicitas. Ibi dicitur: Beatus, qui habet semen in Sion, et domesticos in Jerusalem: et maledicta sterilis, quae non pariebat. Et: Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae. Vacuus erat orbis, et ut de typicis taceam, sola erat benedictio liberorum. Propterea et Abraham, jam senex, Gethurae copulatur, et Jacob mandragoris redimitur, et conclusam vulvam in Ecclesiae figuram Rachel conqueritur. Paulatim vero increscente segete, messor immissus est. Virgo Elias, Eliseus virgo, virgines multi filii Prophetarum. Jeremiae dicitur: Et tu ne accipias uxorem. Sanctificatus in utero, captivitate propinqua, uxorem prohibetur accipere. Aliis verbis idipsum Apostolus loquitur. Existimo hoc bonum esse propter instantem necessitatem. Quae est ista necessitas, quae aufert gaudia nuptiarum? Tempus breviatum est, in proximo est Nabuchodonosor.

℟. Ipse me curavit, qui per Apostolum Petrum in custodia me confortavit, pro eo, quod jussa sum suspendi in equuleo: * Propter fidem castitatis adjuva me Domine Deus meus in tortura mamillarum mearum. ℣. Ipse me dignatus est ab omni plaga curare, et mamillam meam meo pectori restituere. Propter.

Lectio VI.

Inveniebatur ergo, ut diximus, in viris tantum hoc continentiae bonum, et in doloribus jugiter Heva pariebat. Postquam vero Virgo concepit in utero, et peperit nobis puerum, cujus principatus in humeros ejus, Deum, fortem, patrem futuri saeculi; soluta maledictio est. Mors per Hevam, vita per Mariam. Ideoque et diutius virginitatis donum

fluxit in femina. Statim ut Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit, ut qui ab Angelis adorabatur in coelo, haberet Angelos et in terris. Tunc Holofernis caput Judith continens amputavit: tunc Aman, qui interpetratur iniquitas, suo combustus est igne: tunc primum auditum est: Quae non est nupta, cogitat quae sunt Domini, ut sit sancta corpore, et spiritu.

℟. Vidisti Domine, et spectasti agonem meum, quomodo pugnavi in stadio: sed quia nolui obedire mandatis principum, * Jussa sum in mamilla torqueri. ℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Jussa sum. Gloria Patri. Jussa sum.

In III. Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. *Cap. 19.*

In illo tempore: Accesserunt ad Jesum Pharisaei, tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chrisostomi.

Homil. 32. in Matt. cap. 19. circa medium.

Judaei in finibus suis constitutum Dominum tentaverunt, et repulerunt, et in fornicationibus suis corporalibus fornicationem suam confessi sunt spiritualem, dicentes. Si licet viro dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Quia non potest animo esse castus, qui corpore est lascivus: hoc est, non potest Deo esse fidelis, qui uxori suae perfidus est; sicut nec ex diverso conscientiam servat, qui Deo fidem non servat; sed altera alterius fornicationis est accusatrix. Et illi quidem secundum carnem interrogabant, quae pati merebantur secundum spiritum.

℟. Beata Agatha ingressa carcerem, expandit manus suas ad Deum, et dixit: Domine, qui me fecisti vincere tormenta carnificum, * Jube me ad tuam misericordiam pervenire. ℣. Domine, qui me creasti, et tulisti a me amorem saeculi; qui corpus meum a pollutione separasti. Jube me.

Lectio VIII.

Christus autem respondit eis, quod facere eos non decebat, dicens; Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob causam fornicationis, et aliam duxerit, moechatur. Sicut enim uxorem quocumque modo contra voluntatem viri agentem dignum est repellere: non autem est justum, quantum ad gravitatem viri, nisi ob causam fornicationis. Sic et Ecclesia quocunque modo contra voluntatem egerit Christi, digna est abjici: non autem abjicitur propter longanimitatem Christi, nisi sola causa trasgressionis.

℟. Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui, sed habeo Dominum Jesum Christum, * Qui solo sermone restaurat universa. ℣. Qui me dignatus est ab omni plaga curare, et mamillam meam meo pectori restituere, ipsum invoco Deum vivum. Qui. Gloria Patri. Qui.

Lectio IX.

Sicut enim si Christus prius dimisesset Ecclesiam Judaeorum, non eis subministrans per scripturas notitiam suae divinitatis, ipse faciebat eam adulteram cum

diis extraneis: quoniam natura rationabilis et subdita Deo creata, sine Deo non potest esse: sic Christo semper eis scientiam suae divinitatis subministrante, quoniam Synagoga spernens transibat ad idola, inexcusabilis adultera reperta est. Propter quod repulit Christum, non repulit eam Christus, non quacumque ex causa, sed propter causam fornicationis ipsius: quia non solum diabolo se conjunxit, sed etiam interfecit eum, pro quo mori debuerat. Ab initio enim Deus genuit Christum, deinde creavit hominem quasi conjugem; et potentem suscipere verbum ipsius. Ideo clamat: Quod Deus conjunxit, homo non separet.

Te Deum laudamus etc.

DIE XV. FEBRUARII

In festo S. Decorosi Ep. Capuani, et Conf. *cujus corpus in Metropolit. Eccl. dupl.*

Omn. de comm. Conf. Pont.

Oratio.

Praesta nobis, Domine, famulis tuis, ut qui beati Decorosi Confessoris tui, atque Pontificis ossa veneramur, et merita: ipso pro nobis intercedente, ab omnibus semper protegamur adversis. Per Dominum etc.

In 1. Noct. ll. de Scr. (sed de eod. *com. temp. Quadr. 1. loco*).

In II. Noct. *Lect. IV.*

Decorosus Civis Capuanus, cum ob praeclaras animi dotes gratus omnibus esset, ad Episcopalem patriae dignitatem assumptus, Ecclesiam sibi commissam ea prudentia, et solicitudine rexit, ut nulli boni Pastoris officium praetermiserit. Fide, pietate, humilitate, caeterisque virtutibus maxime enituit, praesertim charitate erga proximum, factus cum Apostolo omnibus omnia, ut omnes lucrifaceret. Orphanis Patrem, tutorem pupillis, refugium viduis, afflictis solatium se exhibuit, sui pene oblitus, ut omnium necessitatibus provideret.

℟. Inveni. David.

Lectio V.

Cum quadam die rerum divinarum contemplationi intentus, solus in cubiculo oraret, mulierem ante fores Ecclesiae plorantem audivit, cujus filius gravi morbo laborans, animam agebat: ejus itaque clamore, et ejulatu commotus, cum ad eam se contulisset, ad Altare Protomartyris Stephani dolentem perduxit prope locum, in quo Sancti Rufini praedecessoris sui corpus tumulatum erat, ibique puerum fere exanimem collocavit: fusis ad Deum precibus, vidit mulier filium, profligato morbo, ambulantem, quam vir Sanctus admonuit, ut accepti beneficii memor, eidem Ecclesiae servitio dedicaret.

℟. Posui adjutorium.

Lectio. V.

Variis tandem perfunctus laboribus, cum aliquando die Dominico sermonem ad populum haberet, repentina syncope correptus, Clericorum ope ad summam Aram perductus, et elevatis ad Coelum manibus, hoc Psalmi versu pronunciato: Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis: summa animi tranquillitate exspirans, ad coelestem patriam evolavit. Vixit sub Agathone Papa; cujus tempore Concilio Romano subscripsit.

℟. Iste est.

In III. Noct.

Homil. S. Gregorii Pp. in Evang. Homo prerege, *de eodem Comm. 1. loco.*

Lect. IX. legit. de SS. Faustino, et Jovita Mm ut in Brev. Rom.

DIE XVI. FEBRUARII

B. Gregorii X. Pp. C.

Duplex Oratio.

Deus, qui Ecclesiam tuam Beati Gregorii Confessoris, atque Pontificis Religionis zelo, et apostolicis curis amplificasti; ejus meritis, et intercessione concede, ut Fidei, et Sanctitatis nova semper incrementa suscipiat. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de scr.

In Quadrag. Laudemus viros gloriosos.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Gregorius Decimus Thealdus, seu Theobaldus antea nuncupatus, Placentiae ad Æmiliae fines nobili Vicecomitum genere natus est. Adolescens Ecclesiasticae Militiae adscriptus singulari nituit honestate morum, vitaeque munditia, nulla umquam, ut creditur, criminis contagione polluta. In Galliam cum Jacobo Cardinali Pecorario Gregorii Noni Legato profectus, Archidiaconus Leodiensis renunciatus est. Eo in Italiam redeunte, Theologiae Parisiis operam dedit, ac Magistri munus adeptus, verbo, et exemplo Fideles, ac Principes ad Terrae Sanctae recuperationem vehementer accendit. In Syriam deinde peregrinatus, dum ibi sacram expeditionem urgeret, a Cardinalibus, Viterbii Ponteficis electionem in annum fere tertium protrahentibus, in Petri Sedem evectus est anno millesimo ducentesimo septuagesimo primo.

℟. Inveni David servum.

Lectio V.

Accepto Ptolemaide electionis decreto, in Italiam navigavit, ac Viterbium et contulit, deinde Romam, ubi anno insequente solemniter inauguratus est. Ab ipso Pontificatus exordio ad Generalis Concilii celebrationem curas, et cogitationes omnes adjecit. Eo Lugdunum Galliarum indicto, Michaelem Paleologum Graecorum Imperatorem, tum alios Christianos Principes, et Graecae, Latinaeque Ecclesiae Praesules litteris amantissimis invitavit, accersitis etiam eximiis doctrina, et sanctitate Viris, uti Sancto Thoma Aquinate in ipso itinere vita functo, Sancto Bonaventura, Sancto Philippo Benitio, Beato Alberto Magno, Petro de Tarantasia Ordinis Praedicatorum, qui eidem in Pontificatu successit. Igitur Oecumenicam Synodum Patrum numero omnium frequentissimam, cui praefuit Pontifex ipse, Graecis, ejurato schismate, ad Ecclesiae unitatem receptis, decretis pro sacra expeditione subsidiis, editisque pluribus sanctissimis legibus trimestri spatio feliciter celebravit.

℟. Posuit adjutorium.

Lectio VI.

De pace in Ecclesia firmanda cum primis sollicitus, Praelatorum dissidia, Regum inimicitias, Provinciarum odia, populorum factiones composuit, diremit, extinxit. Ecclesiae jura etiam adversus Reges et Principes severe, ac fortiter vindicavit, nullam esse praedicans solidiorem Regnorum basim, quam

tutelam Ecclesiasticae libertatis. Pauperum amantissimus, primus omnium in Apostolico Palatio piarum in illos largitionum Praesidem constituit, iisque propriis manibus pedes quotidie abluebat. In Italiam a Concilio redux, dum profectionem in Palaestinam meditatur, pluraque alia Christianae Reipublicae bono moliretur, Aretii in Hetruria morte interceptus est quarto ab electione sua anno, mense quarto, die decimo. Fuit Vir animi plane invicti, et apostolici, terrenorum contemptu, cultus divini studio, fidei zelo, disciplinae, et morum restauratione, rerum gerendarum prudentia, fortitudine, magnanimitate, aliisque virtutibus prorsus eximius. Miraculis post mortem claruisse Ecclesiae Aretinae monumenta testantur.

℟. Iste est, qui ante.

In III. Noct. Homil. super Evang. Homo peregre.

DIE XVII. FEBRUARII

S. Hygini Pp. M.

Duplex.

Orat. Infirmitatem.

In I. Noct. Lect. de scr. In Quadrag. A Mileto.

In II. Noct.

Lectio IV.

Hyginus Atheniensis, Philosopho Patre, cum jam Romanae Ecclesiae Presbyter esset, Cleri suffragiis, Telesphoro suffectus est. Sedit in sancta Petri Sede, Imperatore Antonino Pio Augusto, annos tres, menses undecim, dies viginti octo. Ubi primum Pontifex renunciatus est Clericorum Ordines in suos gradus distinxit, ac fecit, ut in iis Ecclesiis, quas Titulos vocant, tum primarii Ministri, tum alii eisdem subjecti adessent, qui fidelibus, cum res postularet, sacra ministrarent.

℟. Honestum fecit illum.

Lectio V.

Instituit etiam, ne absque celebratione Missae, Templa, vel Oratoria sacro ritu consecrarentur; ne inconsulto Episcopo, vel nova construerentur, vel jam constructa destruerentur, et ne materies ad sacrum illum usum congesta, et destinata, in profanos usus converteretur. Edixit praeterea, ut Patrini Baptismo adessent, qui de sacro Fonte infantes levarent, ne quis Episcopus reus criminis damnaretur, nisi a Comprovincialibus Episcopis ejus causa probe discussa fuisset. Cuncta haec ejus titulo, ac nomine sancita extant. Tres Ordinationes habuit mense Decembri, in quibus creavit Episcopos sex, Presbyteros quindecim, Diaconos quinque.

℟. Desiderium animae ejus.

Lectio VI.

Cum autem paulo ante Justinus clarissimus Philosophus, et Christi Martyr scripsisset Apologiam pro Religione Christiana ad Imperatorem Antoninum Pium Augustum, obtinuit, ut persecutio desaeviret. Hine a Christianorum caede, non quidem omnino, plurimum tamen, publico Principis edicto, temperatum est. Sanctissimo tamen Pastori, cujus cura Dominico Gregi consultum fuerat, parcitum non fuit; nempe hic glorioso Martyrio, ne Antecessoribus dissimilis esset, innocentissimam vitam terminavit, die undecimo Januarii, et sepultus est in Vaticano.

℟. Stola jucunditatis.

In III. Noct. Homil. super Evang. Si quis venit.

DIE XVIII FEBRUARII EX III HUJUS.

S. Dionysii Pp. C.

In Hymn. mut. ℣.

Orat. Da quaesumus.

In I. Noct. Lec. de scr.

In II Noct.

Lectio IV.

Dionysius ex Monacho, post beatum Sixtum Secundum, Romanae Ecclesiae Episcopus est constitutus Is contra Sabellianos scripsit, et adversus eos, qui Filium Dei opus, aut creaturam asseverabant, plura volumina edidit. Dionysii Alexandrini Episcopi apud se accusati, quasi qui Filium Dei factum, et non substantialem Patri diceret, in Romana Synodo causam discussit, ad quem ejusdem Synodi id indigne ferentis sententiam perscripsit. Sed cum Alexandrinus Antistes iterum, atque iterum missis Romam suis scriptis, se purgasset, atque defendisset, maturo demum consilio est absolutus. Presbyteris Ecclesias in Urbe Dionysius distribuit, et Coemeteria, Parochias, atque Dioeceses divisit. Denique multis pro Ecclesia perfunctus laboribus, ac fidei documentis clarus, Aureliano Imperatore, migravit ad Dominum, sepultusque est in Coemeterio Callisti via Appia sexto Kalendas Januarii. Habuit mense Decembri Ordinationes duas, quibus creavit Presbyteros duodecim, Diaconos sex, Episcopos per diversa loca septem. Sedit annos undecim, menses tres, dies quatordecim.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Sermo S. Joannis Chrysost.

In Ep. ad Rom. cap. 15. serm. 29. circa finem.

Christum diligens, et gregem illius utique diligit: et Moysen tum primum super populum Judaeorum posuit, quando, qua esset in illum benevolentia, re ipsa jam declaraverat. David quoque simili modo regno inauguratus est, posteaquam apparuerat, quam amico esset in Populum affectu: ita quippe juvenis adhuc populi causa doluit, ac zelavit, ut et animam suam exponeret, cum videlicet barbarum illum e medio tollebat. Quod vero dicebat: Quid dabitur ei, qui alienigenam hunc interfecerit? non ideo dicebat, quod mercedem exigeret, sed quo sibi crederetur, et in pugnam cum illo committeretur: nam cum adepta jam victoria, ad regem esset ingressus, nihil de mercede meminit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Et Samuel quoque benignus erat, et amator populi: ut et dicebat: Absit autem hoc a me peccatum, ut cessem pro vobis orare Dominum. Ita et Paulus, imo non ita, sed multo plus omnibus ardebat erga subditos. Unde et discipulos ita erga se animavit, ut diceret. si possibile fuisset, oculos vestros eruissetis, mihique dedissetis. Et Christus optimi Pastoris regulam proferens dixit: Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus: sunt enim Sanctorum animae vehementer mites, et hominum amantes, non solum erga domesticos, sed alienos, ita

hanc suam mansuetudinem etiam ad animantia bruta extendant. Propterea et sapiens quispiam dixit: Justus miscretur animarum jumentorum suorum: si jumentorum, multo magis hominum.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. super Evang. Homo peregre.

IX. Lect. legitur de S. Simeone Episc. et Mart. ut in Breviario.

DIE XIX. EX IX. HUJUS.

S. Zosimi Pp. C.

Duplex.

In Hymn. mut. ℣.

Orat. Da quaesumus.

In I. Noct. Lect. de scr.

In Quadrag. Fidelis sermo.

In II. Noct.

Lectio IV.

Zosimus Graecus Abrahami filius post Sanctum Innocentium Romanae Ecclesiae Episcopatum suscepit. Is Africanorum Conciliorum decretis adversus Pelagianam haeresim sententiae suae robur adnexuit, et ad impiorum excidium gladio Petri dexteras omnium armavit Antistitum; iis namque ab ipso probatis, per totum mundum haeresis Pelagiana damnata est: Damnavit et Pelagium ipsum una cum Coelestio, datis hac de re litteris ad universam Ecclesiam.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Ecclesiasticae disciplinae tenacissimus fuit, compluribus ad eam ubique sive servandam, sive restituendam destinatis gravibus Epistolis. Definiit juxta probatum Ecclesiae morem, ut si quis ab infantia Ecclesiasticis ministeriis nomen dedisset, inter Lectores usque ad vigesimum aetatis annum, continuata observatione duraret. Si vero major jam et grandaevus post Baptismum, sive inter Lectores, sive inter Exorcistas, quinquennio teneretur, et inde Acolythus, vel Subdiaconus, quatuor annis, et sic ad Diaconatum (si mereretur) accederet, in quo Ordine quinque annis haerere deberet, et inde, suffragantibus votis, Sacerdotium promereri posset.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Sancivit, ut Diaconi laevas linostimis pallis tegerent, potestatemque fecit, ut per Parochias Pascalis Cereus benediceretur. Cavit praeterea, ne Clerico poculum propinaretur in publico, praeterquam in fidelium cellis, et maxime Clericorum. Qui cum sanctissime rexisset Ecclesiam annum unum, menses quatuor, dies septem quievit in pace; sepultusque est juxta Corpus Sancti Laurentii martyris via Tiburtina septimo Kalendas Januarii, Honorio, et Theodosio Iuniore imperantibus. Una Ordinatione mense Decembri, creavit Presbyteros decem, Diaconos tres, Episcopos per diversa loca octo.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. super Evang. Homo peregre.

DIE XX. EX XI. HUJUS

S. Antheri Pp. M.

Duplex.

Orat. Infirmitatem.

In I. Noct. Lect. de scr.

In Quadrag. A Mileto.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Antherus, natione Graecus, Patre Romulo, post Sanctum Pon-

tianum Romae ordinatus est Episcopus. Is gesta Martyrum diligenter a Notariis conquisivit, ac in Ecclesia recondidit. Propter eam causam a Maximo Praefecto martyrio coronatus est tertio Nonas Januarii, sepultusque in Coemeterio Callisti via Appia, Maximino Principe. Unica Ordinatione mense Decembri ordinavit Episcopum Fundanae Civitatis in Campania. Sedit in Pontificatu mensem unum, dies duodecim.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

Sermo S. Augustini Episc.

De verbis Dom. 50.

Pastor bonus Christus. Quid Petrus? Nonne bonus Pastor? Nonne et ipse animam suam pro ovibus posuit? Quid Paulus? Quid caeteri Apostoli? Quid eorum tempore consequentes beati Episcopi martyres? Quid etiam iste Sanctus Antherus? Nonne omnes Pastores boni, non mercenarii, de quibus dicitur; Amen dico vobis perceperunt mercedem suam? Omnes ergo illi Pastores boni, non solum, quia sanguinem fuderunt, sed quia pro ovibus fuderunt. Non enim fuderunt elatione, sed charitate.

℟. Desiderium animae ejus.

Lectio VI.

Nam et apud Haereticos, qui propter iniquitates, et errores suos aliquid molestiarum perpessi fuerunt, nomine martyrii se jactant: ut hoc pallio dealbati facilius furentur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo numero habendi sunt, Pastorem bonum Paulum Apostolum audite: quoniam non omnes, qui corpora sua in passione etiam ignibus tradunt, aestimandi sunt sanguinem fudisse pro ovibus, sed potius contra oves. Si distribuero, inquit, omnia mea pauperibus, et tradidero corpus meum, ut ardeam: Jam ipsi sunt. Sed vide quid sequitur: Charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Ecce venitur ad passionem, ecce venitur et ad sanguinis effusionem, venitur et ad corporum incensionem: et tamen nihil prodest, quia charitas deest. Adde charitatem, prosunt omnia: detrahe charitatem, nihil prosunt caetera.

℟ Stola jucunditatis.

In III. Noct. Homil. super Evang. Si quis venit.

Die XXI. ex XII. hujus.

S. Telesphori Pp. M.

Duplex.

Orat. Deus, qui nos.

In III. Noct. Lect. de scr.

In Quadrag. A Mileto.

IN II NOCT.

Lect. IV.

Telesphorus, natione Graecus, Patria Thuriensis in magna Graecia, ex Presbytero Romanae Ecclesiae (cujus dignum ministerium egerat) Pontifex Maximus creatus est. Hoc supremum munus ita obiit, ut eximius Petri Successor lectus esse videretur. In ejus Cathedra sedit sub Imperatore Antonino Pio, fervente persecutionis aestu. Qui tamen non obstitit, ne sedulam operam regendae Christi Ecclesiae solicitus navarit.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

Hinc novis decretis multa illum egregie sancivisse legimus, quae ad fidelium mores, Ecclesiasticorum libertatem, et sacros ritus

attinent; scilicet Quadragesimale jejunium, jam olim ab Apostolis traditum, novo edicto restaurasse, ac mandasse, ut in Natali Domini sanctum Missae Sacrificium ter celebraretur, media nocte, illucescente aurora, hora demum tertia post Solis ortum, et constituisse, ut sacrae Liturgiae Hymnus Angelicus, Gloria in excelsis Deo, adderetur.

℟. Desiderium animae ejus.

Lectio VI.

Edixisse quoque, ne Sacerdotes a populo arguerentur, ut sublimis Ordinis dignitati consuleret. Ordinatione quadruplici, mense Decembri, creavit Presbyteros duodecim, Diaconos octo, Episcopos tresdecim per diversa loca. Cum autem in propaganda fide ardentissimus esset, ac proinde Idolorum Sacerdotibus invisus, captus tandem, capitis abscissione martyrium consumavit Nonis Januarii, et ejus corpus in Vaticano sepultum est.

℟. Stola jucunditatis.

In III. Noct. Homil. super Evang. Si quis vult post me venire.

Die XXIII. Februarii

S. Petri Damiani E. C. D.

Duplex.

In utriusque Vesperis Antiph. Ad Magnificat. O Doctor optime.

Oratio.

Concede nos quaesumus, omnipotens Deus, Beati Petri Confessoris tui atque Pontificis monita et exempla sectari; ut per terrestrium rerum contemptum æterna gaudia consequamur. Per Dominum nostrum.

In I. Nocturno. Lect. de scr. In Quadr. Fidelis sermo.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Petrus Ravennae honestis Parentibus natus adhuc lactens a Matre, numerosae prolis pertaesa, abjicitur, sed domesticae mulieris opera semivivus exceptus ac recreatus Genitrici, ad humanitatis sensum revocatae, redditur. Utroque orbatus Parente tamquam vile mancipium sub aspera Fratris tutela duram servitutem exercuit. Religionis in Deum, ac pietatis erga Patrem egregium tunc specimen dedit; inventum siquidem forte nummum non propriae inediae sublevandae, sed Sacerdoti, qui divinum Sacrificium ad illius expiationem offerret, erogavit. A Damiano fratre, a quo, uti fertur, cognomentum accepit, ejus cura litteris eruditur; in quibus brevi tantum profecit, ut Magistris admirationi esset. Quum autem liberalibus scientiis floreret et nomine, eas, cum laude docuit. Interim ut corpus rationi subderet sub mollibus vestibus cilicium adhibuit, jejuniis, vigiliis, et orationibus solerter insistens. Calente juventa, dum carnis stimulis acriter urgeretur, insultantium libidinum faces rigentibus fluvii mersus aquis noctu extinguebat; tum venerabilia quaeque Loca obire, totumque Psalterium recitare consueverat. Ope assidua pauperes levabat, quibus frequenter pastis convivio, propriis ipse manibus ministrabat.

℟. Inveni David servum.

Lectio V.

Perficiendae magis vitae caussa in Avellanensi Eugubinae Dioecesis Coenobio Ordini Monacho-

rum Sanctae Crucis Fontis Avellanae, a Beato Lodulpho S. Romualdi Discipulo fundato, nomen dedit. Non ita multo post in Monasterium Pomposianum, mox in Coenobium S. Vincentii Petrae Pertusae ab Abbate suo missus, utrumque Asceterium verbo sacro, praeclaris institutionibus, et moribus excoluit. Ad suos revocatus post Praesidis obitum Avellanitarum Familiae praeficitur, quam novis, variis in Locis extructis Domiciliis, et sanctissimis institutis ita auxit, ut alter ejus Ordinis Parens, ac praecipuum ornamentum jure sit habitus. Salutarem Petri sollicitudinem alia quoque diversi instituti Coenobia, Canonicorum Conventus, et Populi sunt experti. Urbinati Dioecesi non uno nomine profuit: Theuzoni Episcopo in caussa gravissima assedit, ipsumque in recte administrando Episcopatu, consilio et opera, juvit. Divinorum contemplatione, corporis macerationibus, ceterisque spectatae sanctimoniae exemplis excelluit. His motus Stephanus IX. Pontifex Maximus eum licet invitum et reluctantem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem creavit, et Ostiensem Episcopum. Quas Petrus Dignitates splendidissimis virtutibus, et consentaneis Episcopali ministerio operibus gessit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio. VI.

Difficilissimo tempore Romanae Ecclesiae, Summisque Pontificibus doctrina, Legationibus, aliisque susceptis laboribus mirifice adfuit. Adversus Nicolaitarum et Simoniacam Haereses ad mortem usque strenue decertavit. Hujusmodi depulsis malis Mediolanensem Ecclesiae Romanae conciliavit. Benedicto, et Cadaloo falsis Pontificibus fortiter restitit. Henricum quartum Germaniae Regem ab inicquo uxoris divortio deterruit: Ravennates ad debita Romano Pontifici obsequia revocatos sacris restituit. Canonicos Veliternos ad sanctioris vitae leges composuit. In Provincia praesertim Urbinate vix ulla fuit Episcopalis Ecclesia, de qua Petrus non sit bene meritus; Eugubinam, quam aliquando creditam habuit, multis levavit incomodis: alias alibi, quando oportuit, perinde curavit, ac suae essent tutelae commissae. Cardinalatu, et Episcopali dignitate depositis, nihil de pristina juvandi proximos sedulitate remisit. Jejunium sextae Feriae in honorem Sanctae Crucis Jesu Christi; horarias Beatae Dei Genitricis preces, ejusque die Sabbatho cultum propagavit. Inferendae quoque sibi verberationis morem ad patratorum scelerum expiationem provexit. Demum sanctitate, doctrina, miraculis, et praeclare actis illustris, dum e Ravennate Legatione rediret, Faventinae octavo Kalendas Martii migravit ad Christum. Ejus Corpus ibidem apud Cistercienses multis Miraculis clarum frequenti Populorum veneratione colitur. Ipsum Faventini non semel in praesenti discrimine propitium experti Patronum apud Deum delegerunt: Leo vero Duodecimus Pontifex Maximus Officium Missamque in ejus honorem tamquam Confessoris Pontificis, quae aliquibus in Dioecesibus, atque in Ordine Camaldulensium jam cele-

brabantur, ex Sacrorum Rituum Congregationis Consulto, addita Doctoris qualitate, ad universam extendit Ecclesiam.

℟. Iste est.

In III. noct. Homil. super Evang. Vos estis sal terrae.

DIE XXV. EX XXIII. HUJUS.

In Anno Bissext. XXVII.

S. Margaritae Cortonensis.

Poenitentis.

Semiduplex. *Oratio.*

Deus: qui famulam tuam Margaritam de perditionis via ad salutis tramitem misericorditer deduxisti; eadem nobis miseratione concede, ut quam prius errantem sectari non erubuimus, mox poenitentem impigre sequi gloriemur. Per Dom.

In I. Noct. Lect. de scr.

In Quadrag. vero Mulierem fortem *de Communi.*

In II. Noct.

Lectio IV.

Margarita, a loco dormitionis, Cortonensis appellata, Laviani in Tuscia ortum habuit. Primis adolescentiae suae annis mundi voluptatibus capta in Montis Politiani civitate vanam, et lubricam vitam duxit; sed cum amasium ab hostibus foede transfossum indicio canis in fovea sub strue lignorum tumulatum fortuito reperisset, illico facta est manus Domini su per eam, quae magno culparum suarum moerore tacta, exiit foras, et flevit amare. Itaque Lavianum reversa, crine detonso, neglecto capite, pullaque veste contecta, erroribus suis, mundique illecebris nuncium misit; inque aedibus Deo sacris, fune ad collum alligato, humi procumbens, ab omnibus, quos antea moribus suis palam offenderat, veniam exoravit. Mox Cortonam profecta in cinere, et cilicio ab se laesam Dei Majestatem placare studuit, donec post triennale virtutum experimentum a Fratribus Minoribus, spiritualis vitae ducibus, Tertii Ordinis habitum impetravit. Uberes exinde lacrymae ei familiares fuerunt, atque ima suspiria tanta animi contritione ducta, ut diu elinguis consisteret. Lectulus nuda humus, cervical lapis, aut lignum porrexit, atque ita noctes insomnes in coelestium meditatione trahere consuevit, nullum amplius pravum desiderium perpessa, dum bonus Spiritus promptior infirmam carnem ad subeundos labores erigebat.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

A Daemone insidiis, funestisque conatibus lacessita, mulier fortis hostem ex verbis detectum, semel, atque iterum invicta repulit. Ad eludendum vanae gloriae lenocinium, quo a malo Spiritu petebatur, praeteritos mores suos per vicos, et plateas alta voce accusare non destitit, omni supplicio se ream inclamans: nec, nisi a Confessario deterrita, in speciosam faciem, olim impuri amoris causam, saevire abstinuit, aegre ferens suam formam longa carnis maceratione non aboleri. Quibus, aliisque magnae poenitentiae argumentis suorum criminum labe expiata, atque ita de se triumphatrix, ut sensus plane omnes a Mundi illecebris custodiret, digna facta est, quae saepe Domini consuetudine frueretur. Ejusdem quoque Christi, et Virginis Matris dolorum, quod ipsa

ardenter expetierat, particeps facta, cuncta sensibus destituta, et vere mortua interdum visa est. Ad eam proinde veluti ad perfectionis magistram ex dissitis etiam regionibus plurimi conveniebant: ipsa vero, coelesti, quo erat perfusa, lumine, cordium secreta, conscientias hominum, immo et peccata in remotis licet partibus Deum offendentium, cum dolore, et lacrymis detegens, summaque in Deum, et Proximum charitate fervens ingentem animarum fructum operata est. Ægris ad se venientibus salutem, obsessis a Daemone liberationem impetravit. Puerum defunctum, lugente matre, ad vitam reduxit. Imminentes bellorum tumultus assiduis orationibus sedavit. Denique summae pietatis operibus vivos, et mortuos sibi demeruit.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

Tot sanctis operibus occupata de rigore, quo assidue corpus suum exercebat, nihil remisit, neque a studio coelestia meditandi se avelli passa est: in utroque vitae genere plane admiranda, utramque sororem Magdalenam, et Martham referens. Tandem pro se Dominum orans, ut ex hac valle lacrymarum sursum in coelestem patriam evocaretur, exaudita est oratio ejus, die, atque hora dormitionis ei patefactis. Meritis itaque, et laboribus plena, ac coelestibus donis cumulata, coepit corporis viribus destitui, perque dies decem et septem nullo cibo, sed divinis tantum colloquiis refecta est: tum Sanctissimis Ecclesiae Sacramentis rite susceptis, vultu hilari, atque oculis in coelum conversis, octavo Kalendas Martias, anno aetatis quinquagesimo, suae conversionis vigesimo tertio, humanae vero salutis millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, felix migravit ad Sponsum. Corpus in hanc usque diem vegetum, incorruptum, illaesum, et suaviter olens summa religione colitur in Ecclesia Fratrum Minorum, quae jam ab eadem Margarita appellatur. Miraculis continuo floruit, quibus permoti Romani Pontifices ad augendum ejus cultum plurima liberaliter indulserunt. Benedictus vero Decimustertius in festo Pentecostes die sextadecima Maii anni millesimi septingentesimi vigesimi octavi solemnem ejus Canonizationem religiosissime celebravit.

℟. Afferentur Regi.

In III. Nocturno Lectiones de Homilia in Evang. Simile est regnum coelorum thesauro, *de Communi.*

Ad Benedictus.

Antiph. Ut cognovit, resipuit Seraphici Ordinis Magdalena: dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.

Ad Magnificat.

Antiph. Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus: inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.

DIE XXVI. EX XIII. HUJUS.

S. Gregorii II. Pp. C.

Duplex.

Orat. Da quaesumus.

In I. Noct. Lect. de scr.

In Quadrag. Fidelis ser.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Gregorius hujus nominis Secundus, natione Romanus, Patre Mar-

cello, anno Christi septigentesimo decimo quarto, mirabili totius Cleri, et Populi concordia ad supremum Ecclesiae Catholicae Pontificatum evectus est. Hic a pueritia Divino cultui addictus in Lateranensi Patriarchio sub beati Sergii oculis, et disciplina vixerat, Subdiaconi primum, tum Sacellarii munere functus; Mox Bibliothecae cura illi credita, ad Diaconatus tandem Ordinem promotus, in Regiam Urbem, una cum Sanctissimo Papa Constantino profectus est. Ibi ab Imperatore de nonnullis capitibus interrogatus, cum sacrarum litterarum peritissimus esset, et constantissimus rerum Ecclesiasticarum defensor, optima, et Catholica responsione, Principi satisfecit.

℟. Inveni David servum.

Lectio V.

Urbis moenia contra Longobardorum excursiones, aliqua ex parte reparavit. Aliquot Basilicas temporum injuria collapsas restituit. Urbana Monasteria fere deserta, et Monachos in pristinam formam, et disciplinam redegit. Imo post mortem Honestae Matris, paternam domum in Ecclesiam, et Monasterium commutavit, quod multis praediis instructum reliquit. Corbinianum, et Bonifacium viros Apostolico spiritu plenos, in Germaniam misit, ad praedicandum Gentilibus Christi Evangelium, eosque sacris Episcopatus Infulis decoravit, postquam innumeram Paganorum multitudinem, ab iis ad Christi fidem conversam fuisse accepisset. Ut omnes optimi Pastoris partes impleret, optimis legibus Ecclesiasticam disciplinam, et Christianorum mores instruxit. Geminam Synodum Romae habuit, alteram adversus illicita conjugia, alteram adversus Iconoclastas.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Leonem Isaurum sacrarum Imaginum destructorem variis Epistolis ab illa haeresi removere, omnique illum officiorum genere sibi demereri studuit; cum tamen hic ad sceleris cumulum, optimum Pontificem neci tradere ferro sexies, semel auro, et muneribus corrumpere, quamvis frustra, tentasset. Luitprando, cum Exarcho ad excidium Urbis properanti, Sanctissimus Pontifex, Dei fretus praesidio, ad prata Neronis occurrit, et piis monitis Regis animum ita mollivit, ut non jam hostis, sed pius adorator ensem, et coronam Principi Apostolorum obtulerit. Cum autem Imperator destructionem machinaretur, eumdem diro anathemate perculit, et inito cum Francis foedere ab impio molimine deterruit. Rebus demum praeclare gestis, quibus maximis quibusque Praecessorum suorum aequiparatur, pie obiit in Domino, sexto Pontificatus anno, et in Basilica Vaticana conditus est.

℟. Iste est.

In III. nocturno Homil. super Evang. Homo peregre.

In II. Vesp. Orat. Exaudi.

Die XXVII. ex XIV. hujus.

S. Aghatonis Pp. C.

Duplex.

In Hymn. mut. ℣.

Orat. Da quaesumus.

In I. noct. Lect. de scr.

In Quadrag. Fidelis sermo.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Agatho, natione Siculus, ex doctissimo, ac sanctissimo Monacho Romanus Pontifex creatus est, anno Christi sexcentesimo septuagesimo octavo. Vir summa humanitate, eximio animi candore, singulari morum suavitate, et comitate praeditus, cunctorum amans, cunctis amabilissimus. Ita demum a natura, et gratia comparatus, ut ad supremam illam dignitatem gerendam, natus, seu factus esse videretur.

℟. Inveni David servum.

Lectio V.

Acceptis a Costantino Pogonato litteris ad Donum Praedecessorem scriptis, pro convocando Concilio Oecumenico, ad diuturnum schisma tollendum, quo laborabat Ecclesia, et definiendas fidei controversias, quae toto fere Oriente maximas tempestates, atque ruinas excitarant, Provinciales Synodos in Occidente haberi curavit, in quibus Monothelitarum causa discuteretur, et damnarentur errores.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

His praemissis, Legatos suos, et Concilii Romani, misit Constantinopolim cum binis litteris ad Imperatorem, in quibus praedicta haeresi docte, fuse, ac solide refutata, damnatisque primariis illius sectatoribus, Sergio scilicet, Cyro, Paulo, Pyrrho, Petro, et aliis, Antecssores suos ab omni erroris labe immunes hucusque fuisse, expresssis verbis declaravit. Agathonis igitur auctoritate, sexta Synodus universalis congregata est, in qua iidem errores, iidemque errantes damnati fuerunt. Demum cum tres annos, et quinque circiter menses sedisset, pie obiit in Domino, et in Basilica Principis Apostolorum sepulturae mandatus est.

℟. Iste est.

In III. noct. Homil. super Evang. Homo peregre.

DIE XXVIII. FEBRUARII EX XXV. HUJUS.

S. Felicis III. Pp. C.

Duplex.

Orat. Da quaesumus.

In I. noct. Lect. de scr.

In Quadrag. Fidelis sermo.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Felix Tertius, patria Romanus, natus ex nobilissima domo Anicia, et Divi Gregorii Magni Atavus, post Simplicium Papam ad Summi Pontificatus apicem est evectus. Hic mira animi constantia, tametsi Roma sub Herulis Arianis propemodum captiva videretur, aliique Patriarchae conciliationem Zenonis Imperatoris approbassent, solus illi non communicavit. Ejusdem de Fide edictum promulgantis, audaciam fortiter repressit. Petrum Fullonem Patriarchatu Antiocheno dejecit. Acacium Constantinopolitanum Episcopum Romam venire coegit; ut contra eum objectis, in Apostolicae Sedis judicio, responderet, ac in eumdem sententia excomunicationis animadvertit.

℣. Inveni David.

Lectio V.

Constituit, ut Ecclesiae nonnisi ab Episcopis consecrarentur; semel baptizatos, iterum rebaptizari sub gravibus poenis prohibuit. Basilicam Sancti Agapiti

construxit. Anno ejus Pontificatus tertio, Sanctus Barnabas Apostolus cum Sancti Matthaei Evangelio in Cypro Anthemio Episcopo Salaminae apparuit; sicque praevia trina revelatione, Corpus Sancti Barnabae cum Evangelio supradicto est inventum. Duas fecit Ordinationes mense Decembri, quibus creavit Romae Praesbyteros viginti novem, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca triginta. Quinto Kalendas Martii, e terris excedens, ad Superos evolavit.

℣. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Sermo S. Gregorii Papae.

Ex Hom. 38. in Ev.

Quia nonnumquam mentes audientium plus exempla fidelium, quam docentium verba convertunt, volo vobis aliquid de proximo dicere, quod corda vestra tanto formidolosius audiant, quanto eis hoc de propinquo sonat. Neque enim res longe ante gestas dicimus, sed eas, de quibus testes existunt, eisque interfuisse se referunt, memoramus. Tres Pater meus Sorores habuit, quae cunctae tres Sacrae Virgines fuerunt; quarum una Tarsilla, alia Gordiana, alia Æmiliana dicebatur. Quadam vero nocte huic Tarsillae (quae inter Sorores suas virtute continuae orationis, afflictionis studio, abstinentiae singularis, gravitate vitae venerabilis, in honore, et culmine Sanctitatis excreverat) sicut ipsa narravit, per visionem Atavus meus Felix hujus Romanae Ecclesiae Antistes apparuit, eique mansionem perpetuae claritatis ostendit, dicens: Veni, quia in hac te lucis mansione suscipio. Quae subsequenti mox febre correpta ad diem pervenit extremum, et sicut nobilibus feminis, virisque morientibus multi conveniunt, qui eorum proximos consolentur, eadem hora ejus exitus multi viri, ac feminae ejus lectulum circumstetcrunt, inter quas mater mea quoque adfuit; cum rursum illa respiciens Jesum venientem vidit, et cum magna animadversione coepit circumstantibus clamare, dicens, recedite, recedite, Jesus venit. Cumque in eum intenderet, quem videbat, sancta illa Anima a carne saluta est: tantaque subito fragrantia miri odoris aspersa est, ut ipsa quoque suavitas cunctis ostenderet, illuc auctorem suavitatis venisse.

℟. Iste est.

In III. noct. Homil. super Evang. Homo peregre.

FESTA MARTII.

Die II.

S. Simplicii Pp. C.

Duplex.

Orat. Da quaesumus.

Si celebretur in Quadr. fit commem. Feriae.

In I. noct. de scr.

In Quadr. Fidelis sermo.

IN II. NOCT.

Lectio III.

Simplicius Tiburtinus, Patre Castorio, proxime post Sanctum Hilarium Romanae Ecclesiae Principatum suscepit, ac difficillimis temporibus (cum magna ex parte Christiani Orbis Catholica Fides, ob cunctos fere Principes haeresi infectos, nutaret) summa vigilantia gubernavit. Leoni

Imperatori petenti, ut rata haberentur concessa ab Episcopis Synodi Calcedonensis Ecclesiae Constantinopolitanae privilegia, vehementius restitit, misso, etiam eam ob causam Constantinopolim suo Legato. Eadem pastorali solicitudine plurimum laboravit, ut Timotheus Ælurus, Alexandrinae Ecclesiae invasor, qui Constantinopoli libere degens, adnitebatur quam maxime propagare haeresim, novumque Zenonis Imperatoris opera cogi Concilium, pelleretur in exilium, sicque integritati suae Alexandrina redderetur Ecclesia. Reliquorum item perduellium pro nona Synodo indicenda conantibus fortiter obstitit, asserens, nova Concilia non facile convocanda, nisi cum aliquid in pravis sensibus novum, aut in assertione dogmatum emersisset ambiguum.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Damnavit iterum Moggum, alterum Alexandrinae Sedis invasorem, curavitque, ut ex Urbe pelleretur, ne aliquos modicae fidei inficeret, et ad perversitatis suae factionem pertraheret. Timotheo Solofaciolo, legitimo ejusdem Ecclesiae Antistiti, juxta pristinum institutum, per suos Legatos erroris sui condonationem expetenti, idcirco quod timore perterritus Dioscorum ad Altare nominasset, veniam impertiit. Antiocheni Episcopi electionem ad seditiones vitandas Constantinopoli in Concilii Nicaeni praejudicium peractam, ea lege ratam habuit, ut deinceps, secundum Patrum definitiones, Orientali Comprovincialium Episcoporum Synodo, creatio Antiocheni Pontificis reservaretur. Oblationes Ecclesiae ita partiendas esse praecepit, ut una dumtaxat portio Episcopo, una itidem Clero, duae vero in Ecclesiae fabbricam, et peregrinos, ac pauperes erogarentur. Zenonem Episcopum Hispalensem vicaria Sedis Apostolicae auctoritate fulcivit, ne Apostolicae institutiones, decreta, et Sanctorum terminos Patrum in Hispaniis transcendi permitteret.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Statuit in urbe Hebdomadas, ut propter Baptismum, et poenitentiam petentes, Presbyteri quidem de Regione prima apud Sanctum Paulum, de tertia apud Sanctum Laurentium, et de septima apud Sanctum Petrum manerent. Dedicavit Basilicas Sancti Stephani in Coelio Monte, Sancti Andreae Apostoli juxta Sanctam Mariam, item aliam Sancti Stephani juxta Sanctum Laurentium, ac postremo Sanctae Bibianae Martyris aliam intra Urbem juxta Palatium Licinianum; itemque vasa complura tum argentea, tum aurea Romanae contulit Ecclesiae. Demum Zenone Imperatore, et Odoacre Italiae Rege, migravit ad Dominum. Habuit Ordinationes tres mense Decembri, quibus creavit Presbyteros quinquaginta octo, Diaconos undecim, Episcopos per diversa loca triginta sex. Sacerdotium administravit annos quindecim, menses quinque, et dies decem.

℟. Iste est.

In III. noct. Hom'l. super Evang. Homo peregre.

In Quadrag. ix. Lect. de Homil. Fer.

Die IV. Martii.
S. Lucii I. Pp. M.
Duplex.
Orat. Deus, qui nos.
In Quadr. fit comm. Fer.
In I. Noct. Lect. *de scr.*
In Quadrag. A Mileto.
IN II. NOCT.
Lectio IV.

Lucius Romanus, Patre Porphyrio, post Sancti Cornelii consummationem, Romanae Ecclesiae Episcopatum tenuit. Sanxit, ut duo Presbyteri, ac tres Diaconi, Ecclesiastici causa testimonii, quovis loco Episcopum non desererent. Pacem lapsis dandam, et, poenitentia acta, communicationis fructum negandum non esse, spiritu Dei plenus (ut S. Cyprianus scripsit) litteris suis significavit. Ob Christi fidem exilio relegatus, et postmodum ad Ecclesiam suam incolumis redire permissus, tandem omni Ecclesiae facultate Archidiacono suo Stephano prius tradita, capite truncatus est quarto Nonas Martii, Gallo, et Volusiano Principibus. Duas habuit Ordinationes mense Decembri, quibus Presbyteros quatuor, Episcopos per diversa loca septem creavit. Ejus Corpus primo via Appia ad Sanctum Sixtum, in Coemeterio Callisti sepultum, inde a Paschali Papa in Sanctae Caeciliae Titulum, una cum ejusdem Virginis, et Sociorum Corporibus translatum, ibi sub sancto Altari collocatum fuit.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

De Epistola S. Cypriani Episcopi, et Martiris, et Collegarum ejus ad S. Lucium Papam, et Martyrem.

Nuper quidem tibi, Frater charissime, gratulati sumus, cum te honore geminato in Ecclesiae suae administratione Confessorem pariter, et Sacerdotem constituit divina dignatio. Sed et nunc non minus tibi, et comitibus tuis, atque universae fraternitati gratulamur, quod cum eadem gloria, et laudibus vestris, reduces vos denuo ad suos fecerit benigna Domini, et larga protectio; ut parescendo gregi Pastor, et gubernandae navi Gubernator, et plebi regendae Rector redderetur: et appareret relegationem vestram sic divinitus esse dispositam, non ut Episcopus relegatus, et pulsus, Ecclesiae deesset, sed ut ad Ecclesiam major rediret. Neque enim in tribus pueris minor fuit Martyrii dignitas, quia, morte frustrata, de camino ignis incolumes exierunt; aut non consummatus Daniel extitit in suis laudibus, quia, qui leonibus missus fuerat ad praedam, protectus a Domino vixit ad gloriam. In Confessoribus Christi dilata Martyria non merita confessionis minuunt, sed magnalia divinae protectionis ostendunt.

℟. Desiderium animae.

Lectio VI.

Repraesentatum videmus in vobis, quod apud Regem fortes, atque illustres pueri praedicaverunt, ipsos quidem paratos esse ardere flammis, ne diis ejus servirent, aut imaginem, quam fecerat, adorarent; Deum tamen, quem colebant, quemque et nos colimus, potentem esse, ut eos de camino ignis eximeret, et de Regis manibus, ac do poenis praesentibus liberaret; quod invenimus in confessionis vestrae fidei, et in Domini circa vos protectio-

ne nunc gestum: ut cum vos parati fueritis, et prompti omne subire supplicium, Dominus tamen vos poenae subtraheret, et Ecclesiae reservaret. Regredientibus, vobis, breviata non est in Episcopo confessionis suae dignitas, sed magis crevit Sacerdotalis auctoritas, ut Altari Dei assistat Antistes, qui ad confessionis arma sumenda, et facienda Martyria, non verbis plebem, sed factis cohortetur, et imminente Antichristo, paret ad praelium milites, non solum sermonis, et vocis incitamento, sed fidei, et virtutis exemplo.

℟. Stola jucunditatis.

In III. Noct. Hom. super Evang. Si quis vult post me venire.

In Quadrag. IX. Lect. de Homil. Feriae.

Die V. martii

IN FESTO S. JOANNIS JOSEPHI DE CRUCE CONFESSORIS.

Duplex minus.

Offic. de commu. Conf. non Pont. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Deus, qui Beatum Joannem Josephum Confessorem tuum per arduas paupertatis, humilitatis, et patientiae vias coelesti gloria sublimasti: da nobis, quaesumus, ut carne mortificati, ejus imitemur exempla, et gaudiis perfruamur aeternis. Per Dominum nostrum.

Lect. 1. Noct. de scrip. occurr. In Quadrag. vero, Beatus vir, *de eod. comm. 2. loco.*

In II. Noct. Lect. IV.

Isclae Regni Neapolis in Urbe, apud Ænariam Insulam, parentibus nobilitate sanguinis, morumque probitate praestantibus, natus est Beatus Joannes Josephus de Cruce Christianae pietatis semina, quae in ejus animam, supernis benedictionibus praeventam, cum lacte istillaverant, fructus mox uberrimos attulerunt. Tenerrima adhuc aetate, nedum a nugis puerilibus abhorruit, sed virtutes excolere coepit illustriores, silentii potissimum, mortificationis, mundi, suique ipsius abnegationis, quas assiduo orationis studio confovebat. Deiparae cultum, quem ad obitum usque in dies auxit, interea temporis arripuit; Dominicaeque Passionis, et Eucharistiae Mysteria affectu peculiari prosequebatur. Sancti Petri de Alcantara Institutum, quod Joannes de Sancto Bernardo ex Hispanis Excalceatis, Clemente Nono approbante, nuperrime in Italiam invexerat, divino afflante Numine, anno vitae suae sextodecimo amplexus est Italorum primus. Seraphico Patriarcha, fidissimoque ejus Alumno Petro de Alcantara in ipso tyrocinio sibi ad imitandum propositis, mirum quam perfecte poenitentiam hujus, et contemplationem, humilitatem illius, ac paupertatem jam tum fuerit assecutus.

Lectio V.

Tertio vix decurso a solemni Professione sua anno, Pedemontani Aliphae Coenobii fundationi destinatur; quod ejus opera exiguum adeo evasit, ut alterius, quod olim in Petroso Extremadurae Sanctus Petrus de Alcantara, Clericus ipse quoque, excitaverat, imaginem simillimam referret. Sacerdotio ex obedientia inauguratus, disciplinis moralibus, quas numquam perdidicerat, improviso

excultus visus est. Superiorum venia, non longe ab eo Coenobio, sacram Eremum extruere aggressus subter excelsi montis dejectu, ut absolveretur, quam citissime, ligna, lapides, calcem humeris suis mordaci lorica contectis, exportabat, ita ut per calcanea cruor ubertim in terram deflueret. Fratrum rogatu leges quasdam pro sacro illo recessu peculiares condidit, dignas, quae a Sede Apostolica confirmarentur. Novitiorum regimini praepositus, eorum ad vitam regularem componere mores eo profectu enixus est, ut illorum aliqui sanctitatis, et miraculorum fama inclaruerint. Verum cum Clemens Papa Undecimus saeculi hujus decimi octavi initio Fratres Italos Excalceatos ab Hispanis in Regno Neapolis sejunxisset, illique nulla regiminis forma poti-rentur, ab eodem Pontifice, obsistente licet humani generis hoste, Provinciae Neapolitanae Sancti Petri de Alcantara nuncupatae erectionem obtinuit.

Lectio VI.

Primus novae istiusmodi Provinciae Minister renuntiatus, regimen, quod abdicaverat, Sacrae Congregationis Episcoporum, et Regularium jussu assumere coactus, difficile relatu est, quot, qualesque calumnias Dei Famulo devorare opus fuerit, ut Italicam Excalceatorum Fratrum Familiam constabiliret. Rebus compositis, eo sese totum convertit, ut duplex ille Petri de Alcantara contemplationis, et poenitentiae spiritus altas inter suos radices ageret, quos praeclarissimis virtutum exemplis anteibat; humilitate in primis, rigidaque claustralis disciplinae custodia, paupertate, et abstinentia enituit admirabili. Unicum ad nudam carnem sexaginta quatuor annis habitum adhibuit; perque viginti quatuor annos, priscorum Eremicolarum ritu, pane tantum, ac fructibus victitavit, quod edulii genus ex obedientia in nauseosum commutavit ferculum. Flagellis asperrimis, ciliciis, et cruce ferrea, acutis instruscta claviculis, corpus suum dilaniavit. Illud etiam de eo fertur, quod crebrerrimas inter orandum extases passus est, quodque raptibus, prophetia, miraculis, aliisque hujusmodi supernaturalibus donis vivens claruerit. Denique zelo animarum absumptus, octogenarius, apopletico morbo correptus, tertio Nonas Martias in osculo Domini obdormivit in Coenobio Sanctae Luciae Montis Urbis Neapolis anno septingentesimo trigesimo quarto supra millesimum. Eumdem novis miraculis coruscantem anno ab illius decessu quinquagesimo sexto Pius Sextus Pontifex Maximus Beatorum albo recensuit, et Gregorius Papa Decimosextus anno Millesimoctingentesimo trigesimo nono solemni ritu Dominica Sanctissimae Trinitatis in Canonem Sanctorum retulit.

Lect. III. Noct. Hom. in Evang. Nolite timere, *ut in eod. comm. 2. loco.*

Die XII. martii.

In festo S. Bernardi Episc. Foriclaudii, ac Carinolae, *et Conf. dupl. Omnia de eod. com. 1. loco. Extra Quadrag. ll. 1. n. de Script. Ad hymn.* Iste Confess. *mutat. tertius versus.*

Die XIII. martii.
Hodie assignet ex heri.
S Gregorii I. Pp. C. et Eccl. Doct.
Duplex.
Omnia ut in Brev.
Die XV. Martii.
S. Zachariae Pp. C.
Duplex.
Orat. Da quaesumus.
In Quadrag. fit comm. Fer.
In I. noct. Lect. Fidelis sermo. *Post Pasch. de scr.*

IN II. NOCT.
Lectio III.

Zacharias, natione Graecus, Patre Polychronio, Gregorio Tertio ex hac luce subtracto, ad Beati Petri Cathedram est evectus. Vir fuit mitissimi ingenii, mirae suavitatis, et gratiae, Cleri, ac populi Romani amator, ad iram tardus, ad misericordiam, et clementiam promptissimus, nulli malum pro malo reddens, sed vincens in bono malum; adeo ut, quos habuerat aemulos, et inimicos, eosdem initio Pontificatus honoribus, et praemiis affecerit. Pontifex creatus, ut Italiam armis Longobardorum vexatam, suae tranquillitati restitueret, ad Luitprandum Regem Interamnae degentem, et Legatos misit, et ipse profectus est; ubi, et orationis elegantia, et vitae sanctitate sic regem demulsit, ut quas civitates, Oppida, et Patrimonia ab Ecclesia abstulerat, eidem restitnerit.

℟. Inveni David servum.

Lectio V.

Sed et Ticinum usque profectus eumdem inflexit, ut a Ravennae tum oppressione cessaret. Rachim adiit, Perusiam acri obsidione prementem, quem tanta orationis majestate permovit, ut et ab omni oppugnatione desisteret, et Religionis amore succensus, regiam dignitatem, et paludamentum, Monachali instituto, et habitu permutaret. Consultus a Francis, Regnum illud a Chilperico viro stupido, et ignavo, ad Pipinum pietate, et fortitudine praestantem, auctorltate Apostolica transtulit. Multas Synodos, et Concilia celebravit pro Ecclesiasticae disciplinae restaurstione.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Romae omnia loca sacra, aut reparavit, aut ditiora effecit. Santorum Imagines vetustate exoletas renovavit, et Lateranense Patriarchium, quod magna in penuria invenerat, pene a novo restauravit, ac multas reliquias ibi inventas diversis Ecclesiis distribuit. Pauperibus alendis reditus assignavit. Bibliothecam Sancti Petri construxit, Basilicam Sancti Georgii in Velabro condidit: aedificavit et Oratorium divae Caeciliae via Tiburtina. Clerum valde dilexit, et donativum singulis Presbyteris, et Diaconis erogavit. Sancti Gregorii Dialogorum libros in Graecum transtulit, rebusque variis pro Ecclesiae utilitate, non minus pie, quam prospere gestis, sanctitatis laurea est coronatus.

℟. Iste est.

In III. noct. Homil. super Evang. Homo peregre:
In Quadrag. ix. Lect. de Homil Feriae.

Die XXVIII. martii.
S. Sixti III. Pp. C.
Duplex.
Orat. Da quaesumus.

In Quadrag. fit. comm. Feriae.
In I. noct. Lect. Fidelis sermo. *Post Pascha de ser.*

IN II. NOCT.

Lectio VI.

Sixtus hujus nominis Tertius, Patria Romanus, filius Sixti, defuncto Sancto Coelestino Romanae Ecclesiae Episcopus praeficitur, totius Urbis pace, et consensione mirabili. Eum adhuc Presbyterum Sanctus Augustinus eximie commendavit, tum quod prior Anathema Pelagianis in populo frequentissimo pronunciarit, tum quod suis quoque scriptis adversus eorum errorem, vehementer pugnarit. Ut autem Romani Sacerdotii gubernacula suscepit, decretum Ephesinae Synodi adversus Nestorium habitum, volumine describens, ad Orientis, et Occidentis dedit Ecclesias, confirmans, duabus in Christo manentibus perfecte naturis, unam Filii Dei credendam esse personam. Qua de re, et ad Nestorium ipsum, et ad Orientis Episcopos, ad ejus errorem succidendum sententias direxit, haec inter cetera scribens Antiocheno Episcopo: Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati: perspicua Majorum fides, et credulitas, nulla coeni permixtione turbetur.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Is a Beato Petro Apostolo sibi per visum apparente, una cum Sancto Apollinare ejus discipulo, primo Ecclesiae Ravennatis Episcopo, quem ejusdem Ecclesiae Pontificem ordinare deberet, admonitus; Petrum Ecclesiae Forocorneliensis Diaconum praeter Ravennatum sententiam, illis praefecit Antistitem, quem, cognomento Chrysologum, admiranda morum sanctitudo, et doctrina insignis mirifice commendarant. Cum autem Sixtus Ecclesiae praedium abnuerit alienari, studeretque sublevare gravatos, odium in se convertit Anicii Bassi Exconsulis, et Mariniani Patricii, a quibus turpi calumnia exagitatus, sponte voluit suam in Synodo causam judicari. Itaque in Basilica Heloniana, quae dicitur Sessorianum Atrium, quinquaginta sex Episcoporum Concilio coacto, praesente Valentiniano Imperatore, cum universo Clero, atque Senatu, Sixtus declaratus est innocens, Bassus vero, et Marinianus calumniatores damnati, atque proscripti, bonis praeterea Bassi Ecclesiae adjudicatis: quem intra tres menses divina ultione defunctum, Sixtus reddens bona pro malis, cum linteaminibus, et aromatibus manibus ipse contrectans, recondidit, sepelivitque apud Beatum Petrum Apostolum, in Sepulchro Majorum suorum.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Venerandus hic Pontifex complura in Urbe magnifica praestitit, nam argentea, et aurea vasa, possessionesque complures Ecclesiis contulit. Refecit Basilicam S. Mariae Majoris ad Praesepe, quam et metallis aureis, sacrisque Imaginibus decoravit. Fecit, et in Constantiniana Basilica ornamentum supra Fontem, quod antea non erat, nam marmorea Epistylia, et porphyreticas columnas, quas Constantinus Augustus congregatas dimiserat, erigi curavit, ac versibus exornavit. Ejus item

rogatu, Valentinianus Augustus argenteum fastigium a Barbaris sublatum, in eadem Constantiniana Basilica restituit: cujus Imperatoris, et Theodosii Principatu Sixtus, viam universae carnis ingressus, quievit in Domino, sepultusque est via Tiburtina in Crypta juxta Corpus S. Laurentii Martyris. Una Ordinatione mense Decembri, creavit Presbyteros viginti octo, Diaconos duodecim, Episcopos per diversa loca quinquaginta duos; et rexit Ecclesiam annos septem, menses undecim.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. super Evang. Homo peregre.

In Quadrag. IX. Lect. de Homil. Feriae.

Dominica secunda post Pascha, vel alia ex sequentibus non impedita festo majoris ritus, ac dignitatis.

FESTUM S. FRANCISCI DE PAULA CONF.

3. Patr. princ. Regni Neap. (ex concess. Gregorii Pp. XVI. 10. Maji 1838.).

Dupl. 2. Class. cum Octava.

Ad Hymn. *Mer. supr.* Lect. 1. Noct. *Beatus vir*, ut in comm. 2. loc., et caetera ut in die 2. Aprilis.

Dom. III. post Pascha.

FEST. PATROCINII S. JOSEPH SPONSI B. M. V.

Duplex II. class.

In I. Vesperis Antiph.

Jacob autem etc. *cum reliq. de Laud. Psal.* Dixit Dominus etc. *cum reliq. de Dom. et pro ult. Psal. dic.* Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. *Gen. 49.*

Benedictiones Patris tui confortatae sunt benedictionibus Patrum ejus: donec veniret desiderium collium aeternorum: fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaraei inter fratres suos.

Hymnus.

Te, Joseph, celebrent agmina
Coelitum,
Te cuncti resonent Christiadum
Chori,
Qui clarus meritis junctus es inclytae,
Casto foedere Virgini.
Almo cum tumidam germine conjugem
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu superi Flaminis Angelus
Conceptum puerum docet.
Tu natum Dominum stringis, ad exteras
Ægypti profugum tu sequeris plagas;
Amissum Solymis quaeris, et invenis,
Miscens gaudia fletibus.
Post mortem reliquos mors pia consecrat,
Palmamque emeritos gloria suscipit.
Tu vivens, Superis par, frueris Deo
Mira sorte beatior.
Nobis, Summa Trias, parce precantibus,
Da Joseph meritis sidera scandere,
Ut tandem liceat, nos tibi perpetim
Gratum promere canticum. Amen.

℣. Constituit eum Dominum domus suae, alleluja.

℟. Et Principem omnis possessionis suae, alleluja.

Ad Magnificat.

Antiph. Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in

utero habens de Spiritu Sancto, alleluja.

Oratio.

Deus, qui ineffabili providentia Beatum Joseph Sanctissimae Genitricis tuae Sponsum eligere dignatus es: praesta quaesumus, ut quem Protectorem veneramur in terris, Intercessorem habere mereamur in coelis. Qui vivis.

Ad Matut. Invitat.

Laudemus Deum nostrum: * In veneratione Beati Joseph Protectoris nostri, alleluja.

Psal. Venite, exultemus.

Hymn. Te, Joseph, celebrent agmina Coelitum, *ut in I. Vesp.*

In I. Nocturno.

Antiph. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe Puerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi, alleluja.

Psal. Noctur. de comm. Confess. non Pont.

℣. Contebor nomini tuo; alleluja.

℟. Quoniam adjutor, et Protector factus es mihi, alleluja.

De Libro Genesis.

Lectio I. Cap. 39.

Igitur Joseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, Princeps exercitus, vir Ægyptius, de manu Ismaelitarum, a quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis propspere agens; habitavitque in domo Domini sui, qui optime noverat Dominum esse cum eo, et omnia, quae gereret, ab eo dirigi in manu illius. Invenitque Joseph gratiam coram Domino suo, et ministrabat ei, a quo praepositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, et universa, quae ei tradita fuerant. Benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph, et multiplicavit tam in aedibus, quam in agris cunctam ejus substantiam. Nec quidquam aliud noverat, nisi panem, quo vescebatur. Erat autem Joseph pulchra facie, et decorus aspectu.

℟. Clamavit populus ad Regem, alimenta petens: * Quibus ille respondit: Ite ad Joseph, alleluja.

℣. Salus nostra in manu tua est: respice nos tantum, et laeti serviemus Regi. Quibus ille.

Lectio II. Cap. 41.

Placuit Pharaoni consilium, et cunctis ministris ejus, locutusque est ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph: Quia ostendit tibi Deus omnia, quae locutus es; numquid sapientiorem, et consimilem tui invenire potero? Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum Regni solio te praecedam. Dixitque rursus Pharao ad Joseph: Ecce constitui te super universam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus, vestivitque eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante praecone, ut omnes coram eo genuflecterent, et praepositum esse scirent universae terrae Aegypti.

℟. Fecit me Deus quasi patrem Regis, et Dominum universae domus ejus: * Exaltavit me, ut salvos faceret multos populos, alleluja.

℣. Venite ad me, et ego dabo vobis omnia bona Aegypti, ut comedatis medullam terrae. Exaltavit me.

Lectio IV.

Dixit quoque Rex ad Joseph: Ego sum Pharao, absque tuo imperio non movebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Aegypti. Vertitque nomen ejus, et vocavit eum, lingua Aegyptiaca, Salvatorem mundi. Deditque illi uxorem Aseneth filiam Putiphare Sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaque Joseph ad terram Aegypti (triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu Regis Pharaonis) et circuivit omnes Regiones Aegypti. Venitque fertilitas septem annorum, et in manipulos redactae segetes congregatae sunt in horrea Aegypti. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est. Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenae maris coaequaretur, et copia mensuram excederet.

℟. Jam laetus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo. Non sum fraudatus aspectu tuo: * Insuper ostendit mihi Dominus semen tuum, alleluja.

℣. Qui pascit me ab adolescentia mea, benedicat pueris istis, et invocetur super eos nomen meum. Insuper. Gloria. Insuper.

In II. Nocturno.

Ant. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe Puerum, et Matrem ejus, et vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri, alleluja.

℣. Respice de coelo, et vide, et visita vineam istam, alleluja.
℟. Et perfice eam, alleluja.

Sermo Sancti Bernardini Senensis.
Sermo 1. de S. Joseph.

Lectio IV.

Omnium singularum gratiarum alicui rationabili creaturae communicatarum generalis regula est; quod, quandocumque divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem, seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donet, quae illi personae sic electae, et ejus officio necessaria sunt, atque illam copiose decorant. Quod maxime verificatum est in Sancto Joseph putativo Patre Domini nostri Jesu Christi, et vero Sponso Reginae mundi, et Dominae Angelorum; qui ab aeterno Patre electus est fidelis Nutritius, atque Custos principalium thesaurorum suorum, scilicet Filii ejus, et Sponsae suae; quod officium fidelissime prosecutus est. Cui propterea Dominus ait: Serve bone, et fidelis, intra in gaudium Domini tui.

℟. Dedisti mihi protectionem salutis tuae, et dextera tua suscepit me: * Protector meus, et cornu salutis meae, et susceptor meus, alleluja.

℣. Ego Protector tuus sum, et merces tua magna nimis. Protector.

Lectio V.

Si compares eum ad totam Ecclesiam Christi, nonne iste est homo electus, et specialis, per quem, et sub quo Christus est ordinate, et honeste introductus in mundum? Sicut ergo Virgini Matri tota Ecclesia Sancta debitrix est, quia per eam Christum suscipere digna facta est, sic profecto, post eam huic debet gratiam, et reverentiam singularem.

Ipse enim est clavis veteris Testamenti, in qua Patriarchalis, et Prophetalis dignitas promissum consequitur fructum. Porro hic est solus, qui corporaliter possedit, quod eis divina dignatio repromisit. Merito igitur figuratur per illum Patriarcam Joseph, qui populis frumenta servavit. Sed et hic illum praecellit, quia non solum Aegyptiis panem corporalis vitae, sed omnibus electis panem de coelo, qui coelestem vitam tribuit, cum multa solertia enutrivit.

℟. Statuet filios suos sub tegmine illius, et sub ramis ejus morabitur: protegetur sub tegmine illius a fervore: * Et in gloria ejus requiescet, alleluja.

℣. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra. Et in gloria.

Lectio VI.

Profecto dubitandum non est, quod Christus familiaritatem, reverentiam, atque sublimissimam dignitatem, quam sibi exhibuit, dum ageret in humanis, tamquam filius Patri suo, in coelis utique non negavit, quin potius complevit, et consummavit. Unde non immerito in verbo proposito a Domino subinfertur: Intra in gaudium Domini tui. Unde, licet gaudium aeternae beatitudinis in cor hominis intret, maluit tamen Dominus ei dicere: Intra in gaudium; ut mystice innuatur, quod gaudium illud non solum in eo sit intra, sed undique illum circumdans, et absorbens, et ipsum velut abyssus infinita submergens. Memento igitur nostri, Beate Joseph, et tuae orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede; sed et Beatissimam Virginem Sponsam tuam nobis propitiam redde, quae Mater est ejus, qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit, et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen.

℟. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: * Si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo, alleluja.

℣. In te cantatio mea semper, quoniam tu adjutor fortis. Si exurgat. Gloria Patri. Si exurgat.

In III. Nocturno.

Ant. Consurgens Joseph accepit Puerum, et Matrem ejus, et venit in terram Israel, et habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth, alleluja.

℣. Invocavi Dominum Patrem Domini mei, alleluja.

℟. Ut non derelinquat me in die tribulationis, allel.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap. 3.*

In illo tempore: Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante, apertum est coelum. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Lib. 2. de consensu Evangelist.

Manifestum est illud, quod ait: Ut putabatur filius Joseph: propter illos dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrantur. Quos autem movet, quod alios progenitores Matthaeus enumerat descendens a David usque ad Joseph, alios autem Lucas ascendens a Joseph usque ad David: facile est, ut advertant, duos Patres habere potuisse Joseph; unum, a quo genitus; alterum, a quo fuerit adoptatus. Antiqua est enim consuetudo adoptandi etiam in illo

populo Dei, ut sibi filios facerent, quos non ipsi genuissent. Unde intelligitur Lucas Patrem Joseph, non a quo genitus, sed a quo fuerat adoptatus, suscepisse in Evangelio suo, cujus progenitores sursum versus commemorat, donec exiret ad David.

℟. Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est: pariet autem filium: * Et vocabis nomen ejus Jesum, alleluja.

℣. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Et vocabis.

Lectio VIII.

Cum enim necesse sit, utroque Evangelista vera narrante, et Matthaeo scilicet, et Luca, ut unus eorum ejus Patris originem teneret, qui genuerat, alter ejus, qui adoptaverat Joseph; quem probabilius intelligimus adoptantis originem tenuisse, quam eum, qui noluit Joseph genitum dicere ab illo, cujus eum filium esse narrabat? Matthaeus autem dicens: Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, atque ita in hoc verbo, quod est Genuit, perseverans, donec in ultimo diceret: Jacob autem genuit Joseph; satis expressit, ad eum Patrem se perduxisse originem generantium, a quo Joseph non adoptatus, sed genitus erat. * Quamquam, si etiam Lucas genitum diceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet, ut aliud crederemus, quam ab uno Evangelista gignentem, ab altero adoptantem Patrem fuisse commemoratum. Neque enim absurde quisque dicitur non carne, sed charitate genuisse, quem filium sibi adoptaverit. At vero etiam nos, quibus dedit Deus potestatem filios ejus fieri, de natura, atque substantia sua non nos genuit, sicut unicum Filium, sed utique dilectione adoptavit.

℟. Surge, et accipe Puerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum: * Et esto ibi, usque dum dicam tibi, alleluja.

℣. Ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi Filium meum. Et esto. Gloria Patri. Et esto.

Nona lect. de Homil. Domin; nisi transferatur. Tunc enim 8. lect. dividit. ab asterisco; et 9. Lect. incip. a verb. Quamquam.

Ad Laudes, et per Horas.

Antiph. Jacob autem genuit Joseph virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus, alleluja.

Psal. Dominus regnavit, *cum rel. de Dominica.*

Antiph. Missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, alleluja.

Antiph. Ascendit autem Joseph a Galilaea de civitate Nazareth, in Judaeam, in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, alleluja.

Antiph. Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et Infantem positum in praesepio, alleluja, alleluja.

Antiph. Et ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, alleluja.

Capitulum. ut in *Vesp.*

Hymnus.

Coelitum Joseph decus, atque nostrae

Certa spes vitae, columenque mundi,
Quas tibi laeti canimus, benignus
Suscipe laudes.

Te Sator rerum statuit pudicae
VirginisSponsum, voluitque Verbi
Te Patrem dici, dedit et ministrum
Esse salutis.

Tu Redemptorem stabulo jacentem,
Quem chorus Vatum cecinit futurum,
Aspicis gaudens, humilisque natum
Numen adoras.

Rex Deus regum, Dominator orbis,
Cujus ad nutum tremit inferorum
Turba, cui pronus famulatur æther,
Se tibi subdit.

Laus tibi excelsae Triadi perennis,
Quae tibi praebens superos honores,
Det tuis nobis meritis beatae
Gaudia vitae. Amen.

℟. Dedisti mihi protectionem salutis tuae, alleluja.

℣. Et dextera tua suscepit me, alleluja.

Ad Benedictus.

Antiph. Joseph fili David, noli timere accipere Mariam Conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est, alleluja.

Oratio, ut supra.

Et fit com. Dom 3. post Pascha.

Ad Tertiam.

Ant. Missus est.

Capitul. Benedictiones, *ut supra*

℟. *br.* Constituit eum Dominum domus suae, * Alleluja, alleluja. Constituit.

℣. Et principem omnis possessionis suae Alleluja, alleluja Gloria Patri. Constituit.

℣. Confitebor nomini tuo, alleluja.

℟. Quoniam adjutor, et Protector factus es mihi, alleluja.

Ad Sextam.

Antiph. Ascendit autem.

Capitulum Genes. 49.

Deus patris tui erit adjutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus coeli desuper.

℟. *br.* Confitebor nomini tuo, * alleluja, alleluja. Confitebor.

℣. Quoniam adjutor, et protector factus es mihi. Alleluja. Gloria Patri: Confitebor.

℣. Justus germinabit sicut lilium, alleluja.

℟. Et florebit in aeternum ante Dominum, alleluja.

Ad Nonam.

Antiph. Et ipse Jesus.

Capitulum. Genes 49.

Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus aspectu: filiae discurrerunt super murum.

℟. *br.* Justus germinabit sicut lilium, * alleluja, alleluja. Justus.

℣. Et florebit in aeternum ante Dominum. Alleluja, alleluja. Gloria Patri. Justus.

℣. Plantatus in domo Domini, alleluja.

℟. In atriis domus Dei nostri, alleluja.

In II. Vesperis.

Omnia, ut in primis, praeter sequentia.

℣. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, alleluja.

℟. Et fructus ejus dulcis gutturi meo, alleluja.

Ad Magnificat.

Antiph. Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te alleluja.

Et fit comm. Dom 3. post Pasch.

Si contingat hoc Festum transferri extra tempus Paschale, tunc expungi debent omnia Alleluja; *et Antiphonae Nocturnorum sumi debent ex Festo principali S. Joseph 19. Mart., uti ex Decreto S. R. C. in una Barcinonen. Die 11. Septembr. 1790.*

FESTA APRILIS

Die VI.

S. Sixti I. Pp. M.

Orat. Infirmitatem.

In I. Noct. Lect. A Mileto. *Post Pascha de scr.*

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Sixtus, hujus nominis Primus, Romanus natione, de Regione Urbis septima, quae Via Lata dicta est, Patre Pastore genitus, in locum Alexandri Primi Romani Pontificis nobilissimo Martyrio coronati, totius Cleri suffragiis suffectus, supremo illo munere egregie, et summa cum laude perfunctus est, annis novem, mensibus decem, diebus octo, sub Imperatoribus Adriano, et Antonino Pio Augustis.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

Nonnulla ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentia prudentissime statuit, scilicet, ne sacra vasa, et ministeria ab aliis, qui sacri Ministri non essent, contrectarentur; ne sacrum Corporale, ut vocant, ex alia, quam linea materia fieret; ut sacrum Trisagium in Missa populus decantaret; et ne ullus Episcopus Romam evocatus, ad suam deinde Dioecesim rediens susciperetur, nisi litteris Apostolicis, quas formatas, et canonicas antiqui vocabant, munitus esset.

℟. Desiderium animae ejus.

Lectio VI.

Tres Ordinationes mense Decembri pro more fecit, in quibus creavit Episcopos quatuor pro diversis locis, Presbyteros undecim, Diaconos tres. Vir revera singulari vitae sanctimonia, incredibili morum facilitate, eximia in pauperes liberalitate, frequentibus etiam insignis miraculis, illustri tandem Martyrio coronatus, octavo Idus Aprilis, et sepultus in Vaticano.

℟. Stola jucunditatis.

In III. Noct. Homil. super Evang. Si quis venit.

Temp. Pasch. Ego sum vitis vera.

Die VII. Aprilis.

S. Coelestini I. Pp. C.

Duplex.

Orat. Da quaesumus.

In I. Noct. Lect. Fidelis sermo. *Post Pascha de scr.*

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Coelestinus Romanus Prisci filius, Sancto Bonifacio sine ulla plebis discissione subrogatus, Romanae Ecclesiae praesedit Episcopus. Hic venerabilis Pontifex (cui ad Ecclesiae Catholicae praesidium, multa Dominus gratiae suae dona largitus est) sciens damnatis non examen judicii, sed solum poenitentiae remedium esse præstandum, Coelestium primarium Pelagii discipulum, suam quasi non discusso negocio audientiam postulantem, totius Italiae finibus jussit extrudi. Nec segniore cura, ab hoc eodem morbo Britanias liberavit,

quando quosdam inimicos gratiae, soli in suao originis occupantes, etiam ab illo secreto exclusit Oceani. Quamobrem Sancto Germano Antissiodorensi Episcopo illuc vice sua missó, ordinatoque Scotis Episcopo Palladio, qui Romanae Ecclesiae Diaconus erat, dum Romanam Insulam studuit servare Catholicam, fecit etiam barbaram Christianam.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Cum antem Nestorius Constantinopolitanus Episcopus novum Ecclesiae moliretur errorem inducere, praedicans Christum, ex Maria hominem tantum, non etiam Deum natum, eique Divinitatem collatam esse pro meritis; ejus impietati sua Coelestinus auctoritate acriter repugnavit. Quare Sancto Cyrillo Episcopo Alexandrino suas vices delegavit, ut nisi decem dierum intervallo Nestorius resipisceret, in illum sententiam ferret. Verum, cum Nestorius id pertinacius recusasset, magisque crevissent dissensiones, ac tumultus, apud Ephesum tertia Œcumenica Synodus est congregata, in qua Coelestinus per suos Legatos praesedit, in quibus suo Commonitorio eos limites praescripsit, ut de Episcoporum sententiis judicarent, certamen non subirent. Itaque in ea Synodo Nestorius cum Haeresi nominis sui, et cum multis Pelagianis, qui cognatum errori suo dogma juvabant, damnatus est.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Per suas litteras eorum Sacerdotum superstitionem Coelestinus redarguit, qui veteri dimisso habitu, amicti pallio, lumbosque praecincti, in Ecclesia ministrabant. Cavit praeterea, ne ulli in morte ultima negaretur poenitentia; neve ex laicis, vel criminosis ad Episcopatum aliqui proveherentur: Itemque, ne Metropolitanus in aliena Provincia aliquid praesumeret, et ne in creandis Episcopis extranei, emeritis in sua Ecclesia Clericis, praeponerentur. Instituit, ut ex omnibus centum quinquaginta Psalmis ante Sacrificium antiphonatim psalleretur. Dedicavit Basilicam Juliam, propriumque suum Coemeterium picturis decoravit, variaque ad Ecclesiae ornatum dona obtulit. Qui cum tribus Ordinationibus mense Decembri creasset Presbyteros triginta duos, Diaconos duodecim, Episcopos per diversa loca quadraginta sex, obdormivit in Domino octavo idus Aprilis, sepultusque est in Coemeterio Priscillae via Salaria, Theodosio, et Valentiniano imperantibus. Sedit annos octo, menses quinque, et dies tres.

℟. Iste est.

In III. noct. Homil. super Evang. Homo peregre.

Die XI. Aprilis.

S. Leonis I. Pp. C. Doct.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

Die XII. Aprilis.

S. Julii I. Pp. C.

Duplex.

Orat. Da quaesumus.

In I. noct. Lect. Fidelis sermo. *Post Pasch. de scr.*

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Julius Romanus, Rustici filius, post Beatum Marcum ad Summum

Pontificatum evectus, vitae Sanctitate, et studio asserendae Fidei Christianae insigniter eluxit. Grassabatur per orientem Arianae haeresis impietas, multique Sanctissimi Episcopi e suis sedibus exulare cogebantur, quos ille, praesertim Sanctum Athanasium, humanissime excepit, et costantissime contra adversarios defendit. Tyriam et Antiochenam Synodum, ut Nicaenam abolerent fidem, ab Arianis coactam, condemnavit, et Romae duo Concilia convocavit, in quibus exulum Episcoporum querelas excepit, et innocentiam declaravit.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Constanti Augusto religiosissimo Principi, per Occidentem imperanti, auctor fuit, ut Constantium fratrem Arianorum fautorem, in Oriente regnantem, precibus, et minis ad revocandum ab exilio Athanasium permoveret. Dolosam fidei formulam ab Eusebianis Arii sectatoribus, in secunda Synodo Antiochena conceptam, rejecit, et magnum Sardicense Concilium ex Occidentis, et Orientis Episcopis indixit, missisque Legatis, multa ibidem pro fide Catholica, et disciplina Ecclesiastica restituenda utiliter constituit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Praeter haec, Basilicas duas in Urbe extruxit, sacrisque picturis exornavit, unam juxta Forum Romanum, alteram in via Flaminia. Tria aedificavit Coemeteria, unum in eadem via Flaminia, alterum in via Aurelia, tertium in Portuensi. Constituit, ne Sacerdos alibi, quam apud Judicem Ecclesiasticum, causam diceret, jussitque, ut omnia ad rem Ecclesiasticam spectantia, per Protonotarium conficerentur instrumenta. Tribus Ordinationibus mense Decembri creavit Diaconos tres, Presbyteros decem et octo, Episcopos novem. Postquam Dei Ecclesiam sanctissime rexisset annis quindecim, mensibus quinque, diebus septemdceim, pridie Idus Aprilis feliciter migravit ad Dominum, sepultus in Coemeterio Calepodii. Inde translatae Reliquiae ad Ecclesiam S. Mariae Transtyberim, ab ipso amplificatam, sub Altari Majori honorifice reconditae sunt.

℟. Iste est.

In III. nocturno Homil. super Evang. Homo peregre.

Die XVII. Aprilis.

S. Aniceti Pp. M.

Duplex.

Temp. Pasch.

Orat. Deus, qui nos.

In I. noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Anicetus Syrus, Imperatore Marco Aurelio Antonino, praefuit Ecclesiae. Decrevit ne Clerici comam nutrirent. Quinquies mense Decembri ordinavit Presbyteros decem et septem, Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca novem. Vixit in Pontificatu annos octo, menses octo, dies viginti quatuor. Propter Christi Fidem Martyrio coronatus, sepultus est via Appia in Coemeterio, quod postea Callisti appellatum est, decimo quinto Kalendas Majas.

℟. Lux perpetua.

Lectio V.

Sermo S. Augustini Ep.

De verbo Domin. 50.

Pastor bonus Christus. Quid Petrus? Nonne et ipse animam suam pro ovibus posuit? Quid Paulus? Quid ceteri Apostoli? Quid eorum tempore consequentes beati Episcopi martyres? Quid etiam iste Sanctus Anicetus? Nonne omnes Pastores boni, non mercenarii, de quibus dicitur; Amen dico vobis perceperunt mercedem suam? Omnes ergo illi Pastores boni, non solum, quia sanguinem fuderunt, sed quia pro ovibus fuderunt. Non enim fuderunt elatione, sed charitate.

℟. In servis suis alleluja.

Lectio VI.

Nam et apud Haereticos, qui propter iniquitates, et errores suos aliquid molestiarum perpessi fuerunt, nomine martyrii se jactant: ut hoc pallio dealbati facilius furentur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo numero habendi sunt, Pastorem bonum Paulum Apostolum audite: Quoniam non omnes, qui corpora sua in passione etiam ignibus tradunt, aestimandi sunt sanguinem fudisse pro ovibus, sed potius contra oves. Si distribuero, inquit, omnia mea pauperibus, et tradidero corpus meum, ut ardeam: Jam ipsi sunt. Sed vide quid sequitur: Charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Ecce venitur ad passionem, ecce venitur et ad sanguinis effusionem, venitur et ad corporum incensionem: et tamen nihil prodest, quia charitas deest. Adde charitatem, prosunt omnia: detrahe charitatem, nihil prosunt cetera.

℟. Filiae Jerusalem.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. *c. 16.*

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Amen, Amen dico vobis: quia plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrisostomi.

Homil. 78. in Joann.

Ut ostenderet post tristitiam gaudium secuturum, naturale adducit exemplum. Mulier, cum parit, tristitiam habet: qua parabola in calamitatibus Prophetae usi sunt: quasi dicat: Dolores capietis, sed quales partus, qui laetitiae causa sunt. Simul et resurrectionem confirmat, indicans obitum suum perinde esse, ac si ex utero matris in lucem prodeat, quasi dicat: nolite admirari, si per hanc tristitiam ad optima vos ducam, nam et mater in pariendo sic per tristitiam transit.

℟. Ego sum vitis vera.

Lectio VIII.

Significat autem hic et mysterium quoddam, quod mortis dolores solverit, et novum hominem regenerari fecerit. Neque dixit tantum tristitiam transituram, sed magnitudine laetitiae succedente, nihil ejus penitus remansurum. Ita erit Sanctis. Atqui non propterea gaudet mulier, quia venit homo in mundum, sed quod filium peperit. Nam si id esset, nihil prohiberet, quin, quae non pariunt, aliis parientibus gauderent.

℟. Candidi facti sunt.

Lectio IX.

Qua ergo gratia sic inquit? quia ad hoc solum adduxit exemplum,

ut post brevem tristitiam perpetuum gaudium secuturum, et se ad vitam transferri, et magnum malorum lucrum ostenderet. Et non dixit, peperit filium: sed quia venit homo in mundum, ubi suam significat resurrectionem, et non morti illi, sed regno parturiendum. Ideo non dixit, quia natus est filius, sed homo. Et vos nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum: inde quod non amplius morietur inquit, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

Te Deum laudamus.

Si celebretur extra Temp. Pasch. Lect. de Hom. Si quis vult. *cum* ℟℟. *de Temp.*

Die XIX. Aprilis.

S. Leonis IX. Pp. C.

Duplex.

Orat. Da quaesumus.

In I. noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Leo, hujus nominis Nonus, ex nobili Francorum prosapia oriundus, Dagsbpurgensis Comes, ac Tullensis Episcopus, Bruno antea dictus, omnium Cardinalium suffragiis, ac communi fidelium gratulatione, ad Sanctissimam Petri Sedem evectus est; et in ea sedit annis quinque, duobus mensibus, diebus octo. Vir omni virtutum genere, et sacra doctrina eximius: ut Apostolicum hoc munus impleret, nullis laboribus, nullis sumptibus, nullis incommodis pepercit.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Germaniam, et Italiam saepius, Galliam semel visitavit. Habuit novem Concilia, Rhemis, Moguntiae, Vercellis, Papiae, Romae, ad restaurandos Christianorum mores. Multas litteras ad Imperatores, Reges, Patriarchas, Episcopos, zelo, ac pietate flagrantes scripsit. Legatos ad Imperatorem Constantinopolitanum pro reductione Graecorum, semel, atque iterum misit. Berengarium Haereticum semel, iterumque damnavit, et Michaelem Cerularium Patriarcham, insignem schismaticum, anathemate perculit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Dum Romae ageret, ter in hebdomada a Sacrosancta Ecclesia Lateranensi ad Vaticanam, nudis pedibus, noctu, orans, et psallens pergebat. Principi Apostolorum decimam oblationum partem sibi de more competentem, Pontificio diplomate cessit. Patrimonium suum proprium in erectionem Monasterii impendit: unde etiam quotannis pecunia submittetur in sumptus Rosae aureae, quam Romani Pontifices, antiquo, et solemni ritu benedicunt. In pauperes, et peregrinos effusam liberalitatem exercuit. Sub leprosi forma, et habitu, Christum aliquando proprio lecto excepit. Denique multis pro Ecclesia laboribus exactis, obiit die decimanona Aprilis, anno millesimo quinquagesimo quarto, ante, et post mortem multis miraculis clarus, ac sepultus est in Vaticano.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. super Evang. Homo peregre.

Die XXII. Aprilis.

SS. Soteris, et Caji Pp. Mm.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

Die XXIV. Aprilis.

S. Fidelis a Sigmaringa Martyris.

Duplex. *Oratio.*

Deus, qui Beatum Fidelem seraphico Spiritus ardore succensum in verae fidei propagatione Martyrii palma, et gloriosis miraculis decorare dignatus es, ejus quaesumus meritis, et intercessione, ita nos per gratiam tuam in fide, et charitate confirma; ut in servitio tuo fideles usque ad mortem inveniri mereamur: Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Fidelis in Oppido Sveviae Sigmaringa ex honesta Reyorum familia natus, ab ineunte aetate singularibus naturae, et gratiae donis ornatus praefulsit. Egregiam quippe sortitus indolem, morumque optima imbutus disciplina, dum Friburgi Philosophiae, et Juris utriusque lauream emeruit, in schola etiam Christi ad perfectionis apicem sedulo virtutum exercitio contendere coepit. Nobilium exinde virorum, varias Europae Provincias lustrantium comes adscitus, eos ad Christianam pietatem sectandam tam verbis, quam operibus excitare non destitit. Quinimo in eodem itinere crebris austeritatibus desideria carnis mortificare, ac ita seipsum regere studuit, ut in tanta rerum vicissitudine nullo unquam visus fuerit irae motu perturbari. Juris praeterea, et justitiae strenuus propugnator, post reditum in Germaniam, celebre sibi nomen acquisivit in Advocati munere, in quo tamen cum fori pericula esset expertus, tutiorem aeternae salutis viam ingredi deliberavit, et superna vocatione illustratus paulo post Ordini Seraphico inter Fratres Minores Capuccinos adscribi petiit.

℟. Lux perpetua.

Lectio V.

Piae petitionis compos redditus, mundi, suique contemptor insignis in ipso statim tyrocinio, magisque cum solemnis Professionis vota in gaudio spiritus Domini nuncupasset, in Regulari observantia omnibus admirationi fuit, et exemplo. Orationi maxime, et sacris litteris vacans, in verbi quoque ministerio singulari gratia excellens, nedum Catholicos ad meliorem frugem, verum etiam Hetorodoxos ad veritatis cognitionem attraxit. Pluribus in locis Coenobii Praefectus constitutus, prudentia, justitia, mansuetudine, discretione, et humilitatis laude, munus sibi demandatum exercuit. Arctissimae Paupertatis zelator egregius, quidquid vel minus necessarium videretur, e Coenobio penitus eliminavit. Inter austera jejunia, vigilias, et flagella salutari seipsum prosequens odio, in alios amorem, quasi mater in filios ostendit. Cum pestifera febris Austriacas militares copias dire affligeret, ipse in extremis infirmorum indigentiis ad assidua charitatis officia toto spiritu incubuit. In componendis etiam animorum dissidiis, aliisque proximi necessitatibus sublevandis consilio, et opere adeo praeclare se

gessit, ut Pater Patriae meruit appellari.

℟. In servis suis.

Lectio VI.

Deiparae Virginis, et Rosarii cultor eximius, illius praecipue, aliorumque Sanctorum patrocinio a Deo postulavit, ut in Catholicae Fidei obsequium vitam sibi, et Sanguinem fundere liceret. Cumque ardens hoc desiderium in quotidiana Sacri devota celebratione magis accenderetur, mira Dei Providentia factum est, ut fortis Christi Athleta Praeses eligeretur illarum Missionum, quas Congregatio de propaganda Fide pro Rhaetia tunc temporis instituerat. Quod arduum munus prompto, hilarique animo suscipiens, tanto fervore executus est, ut pluribus Haereticis ad Orthodoxam fidem conversis, spes non modica effulserit totius gentis Ecclesiae, et Christo reconciliandae. Prophetiae dono praeditus futuras Rhaetiae calamitates, suique necem ab Haereticis inferendam saepius praedixit. Postquam vero insidiarum probe conscius impendenti agoni se praeparasset, die vigesima quarta Aprilis, anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo ad Ecclesiam loci, Sevisium nuncupati, se contulit, ubi ab Haereticis, qui pridie conversionem simulantes, eum dolose ad praedicandum invitaverant, concione tumultuarie interrupta, per verbera, ac vulnera eidem crudeliter inflicta gloriosam mortem magno, et alacri corde perpessus, primitias Martyrum memoratae Congregationis proprio Sanguine consecravit; pluribus signis, et miraculis exinde clarus praesertim Curiae, et Veldkirchii, ubi summa populi veneratione illius Reliquiae asservantur.

℟. Filiae Jerusalem.

In III. Noctu., Homilia S. Augustini Episcopi in Evangelium. Ego sum vitis vera, et Pater meus, *de Communi Martyrum tempore Pasch. primo loco.*

Die XXVI. Aprilis.

SS. Cleti et Marcellini Pp. M.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

Eadem Die Aprilis.

In festo B. Mariae Virginis de bono Consilio.

Duplex Majus.

Omnia ut in Officio parvo B.M.V. praeter ea, quae sequuntur.

Ad Vesperas.

Post Ave maris stella, *dicitur* ℣. Dignare me, laudare te etc.

Ad Magnificat.

Antiph. Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuae Sanctae Imaginis Apparitionem.

Oratio.

Bonorum omnium largitor Deus, qui Genitricis dilecti Filii tui speciosam Imaginem mira Apparitione clarificare voluisti: concede quaesumus, ut ejusdem B.M. Virginis intercessione ad Caelestem patriam feliciter perducamur. Per eumdem Dominum etc.

Ad Matutinum. Invitatorium.

Sancta Maria Dei Genitrix Virgo, * intercede pro nobis.

Psalm. Venite.

Hymnus.

Plaudite festivo, pia gens honore,

Dum Genestani veneraris Ædem,
Qua Dei Magnae Genitricis alma
Splendet Imago.

Haec ubi mira specie repente
Obtulit sese populis videndam,
Multa mox secum bona ferre nostras
Visa per oras.

Ipsa tunc aegris aderat, molestos
Corporis morbos animique pellens,
Longe et ærumnas Latio imminentes
Ipsa fugabat.

Virgo, quae magnis decorata signis,
Nunc quoque effulges, miseris juvamen
Affer, et fusis patiens clientum
Annue votis.

Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui super Coeli solio coruscans
Totius Mundi seriem gubernat
Trinus et unus. Amen.

IN I. NOCTURNO.

De Lib. Proverbiorum. Cap. 2. 10.

Lectio I.

Si intraverit Sapientia cor tuum, et scientia animae tuae placuerit, consilium custodiet te, et prudentia serbavit te, et eruaris a via mala, et ab homine, qui perversa loquitur: qui relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas, qui laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis; quorum viae perversae sunt, et infames gressus eorum. Tu autem etc.

℟. Sancta, et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem Coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio II.

Fili mi, ne affluant me ab oculis tuis. Custodi legem, atque consilium, et erit vita animae tuae, et gratia faucibus tuis. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, et pes tuus non impinget. Si dormieris, non timebis; quiesces, et suavis erit somnus tuus; ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum: Dominus enim in latere tuo, et custodiet pedem tuum, ne capiaris.

℟. Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum: quia, cum essem parvula, placui Altissimo,* Et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et de meis.

Lectio III.

Ego sapientia habito in Consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Timor Domini odit malum, arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Meum est consilium, et aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me Principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo: et qui mane vigilant ad me invenient me.

℟. Beata es, Virgo Maria, quae Dominum portasti Creatorem mundi: * Genuisti qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Genuisti. Gloria Patri. Genuisti.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

De Sermone S. Augustini Episcopi.

In Natali S. Joan. Bapt.

Hominem concepit Elisabeth, hominem Maria: sed Elisabeth solum hominem, Maria Deum, et hominem. Maria res est, quomodo potuerit concipere Creatura Creatorem. Quid est ergo intelligendum, Fratres mei, nisi quia ipse sibi facit carnem de sola Matre, qui fecit primum hominem sine patre, et matre? Primus ille noster casus fuit, quando femina, per quam mortui sumus, in corde concepit venena serpentis: Persuasit enim serpens peccatum, et admissus est mala suadens. Si primus noster casus fuit, cum femina concepit corde venena serpentis, non mirandum, quod salus nostra facta est, cum femina concepit in utero carnem Omnipotentis. Uterque ceciderat sexus: uterque fuerat reparandus. Per mulierem in interitum missi eramus; per mulierem nobis reddita est salus.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa:* Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi.

Lectio V.

Sermo S. Fulgentii Episc.

De Laud. Mariae.

Quoniam diabolus per serpentem Evae locutus, per Evae aures mundo intulit mortem, Deus per Angelum ad Mariam pertulit Verbum, et cunctis saeculis vitam effudit, Angelus sermonem ejecit, et Christum Virgo concepit. Hoc splendore concipitur Dei Filius: hac munditia generatur. De Coelis medicus transiens per Virginem: post transitum suum illaesam fecit Virginem permanere. Qui enim disrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quanto magis in sua Matre, quod invenit integrum, potuit non violare nascendo? Crevit enim ejus partus integritas corporis potius, quam decrevit; et Virginitas ampliata est potius, quam fugata.

℟. Quae est ista, quae processit sicut Sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et reginae laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

Lectio VI.

Maria quam praeclarissimis tribus bonis sublimatur ausculta: Salutationis Angelicae, benedictionis divinae, et plenitudinis gratiae. Sic enim eam legitur salutasse; Ave Maria gratia plena, benedicta inter mulieres. Et ut nihil non sublime esset in hac Sanctissima Virgine, quam Angelus gratia plenam salutavit, non sine divino consilio factum est, ut ejus etiam imagines summo essent in honore, et prodigiis, miraculisque clarescerent. Quas inter tribus abhinc saeculis ea praecipuo honore colitur, quae, Paulo II. sedente, mirabiliter apparuisse in pariete Ecclesiae Patrum Ordinis Eremitarum S. Augustini in Oppido Genestani Praenestinae Dioecesis, ex Pontificiis diplomatibus, et supparibus monumentis comprobatur. Quibus permotus Pius Papa Secundus praefatis ejusdem

Oppidi Coenobitis Officium proprium concessit VII. Kalendas Majas ipso scilicet Apparitionis die recitandum; ac deinde illud, die, quae immediate subsequitur, pro ejus recitatione in posterum assignata, ad universum praedictum Ordinem sub duplici majori extendit.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit. * Et videntes eam filiae Sion, beatissimam praedicaverunt, dicentes, * Unguntum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dexteris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et videndes. Gloria Patri. Unguentum.

In III. Nocturno.

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Cap. 1.

Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia S. Thomae Ep. *In Nativ. B. M. V.*

Cogitanti mihi, ac diu baesitanti quid causae sit, quod cum Evangelistae de Joanne Baptista, et aliis Apostolis tam longum fecere tractatum, de Virgine Maria, quae vita et dignitate omnes antecedit, ita summatim percurrant historiam: cur inquam, non traditum est memoriae, quomodo nutrita, quibus moribus decorata, quibus virtutibus ornata, quid cum Filio iu humanis egerit, quomodo cum illo conversata sit, quomodo post ejus Ascensionem cum Apostolis vixerit? Magna erant haec, et memoratu digna, et quae summa devotione a fidelibus legerentur, a populis amplecterentur. Quis enim dubitat, quin in ejus nativitate, et pueritia mira multa contigerint, et puella haec in teneris annis stupendum saeculis virtutum omnium monumentum extiterit?

℟. Felix namque es sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima * Quia ex te ortus est Sol justitiae, Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuae Sanctae Imaginis Apparitionem. Quia.

Lectio VIII.

Haec mihi baesitanti, cur de actibus Virginis, sicut de actibus Pauli, non est compositus liber, nihil aliud occurrit (accusare enim Evangelistas negligentiae, sicut impium, ita et temerarium judico) quam ita placuisse Spiritui Sancto; ejusque providentia Evangelistas siluisse propterea, quia Virginis gloria, sicut in Psalmis legitur, omnis intus erat, et magis cogitari poterat, quam describi, sufficitque ad ejus plenam historiam, quia de illa natus est Jesus. Quid amplius quaeris? Quid ultra requiris in Virgine? Sufficit tibi, quod Mater Dei est.

℟. Beatam me dicent omnes generationes * Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia. Gloria. Patri. Quia.

Lectio IX.

Non eam Spiritus Sanctus litteris descripsit, sed tibi eam ani-

mo depigendam reliquit, ut intelligas, nihil illi gratiae, aut perfectionis, aut gloriae, quam animus in pura creatura concipere possit, defuisse; imo reipsa intellectum omnes superasse. Ubi ergo totum erat, pars scribenda non fuit, ne putares, quod scriptum non fuerat, eidem forsitan defuisse. Si ancillas suas et Ministros domus suae potentissimus Dominus ita mirifice decoravit, ita donis et gratiis venustavit, qualem, existimas, condidit Matrem suam, unicam Sponsam suam, quam sibi ex omnibus elegit, et prae omnibus adamavit? Omnibus eam Altissimus praeposuit, non solum virgineis, sed etiam angelicis Choris, quia Mater ejus est, et matrem Dei decet omnis celsitudo. Quidquid igitur de Virgine scire, aut intelligere cupis, totum in hoc clauditur breviloquio: De qua natus est Jesus. Haec longa, et plenissima historia ejus est.

AD LAUDES.

Et per Horas.

Antiph. Dum esset Rex, *cum reliquis de S. M. in Sabb. Cap.* Ab initio etc. *Hymn.* O Gloriosa Virginum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Antiph. ad Bened.

Beata es Maria, quae credidisti; perficientur in te, quae dicta sunt tibi a Domino.

Oratio ut supra.

Ad Prim. in ℟. brev. dic. Qui natus es de Maria Virgine.

In 2. vesp. ut in 1.

Ad Magnificat.

Antip. Beatam me dicent omnes generationes, quia Ancillam humilem respexit Deus.

DIE XXVII. APRILIS.

S. Anastasii I. Pp. C.

Duplex.

Orat. Da quaesumus.

In I. Noct. Lect. de scr.

In Fer. II. et IV. Rogat. Fidelis sermo.

In II. Noct.

Lectio IV.

Anastasius Romanus, filius Maximi, Siricio vita functo, Romanae Ecclesiae est ordinatus Episcopus, quo eam praeclare regente, de Orientis partibus haereticorum Origenistarum saeva tempestas simplicitatem fidei, quae Apostoli voce laudata est, polluere, et labefactare conata est. Sed vir ditissimae paupertatis, et Apostolicae solicitudinis Anastasius, statim noxium perculit caput, et sibilantia hydrae ora compescuit, latitantesque in foveis suis haereticos persecutus, suis in Occidente litteris damnavit, quod erat in Oriente damnatum. Nec illi unquam cura defuit, Evangelii fidem circa suos custodire populos, partesque populi sui, per quaeque spatia diversa terrarum diffusas, quantum poterat litteris convenire, ne qua profanae interpretationis origo subreperet, quae devotas animas immissa sui caligine labefactaret.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Ad eum, atque Venerium Mediolanensis Ecclesiae Sacerdotem, Africana Synodus Episcopum Legatum destinavit, ut eidem Afri-

canae Ecclesiae sacris ministris maxime indigenti subveniretur, ne in diversis pene emortuis plebibus (in quibus nec unus quidem Diaconus, vel litteratus reperiebatur) innumerabiles animae perirent. Ad eosdem Africanos Episcopos Epistolam misit Anastasius, paternae, et fraternae charitatis solicitudine, et sinceritate eos adhortans, ut haereticorum, et schismaticorum Donatistarum insidiis, et improbitatibus (quibus Africanam Ecclesiam Catholicam vexabant) nullo modo dissimularent. Hujus item sancti Pontificis auctoritate factum est, ut Donatistae Episcopi, seu quilibet Clerici, quantum ad ecclesiastica officia pertineret, sic in Catholicam susciperentur unitatem, quemadmodum expedire videretur iis, quorum saluti per eorum consulebatur officium vel exercendum, vel omittendum.

℣. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Constituit nullatenus transmarinum hominem in Clericatus honorem, sine quinque Episcoporum chirographo suscipiendum. Itemque sancivit, ut quotiescumque sancta recitarentur Evangelia, Sacerdotes non sederent, sed curvi starent. Fecit in urbe Basilicam Crescentianam in Regione secunda, via Mamertina. Duabus Ordinationibus, mense Decembri, creatis Presbyteris octo, Diaconis quinque, Episcopis per diversa loca decem, quievit in pace, sepultusque est in Coemeterio suo ad Ursum Pileatum, sub Arcadio, et Honorio, quem (ut Sanctus Hieronymus scribit) diu Roma habere non meruit, ne Orbis caput sub tali Episcopo truncaretur: imo idcirco raptus est, atque translatus, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur; nam haud paulo post ejus obitum, Roma a Gothis capta, atque diruta fuit.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. super Evang. Homo peregre.

FESTA MAJI.

Dom. I. Maji.

In festo Translation. S. Stephani, Protom. Patr. *princip. Civitatis Capuae, ac Titularis S. Metropolitanae Eccl. Cap. Dupl. 1. class.*

AD VESPERAS.

Antiphona.

Lapidaverunt Stephanum, *cum reliq. de Laud. Psal.* Dixit Dominus *cum reliq. de Dom.*, *et loco ult. Psal.* Laudate.

Capitulum. *Actor. 6.*

Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia, et signa magna in populo.

Hymn. Deus tuorum milit, *de com. un. M.*

℣. Sancti, et Justi in Domino gaudete, alleluja.

℣. Vos elegit Deus in haereditatem sibi, alleluja.

Ad Magnificat.

Ant. Stephanus autem plenus gratia, et fortitudine faciebat signa magna in populo, alleluja.

Oratio.

Da nobis, quaesumus Domine, imitari quod colimus, ut discamus et inimicos diligere: quia ejus Translationem celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit etc.

Ad Matut. Omnia de Comm. un. Mart. Temp. Pasch. Lectiones autem omnes, ut in die III. Augusti in Breviario cum ℟. ritu Pasch.

Ad Laudes, et per Horas.

Lapidaverunt Stephanum, et ipse invocabat Dominum, dicens: Ne statuas illis hoc peccatum, alleluja.

Psal. Dominus regnavit, *cum reliq. de Dominica.*

Antiph. Lapides torrentis illi dulces fuerunt; ipsum sequuntur omnes animae justae, alleluja.

Antiph. Adhaesit anima mea post te, quia caro mea lapidata est pro te, Deus meus, alleluja.

Antiph. Stephanus vidit coelos apertos, vidit, et introivit: beatus homo, cui coeli patebant, alleluja.

Antiph. Ecce video coelos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei, alleluja.

Capitulum ut supra.

Stephanus autem.

Hymn. Invicte Martyr unicum, *de commu. un. Mart.*

℣. Sepelierunt Stephanum viri timorati, alleluja.

℟. Et fecerunt planctum magnum super eum, alleluja.

Ad Benedictus.

Antiph. Stephanus autem plenus gratia, et fortitudine, faciebat signa magna in populo, alleluja.

Oratio ut supra.

Ad Tertiam, Antiph. Lapides torrentis.

Capitulum. Stephanus autem, *ut supra.*

℣. *brev.* Sancti, et Justi in Domino gaudete, * Alleluja, alleluja. Sancti et justi.

℟. Vos elegit Deus in haereditatem sibi, Alleluja, alleluja. Gloria Patri. etc. Sancti etc.

℣. Lux perpetua lucebit Sanctis tuis, Domine, alleluja.

℟. Et aeternitas temporum alleluja.

Ad Sextam, Antiph. Adhaesit anima mea.

Capitulum. Act. 6.

Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quae appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum: et eorum qui erant a Cilicia, et Asia, disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientiae, et Spiritui, qui loquebatur.

℟. *br.* Lux perpetua lucebit Sanctis tuis, Domine, * Alleluja, alleluja. Lux perpetua.

℣. Et aeternitas temporum. Alleluja, alleluja. Gloria Patri etc. Lux perpetua etc.

℣. Laetitia sempiterna super capita eorum, alleluja.

℟. Gaudium, et exultationem obtinebunt, alleluja.

Ad Nonam, Antiph. Ecce video.

Capitulum. Act. 7.

Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum: Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino.

℟. *brev.* Laetitia sempiterna super capita eorum, * Alleluja, alleluja. Laetitia.

℣. Gaudium et exultationem obtinebunt. Alleluja, alleluja. Gloria Patri etc. Laetitia etc.

℣. Pretiosa in conspectu Domini, alleluja.

℟. Mors Sanctorum ejus, alleluja.

IN II. VESPERIS.

Omn. ut in prim. vesp., et loco ult. Ps. Credidi.

Capitulum. Stephanus autem *ut supra.*

Hym. Deus tuorum militum.

℣. Stephanus vidit Coelos apertos, alleluja.

℟. Vidit, et introivit: beatus homo, cui coeli patebant, alleluja.

Ad Magnificat.

Antiph. Sepelierunt Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum, alleluja.

Dom. II. maji.

In festo Translationis S. Januarii Episc. et Mart. princ. patr. Civit., et Regni Neap.

Omnia, ut in die 19. Septembris, tempore Paschali, exceptis his, quae sequuntur.

Oratio.

Deus, qui in Translatione Beati Januarii Martyris tui, atque Pontificis, pretioso nos praesidii tui pignore locupletasti: quaesumus, ut, ipso intercedente, populum tuum ab omnibus periculis eruas, ac de thesauris tuis divitias in nos ineffabilis misericordiae benignus effundas. Per Dominum.

Et fit comm. Domin. occurr.

In I. Noct. lect. A Mileto: *de comm. un. Mart.*

In II. Noct. Lect. IV.

Quo tempore Beatus Pontifex Januarius pro Christi confessione Puteolis capite plexus est, venerabilis ejus Cruor, quem pro Christianae Fidei veritate constantissime fuderat, pie collectus, atque in duabus vitreis ampullis reconditus est. Postea vero, pace Ecclesiae reddita, Sanctus Severus, aedificata jam prope Neapolim Sancti Januarii Basilica, Sacratissimum Martyris Corpus cum magna Neapolitani Cleri, populique frequentia, iis etiam, qui de genere Beati Januarii erant, comitantibus, Neapolim religiosissime transtulit. Et corpus quidem in ejus Basilica condidit: Cruoris vero ampullae, ad hanc usque diem seorsum servatae, illustre miraculum spectantibus exhibent. Nam cum e regione desecti pro Christo Capitis ponuntur, Cruor admirandum in modum colliquefieri, perinde atque recens effusus, ad haec usque tempora cernitur.

Lectio V.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Tom. 6. Orat. de Mart.

Saepenumero, charissimi, sub auroram Solem exorientem vidistis, et quasi croceos radios emittentem. Talia Sanctorum erant corpora, dum veluti crocei quidam radii, rivi sanguinis undique ex illis defluerent, eorumque corpora, multo quam coelum Sol ipse, splendidius illustrarent. Hunc sanguinem Angeli contuentes oblectabantur, daemones horrebant, et ipse diabolus tremebat. Non enim sanguis erat simpliciter, quod cernebatur, sed sanguis salutaris, sanguis sanctus, sanguis coelo dignus, sanguis, qui pulchras Ecclesiae arbores perenni irrigatione foecundat.

Lectio VI.

Vidit hunc sanguinem, horruitque diabolus; recordatus est quippe alterius Sanguinis Dominici. Propter illum Sanguinem hic effluxit. Ex quo enim Domini latus apertum est, sexcenta deinde latera effossa contueris. Quis enim non summa cum alacritate gaudio-

rum, se se ad agones istos ineundos, Dominicis passionibus communicaturus, et Christi morti conformis futurus accinget? Est enim sufficiens haec retributio, et amplior merces, et quod certamina excedit praemium; vel illud etiam, quod ante ingressum in coelorum regnum consequimur.

In III. Noctur. lect. ut in die 19. Septembris.

OCTAVA TRANSLATIONIS
S. Januarii Ep. et Mart.
Duplex Minus.

Lect. I. Noct. de scr. occurr.

In II. Nocturno.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.
De S. Ignatio Mart. tom. 5.

Lectio IV.

Tempus animadvertite, fratres, quo dignitatem Episcopalem Beatus Januarius est assecutus. Neque enim est eadem nunc, quae tunc erat Ecclesiam gubernandi conditio. Non aequalis est labor viam tritam, et plane paratam post multos ingredi viatores, atque eam, quae nunc primo secanda est, quaeque praerupta, et saxosa, ferisque plena, nec ullum adhuc viatorem admisit. Tunc autem quocumque quis oculos verteret, ubique praecipitia, barathra, et bella, et pugnae, et pericula. Imperatores, et Reges, et populi, et civitates, et gentes, et domestici, et alieni credentibus insidias tendebant.

Lectio V.

Quemadmodum igitur gubernatorem admiramur, non quod vectores possit in portum incolumes ducere, cum mare tranquillum est, cumque navis fertur ventis secundis; sed cum insaniente pelago, ventisque saevientibus, qui in navi sunt, inter se dissentiunt, magna tempestate intus, et foris navigantes exagitante, navim tamen potest dirigere, et conservare. Sic eos, qui tunc Ecclesiam regebant, multo magis, quam illos, qui eam in praesenti gubernant, suspicere debemus, et admirari; quando multa bella intus, et foris, quando fidei planta imbecillior erat adhuc, et diligentia magna indigebat; quando veluti modo genitus infans Ecclesiae populus magnam providentiam, atque sapientiam animae, a qua nutriendus esset, postulabat.

Lectio VI.

Verum, ne totum tempus in Episcopatus consideratione collocantes, ab iis, quae ad eum uti Martyrem spectant, enarrandis excludamur; age ad illius certamina contendamus. Versutus enim diabolus, et ad struendas aptus insidias, existimabat, si Pastores sustulisset, ovilia se facile direpturum. Sed qui comprehendit astutos in eorum astutia, ostendens Ecclesias suas non ab hominibus gubernari, sed eos, qui in ipsum credunt, semper a se regi, id fieri permittebat; ut, cum cerneret, Rectoribus sublatis, non tamen Religionem deleri, nec veritatis praedicatione extingui, sed potius augeri; ex rebus ipsis, et ipse, et qui ei inserviebant, omnes intelligerent, Christianorum disciplinam non ab hominibus pendere, sed in coelis radices agere, Deumque esse, qui ubique Ecclesias tueretur.

In III. Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 10.

In illo tempore: Dixit Jesus Di-

scipulis suis: Ecce Ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chrysostomi.

Homil. 45. in Matth. longe post init.

Diligenter considera, qui sunt, qui haec ardua, et laboriosa adeunt; formidolosi videlicet, et indocti, illiterati, rudes, obscuri quidam homines, et ignoti, qui numquam Philosophorum perceperunt instituta, vixque umquam in forum descenderunt, piscatores, et publicani, multis repleti rebus, quae jure animos eorum possent dejicere. Nam si magnos, et claros viros tanta difficultas rerum potuisset commovere; quomodo non potuisset imperitos homines, quibus nullius rei magni aliquid venit in mentem? sed non dejecit, neque turbavit: nec id injuria, dicet quispiam, cum se intelligerent posse leprosos mundare, daemonia ejicere.

Lectio VIII.

Ego autem dicere non dubitarim, quia videlicet idipsum jure debebat ipsos conturbare; quoniam qui tantam potestatem haberent, ut defunctos etiam a morte possent excitare, hi tanta pericula essent subituri, tanta bella gesturi, ad judices vincti deducendi, communis denique totius orbis admonitio futuri. Quae igitur in omnibus his erat consolatio? sola mittentis virtutis. Quocirca ita signanter incoepit: Ecce Ego mitto vos. Sufficiat hoc vobis ad omnem consolationem, satis sit ad confitendum. Vides, quanta ejus est auctoritas? intelligis, quoniam maxima sit potestas? percipis inexpugnabilem ejus esse virtutem?

Nona Lectio de Homil. Dom. currentis, de qua fit etiam comm. in Laud.

Die III. maji.

Inventio S. Crucis D. N. J. C.

Duplex II. class.

Omnia ut in Breviario hac die praeter sequentia.

In III. Noct. omittat. IX. Lect. Ss. Mm. et legat. VIII. Lect. usque ad ea verba. Sed Jesus non se credit eis. *Et pro IX. Lect.* Intendat. *usque ad fin.*

In Laud. com. Ss. Mm.

Oratio.

Praesta quaesumus, omnipotens Deus, ut qui Sanctorum tuorum Eventii, Theoduli, atque Juvenalis natalitia colimus: a cunctis malis imminentibus eorum intercessionibus, liberemur. Per Dominum.

Die V. maji.

In festo S. Irenes V. et M. Patr. min. princ. Civit. Capuae *dup. maj.*

Omn. de comm. V. M.

Oratio. Deus; qui inter caetera potentiae tuae etc. *ll. 1. N. de eod. com. 2. loco, rel. vero 1. loco.*

Die X. maji.

In festo Ss. Quarti, et Quinti Clericor. Mm. *Capuae, quorum Corpora in Metropolit. Eccl., dup.*

Oratio. Deus, qui nos concedis, *de com. plur. Mm. ll. 1. N. de Scr., rel. de eod. com. 2. loco.*

Die XI. maji. ex V. hujus.

S. Pii V. Pp. C.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

Die XIV maji.

S. Paschalis I. Pp. C.

Duplex.

Orat. Da quaesumus.

In I. Noct. Lect. de scr.

In Fer. II. et IV. Rogat. Fidelis sermo.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Paschalis, hujus nominis Primus, biduo post Stephani Quinti obitum vix exacto, communibus Cleri suffragiis, ad supremum Sedis Apostolicae apicem, invitus licet, et valde reluctans, anno Domini nostri Jesu Christi octigentesimo decimo septimo promotus est. Vir sane omnigena doctrina, sacra praesertim, instructissimus, vitae sanctimonia insignis, dicendi facultate clarissimus, singulari denique pietate in Deum, et charitate in proximum, ut exteriora bona, hilari semper animo, pauperibus erogabat, ita interioris animi opes, vigiliis, orationibus, et jejuniis vacans, accumulabat.

℟. Inveni David servum.

Lectio V.

A pueritia in Lateranensis Ecclesiae Patriarchio, sub oculis Pontificum educatus, ita in omni virtutum genere, litteris, et Disciplina Ecclesiastica profecit, ut primum sacris Ordinibus initiatus, mox ejus virtute perspecta, a Leone Tertio Monasterio Sancti Stephani Praefectus fuerit; in quo, et subditis sibi Monachis exemplo fuit, et peregrinos ad limina Apostolorum turmatim accedentes ita excepit, ut omnibus necessaria suppeditaret, iisque, Christum imitatus, abjecta etiam exhiberet ministeria; quibus pietatis, et charitatis officiis, dignissimus omnium habitus est, qui Dominico gregi, et toti Ecclesiae praeesset.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Nihil porro in eo desideratum est, quod ad perfectam regiminis Apostolici solicitudinem pertineret. Ecclesiae Occidentalis disciplinam, quae sub eo maxime floruit, intactam servavit; Orientalem vero ab Imperatore, et Patriarcha Iconomachis agitatam, litteris, et Legatione recreavit, et Graecis Romam confugientibus, Monasterium Sanctae Praxedis, amplissimis reditibus a se istructum, benigne concessit. Multa etiam Corpora Sanctorum ex Coemeteriis, Pauli Primi exemplo, ac praesertim Sanctae Caeciliae, ipsa monstrante, et revelante, in Urbem intulit. Nova Templa excitavit, restauravit, et mirifice ornavit antiqua. Xenodochia, et sacrarum Virginum Coenobia, novo censu recreavit. Extincti demum incendii miraculo clarissimus, migravit ad Dominum, octavo sui Pontificatus anno, et in Vaticana Basilica conditus est.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. super Evang. Homo peregre. *cum IX. Lect. ex duabus una S. Bonifacii Mart. ejusque commem. in Laudibus.*

Die XV. maji. ex VII. hujus.

S. Benedicti II. Pp. C.

Duplex.

Oratio. Da quaesumus.

In I. Noct. Lect. de scr. In Fer. II. et IV. Rogat. Fidelis sermo.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Benedictus, hujus nominis secun-

dus, Romanus genere, Patre Joanne ortus, post Leonis Secundi obitum, ad munus Apostolicum assumptus est, anno Christi sexcentesimo octogesimo quarto, et supremum Christianae Reipublicae clavum, novem circiter menses tenuit, dignissimus certe, qui diutius teneret; cum a primis pueritiae annis, se totum Ecclesiasticis ministeriis addixisset, ac sedulam divinis litteris, et sacrae Psalmodiae operam navasset.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Hic non dumtaxat nomine, verum etiam coelestis benedictionis gratia, et sanctae conversationis exemplo Benedictus, mansuetus, mitis, et humilis, insignis etiam patientiae, et pauperum amantissimus, in quos larga manu redditus Ecclesiae profudit. Ad restaurandam quoque, ac exornandam Principis Apostolorum Basilicam, aliasque Urbis Ecclesias, animum, et manum applicuit, in quo multa aureorum millia pie consumpsit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Mirifico etiam conservandae, et propagandae Religionis zelo flagravit. Macarium Patriarcham Antiochenum, a sexta Synodo propter haeresim depositum, ad saniorem mentem reducere, summo studio laboravit. Scriptis etiam ad Episcopos Hispaniae litteris, eosdem monuit, ut declararent apertius, et sanius, quae de voluntate Dei, et tribus Christi substantiis ante scripserant. Constantinus vero Imperator tanto illum amore, et honore prosecutus est, ut et capillos suorum filiorum, in signum observantiae, illi obtulerit. Sancto tandem fine quievit, et sepultus est in Vaticano.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. super Evang. Homo peregre.

DIE XIX. MAJI.

S. Petri Coelestini V. Pp. C.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

DIE XXIII. MAJI. EX XI. HUJUS.

S. Alexandri I. Pp. M.

Duplex.

Temp. Pasch.

Orat. Infirmitatem.

Lectio I. noct. de scr.

In Fer. II. et IV. Rogat. A Mileto.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Alexander Romanus ex Patre Alexandro, de vico Caput Tauri, juvenis quidem aetate, sed sanctitate incomparabilis, et fide clarissimus, post Evaristum, Sedem Apostolicam obtinuit. In memoriam Passionis Christi, primus in Sacrificio Missae addidit: Qui pridie quam pateretur: usque ad ea verba: Hoc est Corpus meum. Instituit, ut tantummodo panis, et vinum in Mysterio offerretur, atque in consecratione Corporis, et Sanguinis Domini vinum aqua misceretur, propter Sanguinem, et Aquam, quae ex Jesu Christi latere profluxerunt. Idem decrevit, ut aqua benedicta sale admixta, sacris precibus interpositis, tam in Templis, quam in cubiculis ad fugandos daemones, perpetuo asservaretur. Cum autem esset Christianae Religionis fervertissimus praedicator, dum vixit, mirum in modum in hoc diligens fuit, ut doctrina, vitaeque exemplo, quoscumque posset, ad

veram Christi Religionem perduceret.

℟. Lux perpetua.

Lectio V.

Cum igitur multis Romae, ut, abjurata falsa Religione, veram fidem susciperent, persuasisset, Senatores aliquot, et Hermetem Urbis Praefectum cum uxore, filiis, sorore, ac tota domo, Jesu Christo peperit. Quam ob rem accusatus, quod Christianus esset, ex Principis edicto captus, et in carcerem conjectus, ibidem diu, quod a Christianae fidei professione recedere nollet, detentus est. Cum autem vinctus teneretur, pueri ministerio, qui facem ardentem praeferebat, prodigiose intempestae noctis silentio, e carcere ad domum Quirini Tribuni, ubi beatus Hermes Urbis Praefectus paulo ante captus in custodia servabatur, eductus, primum filiam ejus Balbinam aegram sanavit, deinde patrem Quirinum miraculo attonitum, et ad Christum traductum cum filia Baptismi lavacro abluit. Hinc vero factum est, ut Quirinus iis omnibus, quotquot pro fide Christi vinctos habebat, libertatem abeundi concesserit. Erant inter illos Eventius, et Theodulus, qui Sancto Alexandro adjuncti, exire de carcere noluerunt, sed Deo laudes persolventes Martyrii palmam constanter expectarunt.

℟. In servis suis alleluja.

Lectio VI.

Ex his Sanctus Alexander primum ab Aureliano Judice interrogatus de Christianae Religionis Mysteriis, ea revelare noluit, asserens Sanctum esse, quod Aurelianus manifestari cupiebat, et non permitti a Christo, Sanctum dari canibus. Ob quae verba, beatus Pontifex in equuleum impositus est, ungulis dilaniatus, atque lampadibus admotis gravissime ustus, cumque nullam amplius vocem emitteret, interrogatus ab Aureliano, cur taceret? hoc dignum Martyr responsum dedit: quia tempore orationis homo Christianus cum Deo loquitur. Deposito Alexandro, exhibiti sunt Eventius, et Theodulus, quos cum Aurelianus in fide constantes invenisset, jussit Alexandrum, et Eventium dorsum ad dorsum ligatos in ignem praecipitari; Theodulum vero ibidem adstare, ut quasi eorum perterritus passione, ad sacrificandum Idolis consentiret. Cum autem Theodulus sponte in flammas prosiliisset, et cum ipsis hymnos decantaret, ac Deo gratias ageret, fecit impius Judex, Alexandrum punctis creberrimis per omnia membra perforari, quo fine vir Sanctus Martyrium suum gloriose complevit. Hujus Corpus Beata Severa religiosa femina sustulit, et cum corpore beati Eventii gladio consummati, in uno eodemque Sepulcro posuit via Nomentana in praedio suo, unde postea ad Urbem translatum, in Ecclesia Sanctae Sabinae reconditum fuit.

℟. Filiae Jerusalem venite.

In III. Noct. Homil. super Evang. Ego sum vitis vera.

Extra Temp. Pasch. Si quis venit. *cum* ℟℟. *de Temp.*

DIE XXIV. MAJI.

In festo B. Mariae Virginis.

Titulo Auxilium Christianorum.

Duplex Majus.

IN I. VESPERIS.

Omnia, in Officio parvo B. M. V. praeter ea, quae sequuntur.

HYMNUS.

Ad Vesperas, et Matutinum.

Saepe, dum Christi populus cruentis
Hostis infensi premeretur armis,
Venit adjutrix pia Virgo coelo
Lapsa sereno.

Prisca sic Patrum monumenta narrant,
Templa testantur spoliis opimis.
Clara, votivo repetita cultu
Festa quotannis.

En novi grates liceat Mariae
Cantici laetis modulis referre
Pro novis donis, resonante plausu
Urbis, et Orbis.

O dies felix, memoranda fastis,
Qua Petri Sedes Fidei Magistrum
Triste post lustrum reducem beata
Sorte recepit.

Virgines castae, puerique puri,
Gestiens clerus, populusque grato
Corde Reginae celebrare coeli
Munera certent.

Virginum Virgo, benedicta Jesu
Mater, haec auge bona; fac, precamur,
Ut Gregem Pastor Pius ad salutis
Pascua ducat.

Te per aeternos veneremur annos,
Trinitas summo celebranda plausu,
Te fide mentes, resonoque linguae
Carmine laudent. Amen.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad magnificat.

Antiph. Ecce Maria erat spes nostra, ad quam confugimus in auxilium, ut liberaret nos; et venit in adjutorium nobis.

Oratio.

Omnipotens, et misericors Deus, qui ad defensionem Populi Christiani in Beatissima Virgine Maria perpetuum auxilium mirabiliter constituisti: concede propitius, ut tali praesidio muniti certantes in vita, victoriam de hoste maligno consequi valeamus in morte. Per Dominum.

In fine Hymn. Complet. et Horar. diei sequ. dicit . . . . Qui natus es de Virgine.

Ad Matutinum.

Invit. Sancta Maria Dei Genitrix Virgo, * Intercede pro nobis.

Hymnus. Saepe dum Christi etc. *ut in Vesperis.*

Antiph. Psalm. et ℣℣. Nocturnor. ut in Off. parv. B. M. V. Lect. 1. Noct. cum ℟℟. ut in Fest. ad Niv. die 5. August.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ex Sermone de 12. Stellis.

Lectio IV.

Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus, et mulier una nocuere: sed gratias Deo per unum nihilominus virum, et mulierem unam, omnia restaurantur, nec sine magno foenore gratiarum. Et quidem sufficere poterat Christus; siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostrae reparationi sexus uterque. Jam itaque nec ipsa Mulier benedicta in mulieribus vide-

bitur otiosa: invenietur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem Christum: nec alter nobis utilior, quam Maria. Crudelis nimium mediatrix Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: sed fidelis Maria, quae salutis antidotum, et viris, et mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, haec propitiationis: Illa suggessit praevaricationem, haec ingessit redempionem. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile; tota suavis est, omnibus offerens lac, et lanam. Revolve diligentius Evangelicae historiae seriem universam; et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel levis indignationis occurrerit in Maria, de coetero suspectam habeas, et accedere verearis.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion; quasi myrrha electa, * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi suavitatem odoris.

Lectio V.

Quod si, ut vere sunt, plena magis omnia pietatis, et gratiae, plena mansuetudinis, et misericordiae, quae ad eam pertinent, inveneris, age gratias ei, qui talem mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus, et insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit. Omnibus misericordiae sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus laetitiam. Ipsa praeterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam praebet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Ipsa est quondam a Deo promissa mulier serpentis antiqui caput virtutis pede contritura; cujus plane calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa. Sola enim contrivit universam haereticam pravitatem. Contriti sunt insidiantes, conculcati supplantatores, confutati derogatores, et beatam eam dicunt omnes generationes. Jam si Ecclesia Lunae intelligenda videtur vocabulo, habes mediatricem evidenter expressam: Mulier, inquit, amicta sole, et luna sub pedibus ejus. Amplectamur Mariæ vestigia, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis: potens est enim.

℟. Quae est ista, quae processit sicut Sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et Reginae laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

Ex publicis Monumentis.

Lectio VI.

Praesentissimum Deiparae auxilium ad Religionis hostes profligandos saepe Populus Christianus mirum in modum expertus est: ex quo factum, ut Sanctissimus

Pontifex Pius Quintus post insignem victoriam, intercedente Beatissima Virgine, a Christianis de Turcarum Tyranno apud Echinadas Insulas reportatam, in Litaniis Lauretanis eamdem Reginam coelorum inter alia praeconia Auxilium Christianorum appellari constituerit. Sed illud in primis memorabile est, atque explorati miraculi loco habendum, quod cum Romanus Pontifex Pius Septimus impiorum consiliis, et armis ex Apostolica Petri Sede exturbatus, et arcta custodia, praesertim Savonae, per annos quinque, eoque amplius fuisset detentus, viis omnibus penitus interclusis, ne Dei Ecclesiam regere posset, nullo similis persecutionis in priscis annalibus exemplo, inopinato, et praeter omnium expectationem contigit, ut ingenti plausu, ac veluti universi orbis manibus Pontificio Solio restitueretur. Quod et secundo accidit, dum iterum commoto turbine, ab Urbe discedens, Sacro comitante Cardinalium Collegio, Liguriam contendit. Verum praesentissimo Dei beneficio, cessante procella, quae grave minabatur excidium, Romam, plaudentibus prae novo gaudio Populis, reversus est. Antea tamen, quod in votis habuerat, et captivitate detentus exequi nequiverat, aurea Corona insignem Savonae Imaginem Deiparae Virginis sub titulo Matris Misericordiae solemni ritu, propriisque manibus decoravit. Quam mirabilem rerum vicissitudinem idem Pontifex Maximus Pius Septimus totius eventus intime conscius, cum intercessione SS. Dei Genitricis, cujus potentem opem, et ipse impense imploraverat, et ab omnibus Christi fidelibus implorari curaverat, acceptam merito referret, in ejusdem Virginis Matris honorem sub appellatione Auxilii Cristianorum solemne festum indixit perpetuo celebrandum die mensis Maji vigesimo quarto, faustissimi sui in Urbem reditus anniversario, approbato etiam Officio proprio, ut tanti beneficii distincta, et perennis extet memoria, et gratiarũm actio.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiae Sion beatissimam praedicaverunt, dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri. Unguentum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap. 11.*

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

In Nativitate B. M. V.

Intuere, o Homo, consilium Dei; agnosce consilium sapientiae, consilium pietatis. Coelesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit. Redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam. Altius ergo intuemini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quae ascendit deliciis

affluens. Totis ergo medullis cordium, totis praecordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Haec, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis

℟. Felix namque es, Sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justitiae, Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque tuum sanctum implorant auxilium. Quia.

Lectio VIII.

In omnibus siquidem, et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere; solo auditu territus, ad folia fugiebas: Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua: Pater enim diligit Filium. Sed forsitan et in ipso Majestatem vereare Divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis et ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed pura singularitate naturae. Nec dubius dixerim: exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique Matrem Filius, et exaudiet Filium Pater.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi magna, qui potens est: et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia. Gloria Patri. Quia.

Lectio IX.

Filioli, haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia est, haec tota ratio spei meae. Quid enim? Potest ne Filius aut repellere, ut sustinere repulsam? Non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum plane. Invenisti, ait Angelus, gratiam apud Deum; feliciter. Semper haec inveniet gratiam, et sola est gratia, qua egemus: nimirum sola est gratia, qua salvamur. Quid nos alia concupiscimus, Fratres? Quaeramus gratiam, et per Mariam quaeramus, quia, quod quaerit, invenit, et frustari non potest. Quaeramus gratiam, sed gratiam apud Deum: nam apud homines gratia fallax. Quaerant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. Quid enim? Non gratiae est, quod hic sumus? Profecto misericordiae Domini est, quod non sumus consumpti nos.

Te Deum.

AD LAUDES.

Hymnus.

Te Redemptoris, Dominique Nostri
Dicimus Matrem, speciosa Virgo,
Christianorum decus, et levamen
Rebus in arctis.

Saeviant portae licet inferorum,
Hostis antiquus fremat, et minaces,
Ut Deo sacrum populetur agmen,
Suscitet iras.

Nil truces possunt furiae nocere
Mentibus castis, prece quas vocata
Annuens Virgo favet, et superno
Robore firmat.

Tanta si nobis faveat Patrona,
Bellici cessat sceleris tumultus,
Mille sternuntur, fugiuntve turmæ,
Mille cohortes.

Tollit ut sancta caput in Sione
Turris, arx firmo fabricata muro,
Civitas David, clypeis, et aeri
Milite tuta.
Virgo sic fortis Domini potenti
Dextera, coeli cumulata donis,
A piis longe famulis repellit
Daemonis ictus.
Te per aeternos veneremur annos,
Trinitas, summo celebranda plausu,
Te fide mentes, resonoque linguae
Carmine laudent. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Antiph. Ad Benedictus.

Ad Te, o Sancta Dei Genitrix, clamavimus, et per te venit Domini auxilium nobis.

Oratio. Omnipotens *etc. ut supra.*

In ℟. brev. ad Prim. dicit. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Hor. Antiph. Capit. et ℣℣. ut in Off. B. M. in Sabb. praeter Orat. propr. ut supra.

IN II. VESPERIS.

Omnia dicunt. ut in primis, praeter Antiph. ad Magnif.

Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque sanctum tuum implorant auxilium.

Die XXVI. maji.

In festo S. Elpidii Ep. Atellani et Con., ac Titularis Parochial. Eccl. Pagi Casapullae, Archidioec. Cap.

Dup. 1. cl. cum Oct. Pro eodem Pago tant.

Omnia de Comm. C. P. Oratio. Da quaesumus.

In 1. Noct. lect. Fidelis sermo, *extra dict. Pagum. de Script. occ.*

In II. et III. Noct. de cit. comm. primo loc.

Die XXVII. maji. ex 25. hujus.

S. Gregorii VII. P. C.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

Die XXVIII. maji.

S. Urbani I. Pp. M.

Duplex. *Temp. Pasch.*

Oratio.

Da, quaesumus, omnipotens Deus: ut qui Beati Urbani Martyris tui atque Pontificis solemnia colimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de scr.

In Fer. II. et IV. Rogat. A Mileto.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Urbanus Romanus, Alexandro Severo Imperatore, doctrina et vitae sanctitate multos ad Christi fidem convertit: in illis Valerianum Beatae Caeciliae sponsum, et Tiburtium Valeriani fratrem, qui postea Martyrium forti animo subierunt. Hic de bonis Ecclesiae attributis scripsit his verbis: Ipsae res Fidelium, quae Domino offeruntur, non debent in alios usus, quam Ecclesiasticos, et Christianorum fratrum, vel indigentium converti: quia vota sunt Fidelium, et pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum. Sedit annos sex, menses septem, dies quatuor; ac Martyrio coronatus sepultus est in Coemeterio. Praetextati, octavo Kalendas Junii. Ordinationibus quinque habitis mense Decembri, creavit Presbyteros novem, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca octo. ℟. Lux perpetua.

Lectio V.

Sermo S. Augustini Episc.

De S. Cypriano Sermo 12.

Sermonem exigit tam grata, et religiosa solemnitas; qua passionem beati Martyris Urbani celebramus. Tristis proculdubio tunc Ecclesia fuit, non damno cadentis, sed desiderio recedentis; semper cupiens videre praesentem tam bonum Rectorem, atque Doctorem. Sed quos afflixerat sollicitudo certaminis, consolata est corona victoris. Et nunc non solum sine ulla tristitia, verum etiam cum ingenti laetitia, cuncta, quae tunc gesta sunt, legendo recolimus; dieque isto gaudere nobis concessum est, non timere. Neque enim formidamus terribiliter venientem, sed expectamus hilariter redeuntem.

℟. In servis suis.

Lectio VI.

Vicina corporis morte, non moriebatur in animo Pastoris vigilantia pastoralis; et cura tuendi Dominici gregis, usque ad extremum vitae hujus diem, mente sobria tenebatur. Nec excutiebat ab animo diligentiam fidelissimi dispensatoris manus jam proxima cruenti carnificis. Ita se Martyrem cogitabat futurum, ut esse non oblivisceretur Episcopum; magis curans, quam rationem Pastorum Principi de commissis sibi ovibus redderet, quam quid infideli Proconsuli de fide propria responderet. Amabat quippe eum, qui Petro dixerat: Amas me? Pasce oves meas. Et pascebat oves ejus, pro quibus sanguinem fundere, illum imitans, se praeparabat.

℟. Filiae Jerusalem.

In III. Noct. Homil. super. Evang. Ego sum vitis vera. *Extra Temp. Pasch.* Homo peregre. *de Comm. Conf. Pont.* ℟℟. *vero de Comm. un. Mart. de Temp.*

Die XXIX. Maji.

S. Bonifacii IV. Pp. C.

Duplex.

In Hymn. mutat. ℣.

Orat. Da quaesumus.

In I. Noct. Lect. de scr.

In Fer. II. et IV. Rogat. Fidelis sermo.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Bonifacius, hujus nominis Quartus, Joannis filius, Valeriae Marsorum natus, ex Monacho Sancti Sebastiani extra Urbem, et Presbytero Cardinali, sub Imperatore Phoca, ad Pontificatum assumptus est, et consecratus die Dominico, quinto Kalendas Septembris, anno Domini sexcentesimo septimo, seditque annos sex, menses octo, dies tresdecim, duabus Ordinationibus peractis mense Decembri, in quibus Episcopos viginti quinque, Diaconos octo creavit.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Statim paternam domum in Monasterium erexit, et fundos suos in Monachorum usum eidem Monasterio adscripsit; sed ut longe majori beneficio, hujus instituti homines sibi obstringeret, convocatis ad Synodum Italiae Episcopis, sanctis legibus labentem Monachorum disciplinam restituit. Mellitus Londinensis Episcopus, qui Romam venerat, de rebus Anglicis Christi Vicarium consulturus, Synodo interfuit, illiusque decreta, cum litteris Bonifacii, in Britanniam tulit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Ab Imperatore Phoca Sanctissimus Pontifex nobile Romae delùbrum, Pantheon scilicet, obtinuit: Christiano ritu consecratum in Ecclesiam Deiparae Virgini, et sanctis Martyribus dicatam mutavit. Ad majorem sanctitatem conciliandam, incredibilem sacrarum Reliquiarum vim, ex diversis Arenariis eductam, inferri, et juxta principem Aram condi curavit. Denique sub Heraclio virtute, ac meritis clarus obdormivit in Domino octavo Kalendas Junii, sepultusque est in Vaticano.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. super. Evang. Homo peregre.

Die XXXI. maji. ex 27. hujus.

S. Joannis I. Pp. M.

Duplex.

Temp. Pasch.

Orat. Deus, qui nos.

In I. Noct. Lect. de scr.

In Fer. II. et IV. Rogat. A Mileto.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Joannes Etruscus, Constantino Patre genitus, totius Cleri consensu in locum Hormisdae vita functi, ex Presbytero Tituli Pammachii subrogatus fuit. Justino seniore Imperatore, rexit Ecclesiam, ad quem profectus est Constantinopolim, auxilii causa, quod Theodoricus Rex haereticus divexabat Italiam. Cujus etiam iter Deus miraculis illustravit. Nam cum ei nobilis vir ad Corinthum, equum, quo ejus uxor mansueto utebatur, itineris causa commodasset, factum est, ut domino postea remissus equus, ita ferox evaderet, ut fremitu, et totius corporis agitatione, semper deinceps dominam expulerit, tamquam indignaretur mulierem recipere, ex quo sedisset in eo Jesu Christi Vicarius. Quamobrem illi equum Pontifici donaverunt.

℟. Lux perpetua.

Lectio V.

Sed illud majus miraculum, quod Constantinopoli, in aditu Portae Aureae, inspectante frequentissimo populo, qui una cum Imperatore Pontifici, honoris causa, occurrerat, coeco lumen restituit. Ad cujus pedes prostratus, etiam Imperator, eum veneratus est. Rebus cum Imperatore compositis, in Italiam rediit, statimque epistolam scripsit ad omnes Italiae Episcopos, jubens eos Arianorum Ecclesias ad Catholicum ritum consecrare, illud subjungens; Quia et nos, quando fuimus Constantinopoli, tam pro religione Catholica, quam pro Regis Theodorici causa, quascumque illis in partibus eorum Ecclesias reperire potuimus, Catholicas eas consecravimus.

℟. In servis suis.

Lectio VI.

Quod iniquissimo animo ferens Theodoricus dolo accersitum Pontificem Ravennam, in carcerem conjecit, ubi squalore, inediaque afflictus, paucis diebus cessit e vita, cum sedisset annos duos, menses novem, dies quatuordecim; ordinatis eo tempore Episcopis quindecim. Paulo post moritur Theodoricus: quem quidam Eremita, ut scribit Sanctus Gregorius, vidit inter Joannem Pontificem, et Symmachum Patricium, quem idem occiderat, demergi in ignem Liparitanum: ut videlicet

illi, quibus mortem attulerat, tamquam judices essent ejus interitus. Joannis corpus Ravenna Romam delatum est, et in Basilica sancti Petri sepultum.

℟. Filiae Jerusalem.

In iii. noct. Homil. super Evang. Ego sum vitis vera. *Extra Temp. Pasch.* Si quis vult post me venire. *cum* ℟℟. *de Temp. viii. vero.* ℟. Domine praevenisti.

FESTA JUNII.

Fer. 6. post oct. Ss. Corporis Christi.

FEST. SS. CORDIS JESU, dup. maj. ex Decr. S. R. C. 24 maji. 1766 et ex Concess. 21 Januar. 1778. Vesperae integrae erunt de die oct. Ss. Corp. Christi absq. com. Ss. Cordis Jesu, ex Decr. S. R. C. 17 Aug. 1771 in una Ord. Eremit. S. August. Provinc. Mediolan. ad 3. dub. Sed si transferri contigerit ejusmodi Festum, vel sub ritu dup. 1 vel. 2 class. celebret, aut quia Titul. Eccl., aliave de caussa, tunc.

AD I. VESPERAS.

Omnia dicuntur ut in secundis vesperis, ut infra, exceptis sequentibus.

℣. Miserator et Misericors Dominus.

℟. Longanimis, et multum misericors.

Ad Magnificat.

Antiph. Misericordia Domini a progenie in progenies timentibus eum alleluja.

Oratio. Fac nos, etc. *ut infra.*

Ad Matutinum.

Invitatorium. Cor Jesu, charitatis victimam * Venite adoremus. *Psal.* Venite.

Hymnus.

Quicumque certum quaeritis
Rebus levamen asperis:
Seu culpa mordet anxia,
Seu poena, vos premit comes.
Jesu, qui, ut agnus innocens,
Sese immolandum tradidit,
Ad Cor reclusum vulnere,
Ad mite Cor accedite.
Auditis ut suavissimis
Invitet omnes vocibus?
Venite quos gravat labor,
Praemitque pondus criminum.
Quid Corde Jesu mitius?
Jesum cruci, qui affixerant
Excusat, et Patrem rogat,
Ne perdat ultor impios.
O Cor, voluptas coelitum,
Cor fida spes mortalium,
En hisce tracti vocibus
Ad te venimus supplices.
Tu nostra terge vulnera
Ex te fluente sanguine:
Tu da novum cor omnibus,
Qui te gemcutes invocant. Am.

In I. Nocturno.

Ant. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

Psalm. 21.

Deus, Deus meus, respice in me pag. 12.

Ant. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

Ant. Speravit cor meum in Domino, et adjutus sum: et refloruit caro mea.

Psal. 27.

Ad te Domine clamabo, Deus meus, ne fileas a me, * ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.

Exaudi Domine vocem deprecationis meae, dum oro ad te, *

dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatoribus,* et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo, * mala autem in cordibus eorum.

Da illis secundum opera eorum, * et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

Secundum opera manuum eorum tribue illis, * redde retributionem eorum ipsis.

Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum ejus, * destrues illos, et non aedificabis eos.

Benedictus Dominus, * quoniam exaudivit vocem deprecationis meae.

Dominus adjutor meus, et protector meus, * in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.

Et refloruit caro mea: * et ex voluntate mea confitebor ei.

Dominus fortitudo plebis suae, * et protector salvationum Christi sui est.

Salvum fac populum tuum Domine, et benedic haereditati tuae, * et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.

Ant. Speravit cor meum in Domino, et adjutus sum: et refloruit caro mea.

Ant. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, et circumdedisti me laetitia.

Psalm. 29.

Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine, Deus meus, clamavi ad te, * et sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animam meam, * salvasti me a descentibus in lacum.

Psallite Domino Sancti ejus; * et confitemini memoriae sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus; * et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus, * et ad matutinum laetitia.

Ego autem dixi in abundantia mea, * non movebor in aeternum.

Domine in voluntate tua, * præstitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me, * et factus sum conturbatus.

Ad te Domine clamabo, * et ad Deum meum deprecabor.

Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis, * aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, et misertus est mei, * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi, * conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar: * Domine Deus meus in aeternum confitebor tibi.

Ant. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, et circumdedisti me laetitia.

℣. Ego autem in Domino gaudebo.

℟. Et exultabo in Deo Jesu meo.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Ephesios.

Lectio I. *Cap. 1.*

Benedictus Deus, et Pater Domini Nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus, in Chri-

sto, sicut elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem; ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo: in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae ejus. Propterea non cesso, gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis: ut Deus, Domini Nostri Jesu Christi Pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis, in agnitione ejus illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis ejus, et quae divitiae gloriae hereditatis ejus in Sanctis.

℟. Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo: * In quo habemus redemptionem per Sanguinem ejus, et remissionem peccatorum.

℣. Det nobis Dominus illuminatos oculos cordis nostri, in agnitione ejus. In quo etc.

Lectio II. *Cap. 2.*

Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, (cujus gratia estis salvati), et conresuscitavit, et consedere fecit in coelestibus in Christo Jesu: ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo Jesu. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis, qui prope. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.

℟. Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus, ostendit abundantes divitias gratiae: * In bonitate super nos, in Christo Jesu.

℣. Ipse enim est pax nostra: per quem habemus accessum ad Patrem. In bonitate super nos etc.

Lectio III. *Cap. 3.*

Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini Nostri Jesu Christi, ex quo omnis Paternitas in coelis, et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per Fidem in cordibus vestris: in charitate radicati, et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum: scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis: ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Jesu in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen.

℟. Det nobis Dominus virtute corroborari, per Spiritum ejus,

in interiorem hominem : * Christum habitare per Fidem in cordibus nostris.

℣. Ut in charitate radicati, et fundati, comprehendamus supereminentem scientiae charitatem Christi. Christum habitare etc. Gloria Patri etc. Christum habitare etc.

In II. Nocturno.

Ant. Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo.

Psalm. 33.

Benedicam Dominum in omni tempore : * semper laus ejus in ore meo.

In domino laudabitur anima mea ; * audiant mansueti, et laetentur.

Magnificate Dominum mecum; * et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, et exaudivit me ; * et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, et illuminamini ; * et facies vestrae non confundentur.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum ; * de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum ; * et eripiet eos.

Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus; * beatus vir, qui sperat in eo.

Timete Dominum omnes Sancti ejus; * quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt, et esurierunt; * inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Venite filii, audite me ; * timorem Domini docebo vos.

Quis est homo, qui vult vitam ; * diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam a malo, * et labia tua ne loquantur dolum.

Diverte a malo, et fac bonum; * inquirem pacem, et persequere eam.

Oculi Domini super justos ; * et aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala ; * ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos ; * et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, * et humiles spiritu salvabit.

Multae tribulationes justorum; * et de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum ; * unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima; * et qui oderunt justum, delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum; * et non delinquent omnes, qui sperant in eo.

Ant. Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus : beatus vir, qui sperat in eo.

Ant. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, intende, prospere procede, et regna.

Psalm. 44.

Eructavit cor meum verbum bonum : * dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus scribae, * velociter scribentis.

Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis ; * propterea benedixit te Deus in aeternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, * potentissime.

Specie tua, et pulchritudine tua * intende, prospere procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam; * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent, * in corda inimicorum regis.

Sedes tua Deus in saeculum saeculi; * virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, * propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis.

Myrra, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis; * ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo.

Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, * circumdata varietate.

Audi filia, et vide et inclina aurem tuam; * et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum; * quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et filiae Tyri in muneribus * vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiae Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam, * proximae ejus afferentur tibi.

Afferentur in laetitia, et exultatione; * adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii; * constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui * in omni generatione, et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum, * et in saeculum saeculi.

Ant. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, intende, prospere procede, et regna.

Ant. Judicabit Populum in justitia, et pauperes in judicio.

Psalm. 71.

Deus judicium tuum regi da; * et justitiam tuam filio regis.

Judicare populum tuum in justitia, * et pauperes tuos in judicio.

Suscipiant montes pacem populo, * et colles justitiam.

Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum; * et humiliabit calumniatorem.

Et permanebit cum sole, et ante lunam, * in generatione, et generationem.

Descendet sicut pluvia in vellus, * et sicut stillicidia stillantia super terram.

Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis; * donec auferatur luna.

Et dominabitur a mari usque ad mare; * et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident Æthiopes; * et inimici ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et Insulae munera offerent * reges Arabum, et Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes reges terrae; * omnes Gentes servient ei.

Quia liberabit pauperem a potente; * et pauperem, cui non erat adjutor.

Parcet pauperi, et inopi; * et animas pauperum salvas faciet.

Ex usuris, et iniquitate redi-

met animas eorum; * et honorabile nomen eorum coram illo.

Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiae, et adorabunt de ipso semper; * tota die benedicent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus; * et florebunt de civitate sicut foenum terrae.

Sit nomen ejus benedictum in saecula; * ante solem permanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae; * omnes Gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus Israel, * qui facit mirabilia solus.

Et benedictum nomen majestatis ejus in aeternum; * et replebitur majestate ejus omnis terra: fiat, fiat.

Ant. Judicabit populum in justitia, et pauperes in judicio.

℣. Mihi autem adhaerere Deo bonum est.

℟. Ponere in Domino Deo spem meam.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Lect. IV. Tract. de Pass. Dom. Cap. 3.

Quia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, et bonum est nos hic esse, ne sinamus nos facile avelli ab Eo, de quo scriptum est: Recedentes a te in terra scribentur. Quid autem accedentes? Tu ipse doces nos. Tu dixisti accedentibus ad Te: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in Coelo. Accedamus ergo ad Te, et exultabimus, et laetabimur in Te, memores Cordis Tui. O quam bonum, et quam jucundum habitare in Corde hoc! Quin potius dabo omnia, omnes cogitationes, et affectus mentis commutabo, jactans omnem cogitatum meum in Cor Domini Jesu, et sine fallacia illud me enutriet.

℟. Introduxit me Rex in cellaria sua, ordinavit in me charitatem. * Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

℣. Sub umbra illius, quem desideraveram sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo. Fulcite etc.

Lectio V.

Ad hoc Templum, ad haec Sancta Sanctorum, ad hanc Arcam Testamenti adorabo, et laudabo nomen Domini, dicens cum David: Inveni cor meum, ut orem Deum meum. Et ego inveni Cor Regis, Fratris, et Amici benigni Jesu. Et numquid non adorabo? Hoc igitur Corde tuo, et meo, dulcissime Jesu, invento, orabo te Deum meum. Admitte tantum in Sacrarium exauditionis Tuae preces meas: immo me totum trahe in Cor tuum. O omnium pulchritudine speciosissime Jesu, amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me, ut purificatus per te, ad te purissimum possim accedere, et in Corde tuo omnibus diebus vitae meae merear habitare; et ut videre simul semper, et facere tuam valeam voluntatem.

℟. Haurictis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis in illa die; * Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.

℣. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo. Confitemini etc.

Lectio VI.

Ad hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis patescat introitus. Ad hoc vulneratum est

Cor tuum, ut in illo, et in Te, ab exterioribus perturbationibus absoluti, habitare possimus. Nihilominus et propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile vulnus amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum Corpus, verum etiam ipsum Cor lancea vulnerari permisit? Carnale ergo vulnus, vulnus spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amantem non redamet? Quis tam castum non amplectatur? Nos igitur adhuc intus, idest in corpore manentes, quantum possumus, amemus, redamemus, amplectamur vulneratum nostrum, cujus impii Agricolae foderunt manus et pedes, latus et Cor: flemusque, ut cor nostrum durum adhuc, et impenitens amoris sui vinculo costringere, et jaculo vulnerare dignetur.

℟. Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum: * Et Spiritum meum ponam in medio vestri.

℣. Effundam super vos aquam vivam: et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Et Spiritum. Gloria. Et Spiritum etc.

In III. Nocturno.

Ant. Misericordiam, et veritatem diligit Deus: gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Psalm. 83.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum:* Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine: * in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te; * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem; * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam; * auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus;* et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus; * gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia; * Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Ant. Misericordiam, et veritatem diligit Deus: gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Ant. Dominus dabit benignitatem: loquetur pacem in plebem suam.

Psalm. 84.

Benedixisti, Domine, terram tuam; * avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuae; * operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam; * avertisti ab ira indignationis tuae.

Converte nos Deus salutaris no-

ster; * et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis? * aut extendes iram tuam a generatione in generationem.

Deus tu conversus vivificabis nos, * et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: * et salutare tuum da nobis.

Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus: * quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos, * et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: * ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia, et veritas obviaverunt sibi: * justitia, et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est; * et justitia de coelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem; * et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit; * et ponet in via gressus suos.

Ant. Dominus dabit benignitatem: loquetur pacem in plebem suam.

Ant. Suavis, et mitis es, Domine, et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Psalm. 85.

Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me; * quoniam inops, et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum; * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die; * laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis, et mitis, * et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam: * et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te; * quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis Domine; * et non est secundum opera tua.

Omnes Gentes, quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te Domine; * et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: * tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: * laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine, Deus meus, in toto corde meo, * et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me: * et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam: * et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu, Domine Deus, miserator et misericors, * patiens, et multae misericordiae, et verax.

Respice in me, et miserere mei, * da imperium tuum puero tuo: et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, et confundantur: * quoniam tu Do-

mine adjuvisti me, et consolatus es me.

Ant. Suavis, et mitis es, Domine, et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

℣. Misericordia Domini ab aeterno.

℟. Et usque in aeternum, super timentes eum.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 15. v. 9.

In illo tempore. Dixit Jesus Discipulis suis: Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis. *Serm. 13. de Verbis Domini in ultima Coena.*

De dilectione Dei quo plus bibo, plus sitio: et ea saturari non possum, nec ego, nec aliquis diligens Christum. Ipsa quo plus editur, plus famem exauget: et quanto plus ipsa bibitur, plus sitim incendit: ipsam, quam inhabitat mentem, sic inebriat, ut nihil jam quaerat, vel diligat, nec diligere possit, nec valeat, praeter eum, qui sic mundum dilexit, ut Filium suum Unigenitum daret; ut omnis, qui credit, et diligit illum, non moriatur, sed vivat cum eo. Ad hanc nos dilectionem Auctor ipse inaestimabilis charitatis invitat: in ea nos manere precatur, et rogat. Ait enim: Manete in dilectione mea: ac si aperte dicat: Quia ego ea dilectione, qua me Pater diligit, vos diligo; eadem dilectione me vos diligere rogo. Et quoniam dilectio vestra me usque ad mortem perduxit, sed neque mors crudelissima ipsa a vestra charitate me sejunxit: me diligite, et in ea dilectione manete.

℟. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos: * Manete in dilectione mea.

℣. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in ejus dilectione. Manete.

Lectio VIII.

Sed qualiter in ejus dilectione manere debeamus, sequitur, et dicit: Si praecepta mea servaveritis, manebitis in mea dilectione; Sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo iu ejus dilectione. Haec opera, Fratres mei, sunt causa dilectionis Christi. Unusquisque vestrum videat, si Dominum Jesum diligere debeat. Quid pro nobis facere debuit; et non fecit? Quomodo nos plus amare potuit, et non amavit? Majorem in nobis dilectionem non potuit habere, quam habuit; quia animam suam in mortem pro nobis posuit. Ipsa beata Veritas testis est, quod majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Non ergo nobis vilescat, Fratres mei, ipsa dilectio Christi, qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Non vobis vilescat, Fratres mei, non vobis amarescat ipse amor Christi, ipsa charitas Christi.

℟. Christus pro nobis animam suam posuit! * Et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

℣. Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Et lavit nos. Gloria etc. Et lavit.

Lectio IX.

Amor Christi totus dulcis, totus delectabilis: suum possessorem non cruciat, sed delectat; non enervat, sed roborat: cuncta terrena subsannat, sola coelestia captat: Christi mandata requirit, et ea pro viribus observare contendit; et de observatione praeceptorum gressu felici provehitur ad perceptionem gaudiorum, ut cum illo jam perfecte gaudeat, pro cujus desiderio in hac valle lacrymarum positus, tam amare frequenter suspirabat. Unde recte sequitur: Haec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur; ac si diceret: Ideo praecipio vobis, et moneo vos mea observare praecepta, et manere in dilectione mea, ut gaudium vestrum de me adimpleatur, ut habeam de vobis per mutuam charitatem, quam mihi impenditis, unde possim gaudere: et illud gaudium, quod in retributione praemiorum electi sunt percepturi, percipere, et possidere possitis.

Te Deum etc.

AD LAUDES.

Et per Horas.

Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.

Psal. Dominus regnavit etc. *cum rel. de Laud. Dominic.*

Antiph. Suavis est Dominus, et in aeternum misericordia ejus.

Antiph. Sitivit in te anima mea; quia melior est misericordia tua super vitas.

Antiph. Sancti, et humiles corde, benedicite Domino: Laudate, et superexaltate eum in saecula.

Antiph. Beneplacitum est Domino in populo suo: et exaltabit mansuetos in salutem!

Capitulum *Cant. 3.*

Egredimini, et videte, filiae Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum Mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae Cordis ejus.

Hymnus.

Summi Parentis Filio
Patri futuri saeculi,
Pacis beatae Principi,
Promamus ore canticum.

Qui vulneratus pectore
Amore ictum pertulit.
Amoris urgens ignibus
Ipsum, qui amantem diligunt.

Jesu doloris victima,
Qui te innocentem compulit,
Dura ut apertum Lancea
Latus pateret vulneri?

O fons amoris inclyte!
O vena aquarum lympida!
O flamma adurens crimina!
O Cordis ardens charitas!

In Corde, Jesu, jugiter
Reconde nos, ut uberi
Dono fruamur gratiae,
Coelique tandem praemiis.

Semper Parenti, et Filio
Sit laus, honor, sit gloria,
Sancto simul Paraclyto
In saeculorum saecula. Amen.

℣. Misericordia Domini ab aeterno.

℟. Et usque in aeternum super timentes eum.

Ad Benedictus.

Antiph. Per viscera misericordiae suae visitavit nos Deus, et fecit redemptionem populi sui, alleluja.

Oratio.

Fac nos, Domine Jesu, Sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflammari: ut

et imagini bonitatis tuae conformes, et tuae redemptionis mereamur esse participes Qui vivis, et regnas etc.

Ad Prim. Antiph. Discite a me etc.

℟. *br.* Christe Fili Dei vivi etc.

℣. Per quem salvati, et liberati sumus.

Ad Tertiam.

Antiph. Suavis est Dominus.

Capitul. Egredimini etc. *ut ad Laudes.*

℟. *br.* Misericordia tua Domine, * Plena est terra. Misericordia etc.

℣. Justificationes tuas doce me. Plena est terra. Gloria Patri etc. Misericordia etc.

℣. Secundum misericordiam tuam vivifica me, Domine.

℟. Et custodiam testimonia oris tui.

Ad Sext. Ant. Sitivit in te.

Cap. Cant. 8.

Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est, ut mors, dilectio.

℟. *br.* Secundum misericordiam tuam * Vivifica me, Domine. Secundum etc.

℣. Et custodiam testimonia oris tui. Vivifica me, Domine. Gloria Patri etc. Secundum etc.

℣. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam.

℟. Et doce me justificationes tuas.

Ad Nonam.

Ant. Beneplacitum est.

Cap. Psalm. 68. v. 21.

Improperium expectavit Cor meum, et miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.

℟. *br.* Fac cum servo tuo * Secundum misericordiam tuam. Fac cum servo tuo etc.

℣. Et justificationes tuas doce me. Secundum etc. Fac cum servo tuo etc.

℣. Veniat super me misericordia tua, Domine.

℟. Salutare tuum, secundum eloquium tuum.

IN II. VESPERIS.

Antiphona.

De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

Psalm. 109. Dixit Dominus Domino meo.

Antiph. Miserator Dominus, redemptionem misit populo suo.

Psalm. 110. Confitebor tibi Domine in toto corde meo: * in consilio etc. *de Dom. in Psalt.*

Antiph. Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Psalm. 129. De profundis clamavi ad te Domine.

Antiph. Super misericordia tua Domine, confitebor tibi in toto corde meo.

Psalm. 137.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: * quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi: * adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua, et veritate tua: * quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocavero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi Domine, omnes reges terrae: * quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini:* quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit: * et alta a longe cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: * Domine, misericordia tua in saeculum: opera manuum tuarum ne despicias.

Antiph. Super misericordia tua Domine, confitebor tibi in toto corde meo.

Antiph. Suavis Dominus universis: * et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Psalmus. 144.

Exaltabo te Deus meus rex: * et benedicam nomini tuo in saeculum, et in saeculum saeculi.

Per singulos dies benedicam tibi: * laudabo nomen tuum in sæculum, et in saeculum saeculi.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis: * et magnitudinis ejus non est finis.

Generatio, et generatio laudabit opera tua: * et potentiam tuam pronuntiabunt.

Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur; * et mirabilia tua narrabunt.

Et virtutem terribilium tuorum dicent: * et magnitudinem tuam narrabunt.

Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt: * et justitia tua exultabunt.

Miserator et misericors Dominus: * patiens, et multum misericors.

Suavis Dominus universis: * et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: * et sancti tui benedicant tibi.

Gloriam regni tui dicent: * et potentiam tuam loquentur.

Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam: * et gloriam magnificentiae regni tui.

Regnum tuum, regnum omnium saeculorum: * dominatio tua in omni generatione, et generationem.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: * et sanctus in omnibus operibus suis.

Allevat Dominus omnes, qui corruunt; * et erigit omnes elisos.

Oculi omnium in te sperant, Domine: * et tu das escam illorum in tempore opportuno.

Aperis tu manum tuam: * et imples omne animal benedictione.

Justus Dominus in omnibus viis suis: * et sanctus in omnibus operibus suis.

Prope est Dominus omnibus invocantibus eum: * omnibus invocantibus eum in veritate.

Voluntatem timentium se faciet,* et deprecationem eorum exaudiet: et salvos faciet eos.

Custodit Dominus omnes diligentes se, * et omnes peccatores disperdet.

Laudationem Domini loquetur os meum, * et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in saeculum, et in saeculum saeculi.

Antiph. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Capitulum Cant. 3.

Egredimini, et videte, Filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum Mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae Cordis ejus.

Hymn. Quicumque certum quæritis etc., *ut supra ad Matut.*

℣. Misericordia Domini a progenie in progenies.

℟. Timentibus eum.

Ad Magnificat.

Ant. Suscepit nos Dominus in Sinum, et Cor suum, recordatus misericordiae suae, alleluja.

DOMINICA POST OCT. CORPOR. CHRISTI FESTUM SS. CORDIS B. M. V.

DUP. MAJUS.

Omnia, ut in Festo S. M. ad Nives die 5. Aug. praeter Lect. 2. noct. quae sumuntur ex die 12. Septembr. quae incip. Dei Filius.

FESTA JUNII.

Die I.

S. Eleutherii Pp. M.

Duplex.

Temp. Pasch.

Oratio. Infirmitatem.

In I. Noct. Lect. de script.

In Fer. IV. Rogat. A Mileto.

In II. Noct.

Lectio IV.

Eleutherius, natione Graecus, Abundio Patre, natus Nicopoli, Epiri Oppido, ex Presbytero Sanctae Romanae Ecclesiae, post Soteris mortem, totius Cleri suffragiis, Romanus Pontifex renunciatus est, Marco Aurelio Imperatore Augusto. Quo munere egregie, et summa cum laude functus est annos quindecim, dies viginti tres: tribus Ordinationibus mense Decembri factis, creatisque Presbyteris duodecim, Diaconis octo, Episcopis per diversa loca quindecim.

℟. Lux perpetua.

Lectio V.

Ab Ecclesia Lugdunensi per litteras, de nonnullis quaestionibus consultus, Irenaeum virum doctissimum, litterarum latorem, humaniter excepit, eique Apostolicas traditiones, quas Romana Ecclesia illibatas servaverat, aperuit. Superstitiosas Montanistarum Xerophagias damnavit. Optimas leges pro recta Judiciorum Ecclesiasticorum forma praescripsit. Marcionem, et Valentinum saepius relapsos, ab Ecclesia penitus ejecit.

℟. In servis suis.

Lectio VI.

Cum summa pace Ecclesia frueretur, multos etiam ex optimatibus ad Christi fidem Romae convertit. A Lucio Britannorum Rege literas per Legatos accepit, divini verbi Ministros postulante, ad quem Fugatium, et Damianum Romanae Ecclesiae Presbyteros misit, a quibus Rex ipse cum tota familia, et subditi fere omnes, sacro lavacro regenerati fuere. His demum, aliisque pro divino cultu peractis, sancto fine quievit, sub Imperatore Comodo, quinto Kalendas Junii, sepultus in Vaticano.

℟. Filiae Jerusalem.

In III. noct. Homil. super Evang. Ego sum vitis vera.

Extra Temp. Pasch. Si quis venit. *cum* ℟℟. *de Temp.*

Die II. junii.

S. Eugenii I. Pp. C.

Duplex.

In Hymn. mutat. ℣.

Orat. Da quaesumus.

In I. noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Beato Martino hujus nominis primo, tyrannica haeretici Imperatoris sententia Chersonam relegato, Theodoro Exarcho instante, Eugenius, patria Romanus, qui fere a cunabulis, sacro Clericorum Ordini se addixerat, absentis Pontificis vices gessit, ne Romanae Ecclesiae administratio cessasse omnino videretur: sed hac revera potestate modeste uti visus est, cum probe sciret, Martino vivente, se legitimum Pontificem non esse, sed illius dumtaxat quasi vices gerentem.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Ubi vero praedictus Christi Martyr, aerumnis, et inedia confectus, ad beatam vitam migravisset, in Cathedra Petri, Clero consentiente, ut legittimus Petri Successor sedit, et in illo Apostolici ministerii culmine, talem se gessit, qualem supremi muneris ei crediti dignitas, et omnium Christi fidelium, ejus curae commissorum salus, et utilitas postulabant; mitis enim fuit, benignus, et mansuetus; et quod caput est, vitae sanctimonia illustris.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Singularem Cleri curam habuit, quem paterno semper amore, et multis beneficiis prosequutus est. In egenos tamen mirabilis ejus beneficentia enituit, quibus reditus Ecclesiae, vivens, et moriens, liberali manu erogavit, apprime ratus, Ecclesiae opes ad nobiliores usus applicari non posse, et ex manibus indigentium ad aeternitatis aerarium, cum incredibili spiritualis usurae lucro, recta traduci. Transactis demum duobus annis, et novem fere mensibus, sancto fine quievit, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo quinto, et ejus corpus in Basilica Sancti Petri reconditum fuit.

℟. Iste est.

In III. noct. Homil. super Evang. Homo peregre. *IX. Lect. ex duab. SS. Marcellini, Petri, et Erasmi, cum eorum com. in Laud.*

Die III. junii. ex 30. maji.

S. Felicis I. Pp. M.

Duplex. Temp. Pasch. Ora'. Infirmitatem.

In I. noct. Lect. de scr.

In Fer. II. et IV. Rogat. A Mileto.

IN II. NOCT.

Lectio VI.

Felix Romanus, patre Constantio, Aureliano Imperatore praefuit Ecclesiae. Constituit, ut Missa supra memorias, et sepulchra Martyrum celebraretur. Qui cum mense Decembri habuisset Ordinationes duas, et creasset Presbyteros novem, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca quinque, Martyrio coronatus, via Aurelia sepelitur in Basilica, quam a se aedificatam dedicarat. Vixit in Pontificatu annos duos, menses quatuor, dies viginti novem.

℟. Lux perpetua.

Lectio V. Pastor bonus, et VI. Nam apud Haereticos, *de Sermone S. Augustini Ep.* fol. 106.

℟. Filiae Jerusalem.

In III. Noct. Homil. super Evang. Ego sum vitis vera.

Extra Temp. Pasch. Si quis venit ad me. *cum* ℟℟. *de Temp.*

DIE IV. JUNII.

S. Francisci Caracciolo C.

Duplex. *Oratio.*

Deus qui Beatum Franciscum novi Ordinis Institutorem orandi studio, et poenitentiae amore decorasti, da famulis tuis in ejus imitatione ita proficere, ut semper orantes, et corpus in servitutem redigentes ad coelestem gloriam pervenire mereantur. Per.

In I. noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Franciscus, dictus antea Ascanius, ex nobili Familia Caracciolo in oppido Sanctae Mariae de Villa in Aprutio ortus, a primis annis eximio enituit pietatis cultu. Adolescens, graviter aegrotans, statuit sese prorsus Dei, proximique mancipare servitio. Neapolim profectus, Sacerdotio initiatus, sacroque adscriptus Sodalitio, contemplationi, lucrandisque animabus se totum devovit, ac extremo supplicio damnatis hortatorem se praebuit assiduum. Contigit autem, ut epistolium alteri destinatum ei per errorem redderetur; quo a piissimis viris Joanne Augustino Adorno, et Fabricio Caracciolo ad novi Religiosi Instituti fundationem vocabatur: rei novitate captus, et divinae voluntatis demiratus consilia alacri animo sese illis adjunxit. Conditis autem in Camaldulensium eremo, quo secesserant, novi Ordinis legibus, inde Romam simul profecti, confirmationem a Sixto Quinto impetrarunt, qui eosdem Clericos Regulares Minores appellari voluit, addito, ad tria consueta, altero de non ambiendis Dignitatibus voto.

℟. Honestum fecit illum.

Lectio V.

Solemni emissa professione, ob singularem ejus in Divum Franciscum Assisinatem cultum Francisci nomen assumpsit. Adorno biennio post vita functo, ipse toti Religioni, quamquam invitus, praeficitur, quo in munere virtutum omnium praeclara praebuit exempla. Instituti amplificandi studiosissimus, id assiduis orationibus, lacrymis, et jugi corporis maceratione enixe a Deo postulabat. Quamobrem tertio in Hispaniam se contulit peregrini habitu indutus, victumque ostiatim mendicans. In itinere asperrima quaeque perpessus, Omnipotentis auxilium mirum in modum expertus, navim, quam conscenderat ab imminenti naufragio orationis praesidio servavit incolumem. Ut in Regnis illis voti compos fieret, plurimum laboravit, sed ejus sanctitatis fama praelucente, amplissimaque Catholicorum Regum Philippi Secundi, et Philippi Tertii munificentia adversariorum conatibus singulari animi fortitudine superatis, plura sua Ordinis domicilia fundavit: quod pari eventu per Italiam praestitit.

℟. Amavit eum Dominus.

Lectio VI.

Humilitate adeo excelluit, ut Romam veniens in pauperum hospitio receptus se leproso sociaverit; et Ecclesiasticas dignitates a Paulo Quinto sibi oblatas constantissime recusavit. Illibatam per-

petuo servavit virginitatem, effrontesque mulieres ejus castimoniae insidiantes Christo lucrifecit. Erga divinissimum Eucharistiae mysterium ardenti aestuans amore noctes pene integras in ejus adoratione insomnes ducebat, quod pium exercitium veluti sui Ordinis tesseram in eo perpetuo servandum constituit. Deiparae Virginis cultum impense fovit. In proximum eximia exarsit charitate. Prophetiae dono, et cordium scrutatione ditatus fuit. Quadragesimum quartum aetatis suae annum agens, dum in Sacra Lauretana Æde in oratione persisteret, sibi vitae finem imminere cognovit, Aprutium statim deflexit, et Anglonensi apud alumnos S. Philippi Nerii lethali febre correptus, Sacramentis Ecclesiae devotissime susceptis, pridie nonas Junii anni millesimi sexcentesimi octavi in pervigilio festi Corporis Christi placidissime obdormivit in Domino. Sacrum ejus Corpus Neapolim delatum in Ecclesia S. Mariae Majoris, ubi prima sui Ordinis jecerat fundamenta honorifice conditum fuit. Eum postea miraculis clarum Clemens Decimus Quartus Pontifex Maximus solemni ritu inter Beatos; Pius vero Septimus Pontifex Maximus novis fulgentem signis anno millesimo octingentesimo septimo Sanctorum albo adscripsit.

℟. Iste homo perfecit.

In III. Noct. Hom. in Evang. Sint lumbi vestri.

Die V. junii. ex XI. maji.

In festo S. Francisci de Hieronymo Conf.

Duplex.

Offic. de comm. Conf. non Pontif. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Deus, qui Beatum Franciscum, ad animarum salutem, eximium verbi tui praeconem effecisti: ejus nobis intercessione concede, ut legis tuae mandata et jugiter scrutemur in corde, et fideliter operibus exequamur. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de scrip.

In II. Noct.

Lectio IV.

Franciscus de Hieronymo in Tarentini agri oppido, cui Cryptaleae nomen, honesto loco natus, pia parentum cura institutus, ac coeli benedictione praeventus, pueritiam egit innocentissimis moribus praestantem, et futurae sanctitatis indiciis conspicuam. Duodecimo aetatis anno in quorumdam Evangelicorum Operariorum contubernium admissus, in catechizandis rudibus adhuc adolescens diligentem operam posuit, et Apostolico ministerio, ad quod Deus illum destinaverat, jam tum proludere visus est. Theologica studia Neapoli aggressus, et Sacerdotio initiatus, ita vitae suae rationes ad Evangelica consilia accomodavit, ut Sacerdotis sancti nomen adeptus fuerit. Societatem Jesu ingressus, jactis in tyrocinio religiosae perfectionis, ardentissimae in Deum, et proximos charitatis, insignis patientiae, aliarumque virtutum fundamentis, quae majus in dies singulos incrementum accipiebant, Theologiae curriculum confecit, et so-

lemni quatuor votorum professione sese obstringens, eximium regularis observantiae exemplar evasit. Pro sacra expeditione ad Japoniam, quam martyrii cupidus in votis habuit, Neapoli retentus, praefecturam Missionum jussu Praesulum accepit, quod non sine Dei numine factum eventus comprobavit.

Lectio V.

Etsi enim corpore erat gracili, neque satis firma valetudine, ac praeterea carnem assiduis jejuniis, vigiliis, verberibusque macerabat, tamen tot onera in se suscipiens, quot ferendis plures simul vix pares essent, incredibile dictu est, quanta pro gloria Dei, quam unice quaerebat, egerit non solum Neapoli, sed in aliis quoque ejusdem regni provinciis, quot labores, et aerumnas tulerit, quanto cum fructu in agro Dominico excolendo plus quadraginta annis desudaverit. Frequentes, et saepius conciones per vicos, compita, et plateas, ad carceribus detentos, ad regiis triremibus mancipatos, ad milites, contra circulatores impudentes, contra publicos quosvis peccatores, contra famae prostitutae muliereulas. Accedebant mirabilia signa, tremenda divinae ultionis adversus pervicaces documenta, scrutatio cordium, praedictio rerum futurarum, ejus corporis diversis in locis apparitio, gratia sanitatum, annona divinitus multiplicata, vox etiam ex ore meretricis subita morte correptae extorta, quae se apud inferos esse palam denunciavit. Ex quo fiebat, vix ut umquam e superiori loco ad populum diceret, quin insignem aliquem peccatorem Christo lucrifaceret. Interdum etiam decem, nonnumquam quindecim meretriculae simul sua crimina deflentes, in concione ad poenitentiam confugerunt.

Lectio VI.

Assidua ejus opera fuit in ægrotis invisendis, in moribundis ad mortem rite praeparandis, in concordia animorum dissidentium conciliandа, in pauperibus ope, ac solatio sublevandis. Communionem, quam dicunt generalem, singulis cujuslibet mensis tertiis diebus Dominicis usque adeo promovit, ut saepe quindecim millia fidelium, aliquando viginti millia, aut eo amplius ad Eucharisticam mensam convenerint. Exercitiis spiritualibus ex Sancti Ignatii institutoris praescripto Sacerdotum coetus, virorum religiosorum, et virginum Deo devotarum monasteria, puellarum coenobia, studentium juvenum collegia, et seminaria, atque omne hominum genus mirifice excoluit. Gravissimas difficultates, et molestias, quas illi Doemon excitabat, invicta patientia superavit: nec semel maxillam percutientibus submisso animo alteram praebuit: quin et acerbissimos dolores brachio captivi Mahometani, qui eum percusserat, a Deo ultore inflictos signo Crucis repente cessare fecit, hominemque ad Christianam religionem adduxit. Demum in coelum a Deo evocatus placide efflavit animam in Neapolitana Professorum domo die undecima Maji anno millesimo septingentesimo decimo sexto, aetatis vero suae septuagesimo quarto. Quem meritis, ac miraculis clarum Pius Septimus Pontifex Maximus in Beatorum nume-

rum retulit: novisque signis a Deo, illustratum praesertim in patria, quibus de more probatis Gregorius Papa Decimusextus solemni ritu in Festo Sanctissimae Trinitatis anno millesimo octigentesimo nono in Sanctorum albo adnumeravit.

In III. Nocturno.

Hom. in Evang. Sint lumbi vestri: *ut in commu. Conf. non Pontif.*

Die XII. junii.

In Festo S. Joannis a S. Facundo

Conf. dupl. min. Omnia de commu. Conf. non Pont. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Deus auctor pacis, et amator charitatis, qui Beatum Joannem Confessorem tuum mirifica dissidentes componendi gratia decorasti: ejus meritis, et intercessione concede, ut in tua charitate firmati, nullis a te tentationibus separemur. Per Dominum.

In I. noct. lect. de Script. occur.

In II. noct. Lectio IV.

Joannem Sahagúni in Hispania nobili genere natum, parentes, cum diu prole caruissent, piis operibus et orationibus a Deo impetrarunt. Ab ineunte aetate egregium futurae sanctitatis specimen dedit; nam e loco superiori ad ceteros pueros crebro verba faciebat, quibus eos ad virtutem, et Dei cultum hortabatur, eorumque dissidia componebat. In Patria Monachis S. Facundi Ordinis S. Benedicti primis litterarum rudimentis imbuendus traditur. Dum iis operam daret, curavit Pater, ut Parochus Ecclesiam administraret, quod munus juvenis nullis rationibus adduci potuit, ut retineret. Inter familiares Episcopi Burgensis adscriptus, ob spectatam ipsius probitatem, intimus ei fuit, ab eoque Presbyter, et Canonicus factus, multis beneficiis auctus est. Sed relicta aula Episcopi, ut Deo quietius serviret, omnibus Ecclesiae proventibus abdicatis, se cuidam Sacello addixit, ubi Sacrum quotidie faciebat, ac de rebus divinis magna cum auditorum aedificatione frequenter concionabatur.

Lectio V.

Postea studiorum causa Salmanticam profectus, in celebre Collegium Divi Bartholomaei cooptatus; Sacerdotis munus ita exercuit, ut simul optatis studiis incumberet, et in sacris etiam concionibus assidue versaretur. Cum vero in gravissimum morbum incidisset, arctioris disciplinae voto se obstrinxit, quod ut redderet, cum prius cuidam pauperi pene nudo ex duabus, quas tantum habebat vestes, meliorem dedisset; ad Coenobium S. Augustini severiori disciplina tum maxime florens se contulit, in quo admissus, obedientia, animi demissione, vigiliis, ac oratione provectiores anteibat. Triclinii cura cum ipsi demandata esset, viceteros ni doliolum ipso attingente omnibus Monachis per annum abunde suffecit. Exacto tyrocinii anno, Praefecti jussu munus concionandi suscepit. Salmanticae id temporis adeo cruentis factionibus divina, humanaque omnia permixta erant, ut singulis propemodum horis caedes fierent, et omnium ordinum, ac praesertim nobilium sanguine non viae solum, et fora, sed templa etiam redundarent.

Lectio VI.

At Joannes tum concionibus, tum privatis colloquiis civium animos demulcens, ad tranquillitatem urbem reduxit. Virum Principem graviter offendit, quod illius in subditos saevitiam increpasset. Qua de causa equites duos immisit, qui eum in itinere confoderent; jamque ad ipsum propinquaverant, cum stupore divinitus immisso, simul cum equis immobiles fleterunt, donec ad pedes Sancti viri provoluti sceleris veniam precarentur. Ipse quoque Princeps repentino terrore perculsus jam de salute desperaverat, cum revocato Joanne, facti poenitens, incolumitati redditus est. Factiosi etiam homines, cum eum fustibus peterent, brachiis diriguere, nec ante redditae vires, quam delicti veniam precarentur. Christum Dominum, dum Sacrum faceret, praesentem contueri, atque ex ipso Divinitatis fonte cœlestia mysteria haurire solitus; abdita cordis inspicere, ac futura raro eventu praesagire freqnens illi fuit. Fratrisque filiam septennem mortuam excitavit. Denique mortis die praenuntiato, et Ecclesiae Sacramentis devotissime susceptis, extremum diem clausit; multis ante, et post obitum miraculis gloriosus. Quibus rite probatis Alexander Octavus Sanctorum numero eum adscripsit.

In III. noct. Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Sint lumbi vestri praecincti. *de commu. Conf. non Pont. 1. loc.*

DIE XV. JUNII EX XII. HUJUS.

S. Leonis III. Pp. C.

Duplex.

Orat. Da quaesumus.

In I. noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Leo, hujus nominis Tertius, Romanus ex patre Asuppio, a pueritia in Vestiario Patriarchii Lateranensis in omnem Ecclesiasticam, ac divinam disciplinam educatus, ex Monacho Sancti Benedicti, Presbyter Cardinalis, ac demum Pontifex Maximus, incredibili omnium consensione, ipso die obitus Adriani creatus est, anno septigentesimo nonagesimo quinto, seditque in sancta Petri Sede annos viginti, menses quinque, dies decem et septem.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Talem se in Pontificatu exhibuit, qualem se ante assumptionem praebuerat; piissimum scilicet, mitissimum, singulari in Deum religione, erga proximum charitate, prudentia in rebus gerendis, pauperum, aegrorumque parentem, Ecclesiae defensorem, divini cultus promotorem, utpote qui maxima quaeque pro Christo, et Ecclesia sedulo praestitit, et patienter toleravit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Cum ab impiis, erutis oculis, et confossus vulneribus, semivivus relictus fuisset, postridie per insigne miraculum, sanus inventus est, iisdemque parricidis vitam suis precibus obtinuit. Carolo Magno Francorum Regi Romanum Imperium detulit; peregrinis amplissimum Xenodochium extruxit; patrimonium, aliosque fundos pauperibus adscripsit. Basilicas urbis, praesertim Lateranensem (in cujus Patriarchio Triclinium magnum

super omnia Triclinia fundavit) et sacras aedes tot, ac tantis divitiis cumulavit, ut fidem omnem superare videatur. Vitam demum religiosissimam pio fine coronavit, pridie Idus Junii anno Domini octigentesimo decimo sexto, et sepultus est in Vaticano.

℟. Iste est, qui.

In III. noct. Homil. super Evang. Homo peregre. *cum ix. Lect. Ss. Viti et Soc. Mm. ex duabus, eorumqu. comm. in Laud.*

Die XIX. Junii.

S. Julianae de Falconeriis.

Duplex.

Ad Vesperas, et Matut.

Hymnus.

Coelestis Agni nuptias
O Juliana dum petis,
Domum paternam deseris
Chorumque ducis Virginum.

Sponsumque suffixum Cruci
Noctes, diesque dum gemis,
Doloris icta cuspide
Sponsi refers imaginem.

Quin septiformi vulnere
Fles ad genu Deiparae;
Sed crescit infusa fletu,
Flammasque tollit charitas.

Hinc morte fessam proxima
Non usitato te modo
Solatur, et nutrit Deus,
Dapem supernam porrigens.

Æterne rerum conditor,
Aeterne Fili par Patri,
Et par utrique Spiritus
Soli tibi sit gloria. Amen.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua. ℟. Intende, prospere procede, et regna.

Ad Magnificat.

Antiph. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus praeparavit in aeternum.

Oratio.

Deus qui Beatam Julianam Virginem tuam extremo morbo laborantem pretioso Filii tui Corpore mirabiliter recreare dignatus es; concede quaesumus, ut ejus intercedentibus meritis, nos quoque eodem in mortis agone refecti, ac roborati ad coelestem patriam perducamur. Per Dominum.

In I. noct. Lect. de ser.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Juliana ex nobili Falconeria familia, Clarissimo Patre, qui Templum Deiparae ab Angelo salutatae aere suo magnifice a fundamentis Florentiae, ut nunc visitur, erexit, matre Reguardata, ambobus jam senescentibus, ac ad id tempus sterilibus, nata est anno millessimo ducentesimo septuagesimo. Ab incunabulis non exiguum futurae sanctitatis specimen dedit; vagientibus quippe labris, suavissima Jesu, et Mariae nomina ultro proferre audita est. Pueritiam postmodum ingressa totam se Christianis virtutibus mancipavit, in quibus adeo excelluit, ut Beatus Alexius patruus, cujus institutis, ac exemplis instruebatur, Matri dicere non dubitaverit, ipsam non feminam peperisse, sed Angelum; nam ita modesto vultu, animoque ab omni, vel levissima erroris macula pura fuit, ut oculos nunquam in toto vitae cursu ad hominis faciem intuendam erexerit, auditoque peccati vocabulo contremuerit; immo sceleris narratione perculsa, illico prope exanimis corruerit. Expleto nondum decimoquinto aetatis suae anno, re familiari, licet opulen-

ta, terrenisque posthabitis nuptiis, Deo Virginitatem in manibus Divi Philippi Benitii solemniter vovit, ab eoque omnium prima Religiosum Mantellatarum habitum, ut dicunt, sumpsit.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

Julianae exemplum secutae sunt plurimae ex nobilioribus familiis feminae, ac Mater ipsa Filiae sese religiose instituendam dedit, ita ut aucto paulatim numero, Ordinem Mantellatarum instituerit, ac illi pie vivendi leges summa prudentia, ac sanctitate tradiderit. Ejus virtutes cum optime perspectas Divus Benitius haberet, morti proximus nulli melius, quam Julianae, non feminas tantum, sed, et totum Servorum Ordinem, cujus propagator, et moderator extiterat, commendatum voluit. Verum ipsa demisse semper de se cogitabat, et cum ceterarum esset Magistra, in re quaque domestica, licet vili, sororibus famulabatur. Assiduitate orandi integras insumebat dies, in extasim saepissime rapta, et si reliquum, in sedandis Civium dissidiis, criminosis a via iniquitatis retrahendis, ac in inserviendis, impendebat aegrotis, quorum quandoque saniem ex ulceribus manantem, admoto ore, lambens, eos sanitati restituebat. Corpus suum flagris, nodosis funiculis, ferreis cingulis, vigiliis, humi nudae cubando, terere solita fuit. Parcissimo cibo, et hoc vili, quatuor hebdomadae diebus, et reliquis duobus solo Angelorum pane contenta, excepto die sabbati, quo pane solo, et aqua nutriebatur.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio IV.

Dura hujusmodi vivendi ratione in stomachi morbum incidit, quo ingravescente cum septuagesimum aetatis annum ageret, ad extremum vitae spatium redacta est. Diuturnae valetudinis incommoda hilari vultu, constantique animo pertulit, de uno tantum conqueri audita est, quod cum cibum capere, ac retinere nullo modo posset, ab Eucharistica mensa, ob Sacramenti reverentiam, arceretur. Verum his in angustiis constituta Sacerdotem rogavit, ut allatum divinum Panem, quem ore sumere nequibat, pectori saltem exterius admoveret. Precibus illius morem gessit Sacerdos, et mirum! eodem temporis momento, divinus Panis disparuit, et Juliana sereno, ac ridenti vultu expiravit. Res supra fidem tamdiu fuit, donec virgineum de more curaretur Corpus, inventa enim est circa sinistrum pectoris latus carni veluti sigillo impressa forma hostiae, quae Christi Crucifixi effigiem repraesentabat. Hujus prodigii fama, ceterorumque miraculorum non Florentiae tantum; sed totius Christiani Orbis venerationem illi conciliavit, ac per quatuor prope integra saecula adeo aucta est, ut tandem Benedictus Papa XIII., in ejus celebritate Officium proprium recitari ab universo Ordine Beatae Mariae Virginis Servorum jusserit. Clemens vero duodecimus munificentissimus ejusdem Ordinis Protector, novis in dies miraculis coruscantem, Sanctarum Virginum Catalogo adscripserit. ℟. Afferentur Regi.

In III. noct. Lect. de Homilia in Evangelium. Simile erit regnum

coelorum. *de comm. Virg. ix. Lect. SS. Gervasii, et Protasii, eorumque com. in Laud.*

DIE XX. JUNII.

IN DIE OCT. S. ANTONII DE PADUA CONF.

Duplex. Omnia ut in die oct. S. Dominici in fine Breviarii, nomine mutato, et nona lect. erit sequens.

Lect. IX.

Praecinguntur enim fidelium lumbi, dum concupiscentia mala comprimitur, dum iniqua cogitatio cohibetur, dum libidini resistit animus, dum lasciviae denegatur affectus, dum calcatur luxuria, dum avaritia contemnitur et rapina, dum proximi laesio devitatur, dum superbia vincitur, dum invidia superatur. Ardent vero lucernae fidelium, dum rectae fidei regulam servant, dum in sinu matris Ecclesiae longaminiter perseverant, dum terrena contemnunt, et coelestia concupiscunt, dum soliciti pacem custodiunt, dum se invicem pure diligunt, dum mutuo se honore praeveniunt, dum mansuetudine cordis et humilitate proficiunt, dum misericordiae opera libenter atque hilariter faciunt, dumque in operibus bonis, non hominibus, sed Deo placere contendunt.

DIE XXII. JUNII. EX XX. HUJUS.

S. Silverii Pp. M.

Duplex.

Orat. Infirmitatem.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV. Silverius Campanus etc.

Lectio V. Quamobrem irata mulier etc., *ut in Breviar. die XX. Jun.*

Lectio VI. Sermo S. Augustini Ep., *quae est V. in Festo S. Urbani die 28. Maji. fol. 127. hujus.*

In III. Noct. Homil. super Evang. Si quis venit.

VIII. ℟. Domine praevenisti, *IX. lect. S. Paulini ex duabus, et com. in Laud.*

DIE XXVIII. JUNII.

S. Leonis II. Pp. C.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

DIE XXVIII. ET XXIX. JUNII.

COMMEMORATIONES OMNIUM SS. APOSTOL. ET OMNIUM SS. MARTYRUM,

FACIENDAE IN FESTO

SS. APOSTOLORUM PETRI, ET PAULI.

IN I. VESPERIS.

Post Orat. diei. Pro omn. Ss. Apost.

Antiph.

In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

℣. Nimis honorati sunt amici tui Deus.

℟. Nimis confortatus est principatus eorum.

Oremus.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, et omnium Sanctorum Apostolorum tuorum tuere praesidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis.

Pro omn. Ss. Mm.

Ant. Isti sunt Sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, et dedit illis gloriam sempiternam.

℣. Justi epulentur, et exultent in conspectu Dei.

℟. Et delectentur in laetitia.

Oremus.

Deus, qui glorificaris in concilio Sanctorum Martyrum tuorum,

respice ad preces humilitatis nostrae: ut quorum solemnia celebramus, eorum precibus adjuvari mereamur. Per Dominum.

AD LAUDES.

Pro omn. Ss. Apost.

Ant. Vos, qui sequuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel. ℣. In omnem terram exivit sonus eorum. ℟. Et in fines orbis terrae verba eorum.

Oratio. Exaudi etc. *ut supra.*

Pro omn. Ss. Mm.

Ant. Sancti tui, Domine, semper benedicant te, et gloriam Regni tui dicant.

℣. Mirabilis Deus in Sanctis suis

℟. In Sanctis ejus laudate Deum.

Oratio. Deus etc. *ut supra.*

IN II. VESPERIS.

Pro omn. Ss. Apost.

Ant. Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis, dicit Dominus. ℣. Gloriosus in Sanctis suis, faciens mirabilia. ℟. Hic Deus meus, et glorificabo eum.

Oratio. Exaudi etc. *ut supra.*

Pro omn. Ss. Mm.

Ant. Dico autem vobis amicis meis, ne timeatis ab iis, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. ℣. Justi autem in perpetuum vivent. ℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Oratio. Deus etc. *ut supra.*

FESTA JULII.

DOMINICA I.

Post Octavam SS. Apostolorum Petri, et Pauli non impedita.

COMMEMORATIO OMNIUM SS. S.R.E. SUMMORUM PONTIFICUM.

Duplex.

Ad Vesp. Antiph. Sancti tui *cum reliquis de Laud.*

Psalm. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi Psal.* Laudate Dominum.

Cap. Hebr. c. 13.

Fratres, mementote Praepositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem.

Hymnus.

Rex gloriose Praesulum,
Corona confitentium,
Qui respuentes terrea
Perducis ad coelestia.
Aurem benignam protinus,
Appone nostris vocibus;
Trophaea sacra pangimus,
Ignosce quod deliquimus.
Tu vincis in Martyribus,
Parcendo Confessoribus,
Tu vince nostra crimina,
Donando indulgentiam.
Deo Patri sit Gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc, et in perpetuum. Amen.

℣. Exaltent eos in Ecclesia plebis.

℟. Et in Cathedra Seniorum laudent eos.

Ad Magnificat.

Ant. Sacerdotes Dei benedicite Dominum, servi Domini hymnum dicite Deo Alleluja.*

Oratio.

Deus, qui populis tuis indulgentia consulis, et amore dominaris: da Spiritum sapientiae, suffragandibus meritis Antistitum Ecclesiae tuae, quibus dedisti regimen disciplinae; ut de profectu sanctarum ovium, fiant gaudia aeterna Pastorum. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Invit. Christum Principem Pastorum : * Venite adoremus.

Hymnus.

Æterna Christi munera ,
Et gloriam Pontificum , .
Laudes canentes debitas ,
Laetis canamus mentibus.

Ecelesiarum Principes ,
Belli triumphales duces ;
Coelestis aulae milites ,
Et vera mundi lumina.

Devota Sanctorum fides ,
Invicta spes credentium ,
Perfecta Christi charitas ,
Mundi triumphat Principem.

In his Paterna gloria ,
In his voluntas Spiritus ,
Exultat in his Filius ,
Coelum repletur gaudio.

Te nunc Redemptor , quaesumus ,
Ut ipsorum consortio
Jungas precantes servulos ,
In sempiterna saecula. Amen.

Ad Matut. Antiph. Psal. et ℣. dicuntur de Comm. Apostolor.

IN I. NOCT.

De libro Ecclesiastici.

Lectio I. Cap. 41.

Laudemus viros gloriosos , et parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a saeculo. Dominantes in potestatibus suis , homines magni virtute , et prudentia sua praediti , nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, et imperantes in praesenti populo , et virtute prudentiae populis sanctissima verba. In peritia sua requirentes modos musicos, et narrantes carmina scripturarum.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum , dicit Dominus : * Estote ergo prudentes sicut serpentes , et simplices sicut columbae. ℣. Dum lucem habetis , credite in lucem , ut filii lucis sitis. Estote.

Lectio II.

Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes , pacificantes domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt , et in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum ; et sunt quorum non est memoria ; perierunt quasi qui non fuerint; et nati sunt quasi non nati ; et filii ipsorum cum ipsis.

℟. Tollite jugum meum super vos , dicit Dominus, et discite a me , quia mitis sum , et humilis corde : * Jugum enim meum suave est , et onus meum leve.

℣. Et invenietis requiem animabus vestris. Jugum.

Lectio III.

Sed illi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt : cum semine eorum permanent bona, haereditas sancta, nepotes eorum : et in testamentis stetit semen eorum , et filii eorum , propter illos usque in aeternum manent ; semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem, et generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi , et laudem eorum nuntiet Ecclesia.

℟. Dum steteritis ante reges et praesides, nolite cogitare quomodo , aut quid loquamini : * Dabitur enim vobis in illa hora , quid loquamini.

℣. Non enim vos estis, qui lo-

quimini, sed Spiritus Patris vestris, qui loquitur in vobis. Dabitur. Gloria Patri. Dabitur.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

In Festo S. Malachiae Ep.

Congratulemur, fratres, congratulemur, ut dignum est, Pontificibus nostris: quia et pium est defunctos plangere, et pium magis congaudere viventi. Numquid non vivunt? Et beate. Nimirum visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Denique jam concives Sanctorum, et domestici Dei psallunt pariter, et gratias agunt, dicentes: Transivimus per ignem, et aquam, et induxisti nos in refrigerium. Transiverunt plane viriliter, et feliciter pertransierunt. Transiverunt per ignem, et aquam, quos neque tristitia frangere, nec detinere mollia potuerunt.

℟. Vidi conjunctos viros habentes splendidas vestes, et Angelus Domini locutus est ad me dicens: * Isti sunt viri sancti facti amici Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volantem per medium coelum, voce magna clamantem, et dicentem. Isti.

Lectio V.

Laetemur, quod Pontifices nostri ascenderunt ad cives suos, pro filiis captivitatis legatione fungentes, corda nobis conciliantes Beatorum, vota illis intimantes miserorum. Laetemur, inquam, et exultemus, quia coelestis illa Curia ex nobis habet, quibus sit cura nostri, qui suis nos protegant meritis, quos informaverunt exemplis, miraculis confirmaverunt. Sancti Pontifices, qui in spiritu humilitatis hostias pacificas coelis frequenter invexerant, per semetipsos introiverunt ad altare Dei, ipsi Hostiae, et Sacerdotes.

℟. Beati estis cum maledixeriut vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum ad versum vos, mentientes, propter me: * Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.

℣. Cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint uomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis. Gaudete.

Lectio VI.

Benedictus Dominus Deus, qui tantorum Pontificum ministerio visitavit plebem suam; Et nunc assumptis iis in sanctam Civitatem, tantae recordatione suavitatis nostram non desinunt consolari captivitatem. Exultent in Domino eorum spiritus, quod levati pondere corporeae molis, nulla jam faeculenta, vel terrena materia praegravantur, quo minus tota alacritate, ac vivacitate corpoream omnem, et incorpoream transeuntes creaturam, pergant toti in Deum, et adhaerentes illi, unus sint cum eo spiritus in aeternum. Domum istam decet sanctitudo, in qua tantae frequentatur memoria sanctitatis.

℟. Isti sunt triumphatores et amici Dei, qui contemnentes jussa principum, meruerunt praemia aeterna: * Modo coronantur, et accipiunt palmam.

℣. Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni. Modo. Gloria Patri. Modo.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 16.

In illo tempore: Venit Jesus in partes Caesareae Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? Et reliqua.

Homilia S. Leonis Papae.

Serm. 2. in Anniv. Assumpt. suae, ante medium.

Cum, sicut Evangelica lectione reseratum est, interogasset Dominus discipulos, quem ipsum, (multis diversa opinantibus) crederent; respondissetque beatus Petrus, dicens: Tu es Christus Filius Dei vivi: Dominus ait: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Coelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves Regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Coelis. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit.

℟. Amavit eos Dominus, et ornavit eos, stolam gloriae induit eos: * Et ad portas Paradisi coronavit eos. ℣. Induit eos Dominus loricam fidei, et ornavit eos. Et.

Lectio VIII.

In universa namque Ecclesia, tu es Christus Filius Dei vivi, quotidie Petrus dicit, et omnis lingua, quae confitetur Dominum, magisterio hujus vocis imbuitur. Haec fides diabolum vincit, et captivorum ejus vincula dissolvit. Haec erutos mundo, inserit Coelo, et portae inferi adversus eam praevalere non possunt. Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam neque haeretica unquam corrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia. His itaque modis, dilectissimi, rationabili obsequio celebratur hodierna festivitas, ut in persona humilitatis meae, ille intelligatur, ille honoretur, in quo et omnium Pastorum solicitudo, cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, et cujus etiam dignitas in indigno haerede non deficit.

℟. Isti sunt, qui ante Deum magnas virtutes operati sunt, et omnis terra doctrina eorum repleta est: * Ipsi intercedant pro peccatis omnium populorum.

℣. Isti sunt, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad coelestia regna. Ipsi. Gloria Patri. Ipsi.

Lect. ix. De Homil. Dom. occur.

AD LAUDES.

Et per Horas Antip.

Sancti tui Domine florebunt sicut lilium, et sicut odor balsami erunt ante te.

Psalm. Dominus regnavit. *cum reliq. de Laud.*

Ant. In coelestibus regnis Sanctorum habitatio est, et in aeternum requies eorum.

Ant. Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, et nomina eorum vivent in aeternum.

Ant. Spiritus, et animae justorum hymnum dicite Deo nostro, alleluja.

Ant. Fulgebunt justi sicut sol in conspectu Dei.

Capitulum, *et Hymnus ut in 1. Vesp.*

℣. Justos deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et ostendit illis regnum Dei.

Ad Benedictus.

Antiph. Vos estis lux mundi : non potest civitas abscondi supra montem posita ; neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.

Oratio ut supra.

Et fit comm. Dom. occur.

Ad Tertiam.

Ant. In coelestibus regnis.

Capitulum. Fratres mementote.

℟. *br.* Laetamini in Domino : * Et exultate justi. Laetamini.

℣. Et gloriamini omnes recti corde. Et exultate. Gloria Patri. Laetamini. ℣. Exultent justi in conspectu Dei. ℟. Et delectentur in laetitia.

Ad Sextam.

Ant. Corpora Sanctorum.

Cap. *Act. c. 20.*

Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo.

℟. *brev.* Exultent justi : * In conspectu Dei. Exultent. ℣. Et delectentur in laetitia. In conspectu. Gloria Patri. Exultent. ℣. Justi autem in perpetuum vivent. ℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Ad Nonam.

Ant. Fulgebunt justi.

Cap. *Hebr. c. 13.*

Obedite Praepositis vestris, et subjacete eis : ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris redditur.

℟. *br.* Justi autem : * In perpetuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dominum est merces eorum. In perpetuum. Gloria Patri. Justi.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Laetabuntur in cubilibus suis.

In II. Vesp. omnia ut in I. Vesp., et loco ultimi Psal. Memento Domine David.

℣. Elegit eos Dominus Sacerdotes sibi.

℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Ad Magnificat.

Ant. Deum essent Summi Pontifices, terrena non metuerunt, sed ad coelestia regna gloriosi migrarunt.

Et fit comm. Dom. occur.

DOM. III. FEST. SS. REDEMPTORIS

Dupl. 2. cl. cum Oct.

AD VESPERAS.

Antiphona.

Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion, et regnabit in saeculum saeculi.

Psalm. 109. Dixit Dominus, *de Domin.*

Ant. Redemptionem misit Dominus populo suo : mandavit in aeternum testamentum suum.

Ps. 110. Confitebor tibi Domine, *de Dom.*

Ant. Misericordia mea, et refugium meum Dominus : susceptor meus, et liberator meus.

Psalmus 115.

Credidi, propter quod locutus sum : * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo : * omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, * pro omnibus, quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam : * et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus : * pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus, * ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea : * tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus : * in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.

Ant. Misericordia mea, et refugium meum Dominus: susceptor meus, et liberator meus.

Ant. Apud Dominum misericordia : et copiosa apud eum redemptio.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te Domine, * Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes, * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine, * Domine, quis sustinebit.

Quia apud te propitiatio est, * et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus, * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Ant. Apud Dominum misericordia : et copiosa apud eum redemptio.

Ant. In quacumque die invocavero te, exaudi me, * multiplicabis in anima mea virtutem.

Psalmus 137.

Confitebor tibi Domino in toto corde meo, * quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi, * adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua, et veritate tua, * quoniam magnificasti super omne, nomen factum tuum.

In quacumque die invocavero te, exaudi me, * multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi Domine omnes Reges terrae, * quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini, * quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, * et alta a longe cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me, * et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me, * Domine misericordia tua in saeculum : opera manuum tuarum ne dispicias.

Ant. In quacumque die invocavero te, exaudies me; multiplicabis in anima mea virtutem.

Cap. Tobiae 3.

Benedictum est Nomen tuum

Deus patrum nostrorum : qui cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.

Hymnus.

Creator alme siderum,
Aeterna lux credentium,
Jesu Redemptor omnium,
Intende votis supplicum.
Commune qui mundi nefas,
Ut expiares, ad Crucem
E Virginis sacrario
Intacta prodis victima.
Cujus potestas gloriae,
Nomenque cum primum sonat,
Et Coelites, et inferi
Tremente curvantur genu.
Qui Daemonis ne fraudibus
Periret Orbis, impetu
Amoris actus, languidi
Mundi medela factus es.
Te deprecamur ultimae
Magnum diei Judicem,
Armis supernae gratiae
Defende nos ab hostibus.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna saecula. Amen.

Sic terminantur Hymni ad omnes Horas.

℣. Redemisti nos Domine in sanguine tuo.

℟. Et fecisti nos Deo nostro regnum.

Ad Magnificat.

Ant. Salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum, alleluja.

Oratio.

Deus, qui Unigenitum tuum Mundi Redemptorem constituisti, et per eum devicta morte nos misericorditer ad vitam reparasti : concede, ut haec beneficia recolentes, Tibi perpetua charitate adhaerere, et ejusdem Redemptionis fructum percipere mereamur. Per eumdem Dominum nostrum.

Et fit comm. Dominicae occurren.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Redemptorem saeculorum, ipsum Regem Angelorum : * Adoremus Dominum.

Psalmus, Venite, exultemus.

Hymnus.

Rerum Creator optime,
Rectorque noster aspice :
Nos a quiete noxia
Mersos sopore libera.
Mentes, manusque tollimus,
Propheta sicut noctibus
Nobis gerendum praecipit,
Paulusque gestis censuit.
Te sancte Christe poscimus :
Ignosce culpis omnibus :
Ad confitendum surgimus,
Morasque noctis rumpimus.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna saecula. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.

Psalm. 3.

Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi : * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum,* et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me, * exurge Domine salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus, * et super populum tuum benedictio tua.

Ant. Voce me ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.

Ant. Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Ps. 8. incip. a sec. Versu.

Domine, Dominus noster,* quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua, * super coelos.

Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum, et ultorem.

Quoniam videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum, * lunam, et stellas, quae tu fundasti?

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum, * et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, * oves, et boves universas, insuper et pecora campi.

Volucres coeli, et pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine, Dominns noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Ant. Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Ant. Dominus in templo sancto suo: Dominus in coelo sedes ejus.

Ps. 10.

In Domino confido: quomodo dicitis animae meae, * Transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quae perfecisti, destruxerunt, * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo,* Dominus in coelo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt, * palpebrae ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum, et impium, * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos,* ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit: * aequitatem vidit vultus ejus.

Ant. Dominus in templo sancto suo: Dominus in coelo sedes ejus.

℣. Redime me Domine, et miserere mei.

℞. In Ecclesiis benedicam te Domine.

De Isaia Propheta.

Lectio I. Cap. 51.

Audite me, qui sequimini quod justum est, et quaeritis Dominum: attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua praecisi estis. Consolabitur ergo Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus: et ponet desertum ejus quasi delicias, et

solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis. Attendite ad me, popule meus, et tribus mea me audite: quia lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet. Prope est justus meus, egressus est salvator meus, et brachia mea populos judicabunt: me Insulae expectabunt, et brachium meum sustinebunt.

℟. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et elevatum: et plena erat omnis terra majestate ejus: * Et ea quae sub ipso erant, replebant Templum.

℣. Seraphim stabant super illud: sex alae uni, et sex alae alteri. Et ea etc.

Lectio II.

Levate in Coelum oculos vestros, et videte sub terra deorsum: quia coeli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut haec interibunt: salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet. Audite me qui scitis justum, populus meus, lex mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: et sicut lanam, sic devorabit eos tinea: salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum.

℟. Aspice Domine de sede sancta tua, et cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, et audi: * Aperi oculos tuos, et vide tribulationem nostram.

℣. Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph: Aperi etc.

Lectio III.

Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus saeculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis: qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati? Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur, et venient in Sion laudantes, et laetitia sempiterna super capita eorum, gaudium, et laetitiam tenebunt, fugiet dolor, et gemitus. Ego, ego ipse consolabor vos; quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi foenum ita arescet? Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit Coelos, et fundavit terram: et formidasti jugiter tota die a facie furoris ejus, qui te tribulabat, et paraverat ad perdendum: ubi nunc est furor tribulantis? Cito veniet gradiens ad aperiendum, et non interficiet usque ad internicionem; nec deficiet panis ejus. Ego autem sum Dominus Deus tuus.

℟. Deus qui sedes super thronum, et judicas aequitatem, esto refugium pauperum in tribulatione; * Quia tu solus laborem, et dolorem consideras.

℣. Tibi enim derelictus est pauper: pupillo tu eris adjutor. Quia etc. Gloria Patri etc. Quia etc.

In II. Noct.

Ant. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.

Psalm. 19.

Exaudiat te Dominus in die tri-

bulationis, * protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de sancto, * et de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui, * et holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum, * et omne consilium tuum confirmet.

Laetabimur in salutari tuo, * et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas, * nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de coelo sancto suo, * in potentatibus salus dexterae ejus.

Hi in curribus, et hi in equis, * nos autem in nomini Domini Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt, et ceciderunt, * nos autem surreximus, et erecti sumus.

Domine salvum fac regem, et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

Ant. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.

Ant. Tu es ipse Rex meus, qui mandas salutes in Jacob.

Psalm. 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus, * orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum, * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales, * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales, * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? Dominus virtutum ipse est Rex gloriae.

Ant. Tu es ipse Rex meus, qui mandas salutes in Jacob.

Ant. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

Psalm. 45.

Deus noster refugium, et virtus, * adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatae sunt aquæ eorum, * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus laetificat civitatem Dei, * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus non commovebitur, * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatae sunt Gentes, et inclinata sunt regna, * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum, * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram, * auferens bella usque ad finem terrae.

Arcum conteret, et confringet arma, * et scuta comburet igni.

Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus, * exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum, * susceptor noster Deus Jacob.

Ant. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

℣. Memento nostri Domine in beneplacito populi tui.

℟. Visita nos in salutari tuo.

Sermo Sancti Leonis Papae.

Serm. 1. de Jejunio decimi mensis, et Collectis.

Lectio IV.

Si fideliter, dilectissimi, atque sapienter creationis nostrae intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset Auctoris, et hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo, Divinae benignitatis forma resplendeat. Ad quam quotidie nos utique reparat gratia Salvatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo. Causa autem reparationis nostrae non est; nisi misericordia Dei: quem non diligeremus, nisi prius nos ipse diligeret, et tenebras ignorantiae nostrae, suae, veritatis luce discuteret.

℟. A dextris est mihi Dominus, ne commovear, * Propter hoc dilatatum est cor meum, et exultavit lingua mea.

℣. Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei. Propter etc.

Lectio V.

Diligendo itaque nos Deus, ad imaginem suam nos reparat: et ut in nobis formam suae bonitatis inveniat, dat unde ipsi quoque, quod operatur, operemur, accendens scilicet mentium nostrarum lucernas, et igne nos suae charitatis inflammans, ut non solum ipsum, sed etiam quidquid diligit, diligamus. Nam si inter homines ea demum firma amicitia est, quam morum similitudo sociarit, cum tamen parilitas voluntatum saepe in reprobos tendat affectus, quantum nobis optandum, atque nitendum est, ut in nullo ab iis, quae Deo sunt placita, discrepemus? De quo dicit Propheta: Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus: quia non aliter nobis erit dignitas Divinae Majestatis, nisi imitatio fuerit voluntatis.

℟. Intuere Domine, quia facta est desolata Civitas plena divitiis: sedet in tristitia Domina gentium: * Non est qui consoletur eam, nisi tu Deus noster.

℣. Plorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus. Non est.

Lectio VI.

Dicente itaque Domino: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua; et diliges proximum tuum sicut teipsum, suscipiat fidelis anima Aucthoris sui, atque Rectoris immarcescibilem charitatem, totamque se etiam ejus subjiciat voluntati, in cujus operibus, atque judiciis nihil vacat a veritate justitiae, nihil a miseratione clementiae. Quoniam etsi magnis quis laboribus, et multis fatigetur in-

commodis, bona est illi causa tolerandi, qui se adversis, vel corrigi intelligit, vel probari. Hanc igitur immensae largitatis clementiam ostendere dignatus est Deus erga Populum Venetiarum dira tunc temporis pestilentia vexatum; sed voto facto invisendi quotannis Templum in honorem Sanctissimi Redemptoris a fundamentis publicae Magnificentia pietatis extructum, non multo post extincto morbo summa totius Civitatis laetitia, pristinae incolumitati se vidit restitutum. Ut autem accepti beneficii recordatio, et cultus erga Salvatorem nostrum augeretur in dies, Officium proprium, et Missam sub titulo Sanctissimi Redemptoris, quae Innocentius decimus tertius Romanus Pontifex omnibus utriusque sexus Christi fidelibus Venetiis existentibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, singulis annis Dominica tertia Julii recurrente, recitanda concessit. Benedictus decimus tertius itidem Romanus Pontifex ad totum Statum, et Dominium Venetum extendit; Pius vero Papa Sextus in universa Capuana Provincia, aliisque Locis, Apostolica auctoritate ampliavit.

℟. Ornaverunt faciem templi coronis aureis, et dedicaverunt Altare Domino; * Et facta est laetitia magna in populo.

℣. In hymnis et confessionibus benedicebant Dominum etc. Et facta etc. Gloria Patri etc. Et facta etc.

In III. Noct.

Ant. Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.

Ps. 60.

Exaudi Deus deprecationem meam, * intende orationi meae.

A finibus terrae ad te clamavi, * dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea, * turris fortitudinis a facie inimici.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in saecula, * protegar in velamento alarum tuarum.

Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam, * dedisti haereditatem timentibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjicies, * annos ejus usque in diem generationis.

Permanet in aeternum in conspectu Dei, misericordiam, et veritatem ejus quis requiret?

Sic psalmum dicam nomini tuo in saeculum saeculi, * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.

Ant. Deus meus, Salvator meus salutare meum, et spes mea in aeternum.

Psalm. 74.

Confitebimur tibi Deus, confitebimur, et invocabimus nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua, * cum accepero tempus, ego justitias judicabo.

Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea, * ego confirmavi columnas ejus.

Dixi iniquis: Nolite inique agere, * et delinquentibus: Nolite exaltare cornu.

Nolite extollere in altum cornu vestrum, * nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus, * quoniam Deus judex est.

Hunc humiliat, et hunc exaltat, * quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.

Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen faex ejus non est exinanita, * bibent omnes peccatores terrae.

Ego autem annuntiabo in saeculum, * cantabo Deo Jacob.

Et omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi.

Ant. Deus meus, Salvator meus, salutare meum, et spes mea in aeternum.

Ant. Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! * concupiscit, et deficit anima mea in aria Domini.

Cor meum, et caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum, * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum, * Rex meus et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua, Domine, * in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te, * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute, in virtutem, * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam, * auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus, * et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus, * gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia, * Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Ant. Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.

℣. Notam fecisti in Gentibus virtutem tuam.

℟. Redemisti in brachio tuo populum tuum.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. *Cap. 3.*

In illo tempore: Dixit Jesus Nicodemo: Nemo ascendit in Coelum, nisi qui descendit de Coelo, Filius hominis, qui est in Coelo. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex Tract. 12. in cap. 3. Joann.

Nemo ascendit in Coelum, nisi qui de Coelo descendit. Descendit enim, et mortuus est, et ipsa morte liberavit nos a morte. Morte occisus, mortem occidit. Et nostis, Fratres, quia mors ista per diaboli invidiam intravit in mundum. Deus mortem non fecit, scriptura loquitur, nec laetatur, inquit, in perditione vivorum: creavit enim ut essent omnia. Sed quid ibi ait? Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum. Ad mortem a diabolo propinatam non veniret homo vi adactus: non enim cogendi potentiam diabolus habebat, sed persuaden-

di versutiam. Si non consecutires, nihil invexerat diabolus: consensio tua, o homo, te perduxit ad mortem. A mortali mortales nati, et ex immortalibus mortales facti. Ab Adam omnes homines mortales. Jesus autem Filius Dei, Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, unicus, æqualis Patri, mortalis factus est, quia verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Ergo mortem suscepit, et mortem suspendit in Cruce: et de ipsa morte liberantur mortales. Quod in figura factum est apud antiquos, commemorat illud Dominus.

℟. Laudabilis populus, * Quem Dominus exercituum benedixit dicens: Opus manuum mearum tu es: haereditas mea Israel.

℣. Beata gens, cujus est Dominus Deus; populus electus in haereditatem. Quem etc.

Lectio VIII.

Et sicut, inquit, Moyses exaltavit serpentem in Eremo, ita exaltari oportet Filium hominis. Quis est serpens exaltatus? Mors Domini in Cruce. Quia enim a serpente mors, per serpentis effigiem figurata est mors. Morsus serpentis lethalis, mors Domini vitalis. Attenditur serpens, ut nihil valeat serpens. Quid est hoc? Attenditur mors, ut nihil valeat mors, Sed cujus mors? Mors vitae. Nonne vita Christus? Et tamen mortuus est Christus. Interim modo, Fratres, ut a peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur; quia sicut Moyses, inquit, exaltavit serpentem in Eremo, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. * Quomodo qui intuebantur illum serpentem, non peribant morsibus serpentum: sic qui intuentur fide mortem Christi, sanantur a morsibus peccatorum. Sed illi sanabantur a mortem ad vitam temporalem: hic autem ait, ut habeant vitam aeternam. Hoc enim interest inter figuratam imaginem, et rem ipsam. Figura praestabat vitam temporalem: res ipsa, cujus illa figurata erat, praestat vitam aeternam.

℟. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus. Dominus Deus Sabaoth. * Plena est omnis terra gloria ejus.

℣. Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt. Sanctus etc. Gloria Patri etc. Plena est etc.

Lectio IX. legitur de Homilia Dominic. occur.

AD LAUDES.

Et per horas.

Cantate Domino, quoniam magnifice fecit: annuntiate hoc in universa terra.

Psalm. 92. Dominus regnavit, *cum reliq.*

Ant. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam: et factus est mihi in salutem, alleluja.

Ant. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: et dicemus: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.

Ant. Facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus.

Ant. Exulta, et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

Cap *Tobiae Cap. 3.*

Benedictum est nomen tuum Deus

Patrum nostrorum : qui cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.

Hymnus.

Salutis humanae Sator,
Jesu voluptas cordium,
Orbis redempti Conditor,
Et casta lux amantium.
Qua victus es clementia,
Ut nostra ferres crimina?
Mortem subires innocens,
A morte nos ut tolleres?
Te cogat indulgentia,
Ut damna nostra sarcias,
Tuique vultus compotes
Dites beato lumine.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna saecula. Amen.

℣. Domine refugium factus es nobis.

℟. A generatione, et progenie.

Ad Benedictus.

Ant. Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, et salvabit nos : sustinuimus eum, exultabimus, et laetabimur in salutari ejus, alleluja.

Oratio ut supra.

Deinde fit commemoratio Dom. occurr.

Ad Prim. ℟. *br.* Christe Fili. ℣. Qui redemisti mundum.

Ad Tertiam; Ant. Ecce Deus. Capitul. *ut ad Laud.*

℟. *br.* Redime me Domine, * Et miserere mei. Redime.

℣. In Ecclesiis benedicam te Domine. Et miserere. Gloria Patri. Redime:

℣. Memento nostri Domine in beneplacito populi tui.

℟. Visita nos in salutari tuo.

Ad Sextam.

Antiph. Haurietis aquas.

Cap. 1. Cor. 1.

Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et Redemptio.

℟. *br.* Memento nostri Domine. * In beneplacito populi tui. Memento. ℣. Visita nos in salutari tuo. In beneplacito. Gloria Patri etc. Memento. ℣. Redemisti nos Domine in sanguine tuo. ℟. Et fecisti nos Deo nostro regnum.

Ad Nonam.

Ant. Exulta, et lauda.

Cap. Apocal. 4. et 5.

Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem, et virtutem; quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum.

℟. *br.* Notam fecisti in populis * Virtutem tuam. Notam.

℣. Redemisti in brachio tuo populum tuum. Virtutem tuam. Gloria Patri. Notam. ℣. Domine refugium factus es nobis. ℟. A generatione, et progenie.

IN II. VESPERIS.

Ut in primis.

℣. Redemisti nos Domine in sanguine tuo. ℟. Et fecisti nos Deo nostro regnum.

Ad Magnificat.

Ant. Regnum tuum, Regnum omnium saeculorum, et Dominatio tua in omni generatione, et generationem, alleluja.

Dom. IV. Julii.

IN DIE OCTAVA SS. REDEMPTORIS.

Duplex.

Omnia ut in die Festo, praeter ea, quae hic ponuntur.

In I. Noct. Lect. de script. occ.

In II. Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Serm. 1. in Purific. Beatae Mariae Virg.

Lectio IV.

Suscepimus, inquit, Deus misericordiam tuam in medio Templi tui. Suscepit hanc misericordiam Domini David, suscepit Simeon, suscepimus et nos, et quicumque sunt praeordinati ad vitam: siquidem Christus heri, et hodie, et in aeternum. In medio enim templi misericordia est, non in angulo, aut diversorio, quia non est acceptio personarum apud Deum. In communi posita est, offertur omnibus, et nemo illius expers, nisi qui renuit. Derivantur aquae tuae foras, Domine Deus, nihilominus tamen fons tuus tibi proprius est, et non bibit alienus ex eo. Qui tuus est, non videbit mortem, donec viderit Christum Domini, ut securus dimittatur in pace. Quidni dimittatur in pace; qui Christum Domini habet in pectore? Ipse enim est pax nostra, qui per fidem habitat in cordibus nostris. Tu quomodo hic exibis, anima misera, quae Ducem itineris Jesum ignoras? Ignorantiam enim Dei quidam habent. Unde hoc? Nempe quia Lux venit in Mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.

℟. A dextris est, *ut supra in die festo.*

Lectio V.

Et lux, inquit, in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt, ac si dicat: et in plateis derivantur aquae, et alienus non bibit ex eis: et misericordia in medio templi est; nemo tamen accedit ex his, quos manet aeterna damnatio. Medius vestrum stat, o miseri, quem vos nescitis: ut morientes, antequam videritis Christum Domini, non in pace dimittamini: sed potius rapimini a rugientibus praeparatis ad escam. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. Longe est haec gratiarum actio a voce illa gementis: Domine, in coelo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes. Quid enim? Videtur ne tibi in medio fuisse misericordia, cum apud solos Coeligenas spiritus haberetur? At ubi sane minoratus est Christus paulominus ab Angelis, factusque est Dei, et hominum mediator, ac velut lapis angularis, pacificavit per sanguinem suum quae in Coelis sunt, et quae super terram. Ex hoc plane jam suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio Templi tui.

Lectio VI.

Eramus enim et nos natura filii irae, sed consequuti sumus misericordiam. Cujus irae Filii, et quam misericordiam consequuti? Nempe Filii ignorantiae, ignaviae, captivitatis: et consequuti sumus sapientiam, virtutem, redemptionem. Ignorantia Mulieris seductae excaecaverat nos: mollities viri abstracti et illecti a propria concupiscentia enervaverat nos: malitia Diaboli expositos juste a Deo captivaverat nos. Sic ergo nascimur universi, primum quidem viae civitatis habitaculi prorsus ignari; deinde imbecilles, et ignavi, ut etsi nobis nota esset via vitae, propria tamen praepediremur, et detineremur inertia: postremo captivi sub pessimo crudelissimoque Tyranno, ut

licet prudentes essemus, atque robusti, ipsa tamen miserae servitutis opprimeremur conditione. Numquid non misericordia, et miseratione multa opus habet tanta miseria? Aut certe si jam salvi facti simus ab hac triplici ira per Christum, qui factus est nobis sapientia a Deo Patre, et justitia, et sanctificatio, et Redemptio: quanta nobis vigilantia opus est, dilectissimi, ne forte (quod absit) inveniantur nostra novissima pejora prioribus, si denuo contingat iram incendere, utpote qui non natura jam, sed propria voluntate, filii irae sumus?

In III. Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. *Cap. 3.*

In illo tempore: Dixit Jesus Nicodemo: Nemo ascendit in Coelum, nisi qui descendit de Coelo, Filius hominis, qui est in Coelo. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Alexandrini.

Ex comment. in Joannem lib. 2. cap. 50.

Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Cum causam attulerit, quare ad sublimiora sermo sibi non exit, ad ea descendit, quae obumbrata a Moyse facta fuerunt. Non enim ignorabat potius eum figuris, quam spirituali doctrina, ad veritatis vos posse cognitionem devenire. Oportere autem omnino seipsum asserit, modo Mosaici serpentis, exaltari: ita historiae inquisitionem, latentesque in ea figurae rimari hortatur, ac illud quasi rursus inculcat; scrutamini scripturas, quia ipsae sunt, quae testimonium perhibent de me. Serpentes enim in Judaeos olim in Deserto insiliebant. Cumque more spicarum tempore messis caderent, divinam opem supplices requirebant: misericors autem Dominus serpentem ex aere Moysi exaltari jussit, ut ea in re discerent fide salutem sperare.

Lectio VIII.

Morsu enim serpentis laborantibus unicum erat remedium, exaltatum eum fide serpentem aspicere: Haec quidem historia est, in qua, velut in tabula totum figuratae Incarnationis mysterium obumbratur. Serpens enim peccatum, quo humanum genus pascebatur, significat, quodque variis morsibus venenum hominibus infundit, quod effugere nullo alio pactu natura humana poterat, nisi auxilio atque ope divina.

Lect. IX. legitur de Homilia Dominicae occurrentis; et de ea fit comm. in Laudibus, ac secundis Vesperis.

Die III. julii.

S. Pauli I. Pp. C.

Duplex.

In Hymn. mutat. ℣.

Orat. Da quaesumus.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Paulus, hujus nominis Primus, natione Romanus, Patre Constantino, post obitum Stephani Tertii germani fratris, anno Christi septingentesimo quinquagesimo septimo in ejus locum, novo exemplo, subrogatus est. Sed hoc eximiae illius virtuti debebatur. Cum enim a Cregorio Secundo in Pa-

triarchio Lateranensi, una cum fratre, a primis annis, ad Christianos mores, et omnem eruditionem Ecclesiasticam egregie formatus fuisset, digniorem Clerus non habuit, quem perturbatissimis illis temporibus, pio fratri successorem eligeret.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Constantium Copronymum litteris per Legatum ad eum missis, semel, atque iterum sollicitavit, ut saniorem doctrinam amplecteretur; sed haereticus, et induratus Princeps, soliciti Pastoris vocem audire noluit, et in Catholicos, ac praecipue in Monachos, saevire non cessavit; quorum plurimi, ut a tyranno se subducerent, in Italiam se receperunt, quos benigne Paulus excepit, eisque Templa, et Monasteria, congruis instructa reditibus assignavit, in quibus Graeca lingua, et patrio ritu Sacra peragerent.

℟. Posui adiutorium.

Lectio VI.

Extant multae illius Epistolae ad Pipinum Francorum Regem scriptae, in quibus gratias agit optimo, et de Romana Ecclesia benemerito Principi, pro suscepta Ecclesiae contra Longobardorum irruptiones, defensione; cumque raris elogiis cumulatum impense hortatur, ne umquam a coepto desistat. Cum autem Coemeteria extra muros a Longobardis diruta fuissent, multas inde Sanctorum exuvias, ne barbaris in praedam cederent, in Urbem intulit: quarum non modicam partem in Ecclesiam Monasterii a se constructi in paternis aedibus, et pingui censu ditati, collocavit. Ceterum si quid ipsi temporis residui Ecclesiastici regiminis cura relinqueret, id totum alendis Christi pauperibus, aegris, viduis, ac detentis in carcere consolandis, liberandisque oppressis aere alieno impendit. Et tandem maturus coelo pie obiit, undecimo Pontificatus anno jam inito, et in Vaticano sepultus est.

℟ Iste est qui ante.

In III. Noct. Homil. super Evang. Homo peregre.

Die VII. Julii.

S. Benedicti XI. Pp. C.

Duplex *Oratio.*

Deus, qui beatum Benedictum Pontificem benedictionis tuae gratia ad coelum sublevasti: populum tuum, quaesumus, nova benedictione sanctifica; et a cunctis malis imminentibus ejus meritis, et precibus tua virtute defende. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Benedictus Undecimus ex honesta Boccassinorum familia Tarvisii natus, anno aetatis decimoquarto Predicatorum Institutum amplexus est; in quo humanis, divinisque studiis quatuordecim annis impense vacavit, totidemque, summa cum eruditionis laude, privatim, ac publice docuit, sanctitatis, et prudentiae fama conspicuus, per varios gradus, et dignitates Ordinis ad supremum ejus Magisterium evectus est, quo in munero ceteris exemplo praelucens, disciplinam mirifice fovit, ac brevi tempore Ordinem ipsum amplicavit. Illius opera Bonifacius Octavus in pacificandis Galliarum,

et Britanniae Regibus feliciter usus, lustrandis commissis sibi Provinciis in Gallia peregrinantem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Presbyterum creavit, atque ad Urbem accitum in Pannoniam Legatum designavit, ubi tres Principes de Regni illius successione contendentes mira dexteritate composuit .

℟. Inveni David.

Lectio V.

Pacata Hungaria Romam reversus, Bonifacio Anagniae circumvento inter hostium minas, et invasiones fortiter adstitit, haesitque indivulse, reliquis ferme omnibus ab eo fugientibus. Mox eodem Pontifice humanis rebus exempto, in Petri Sedem mira Patrum consensione suffectus est. In eo dignitatis fastigio, ab omni fastu prorsus alienus, demissionem adeo coluit, ut adductam ad se Matrem adhuc superstitem paulo splendidius, ut decere videbatur, ornatam, a se dimiserit tamquam non suam: mox vero nativo, atque humiliore cultu vestitam peramanter amplexatus, honorifice habuit. Violatae in Praedecessore suo Pontificiae dignitatis auctores anathemate mulctavit: ab illo autem severius habitos, pristinis honoribus restitutos in veniam, et gratiam recepit. Pacandis Italiæ Provinciis, Guelphorum, et Gibellinorum, Alborum, et Nigrorum factionibus miserrime divexatis, Nicolaum Cardinalem Pratensem Ordinis Praedicatorum a latere Legatum creavit, eumdemque in Angliam, Scotiam, et Hiberniam ad conciliandos Reges, et Principes ire jussit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Pacis studiosissimus eam naviter promovit, tum in Germania, cui intestinis dissidiis laboranti praesto fuit, tum in Sicilia, quam sublato interdicto communioni restituit. Sed et Galliarum Regni cum Apostolica Sede concordiam paulo antea gravissime laesam feliciter instauravit. In Orientem etiam, aliasque Schismaticorum Provincias Apostolicae mentis curas porrexit, et Martino Archiepiscopo Antibarensi Disciplinae Ecclesiasticae restaurationem impense commendavit. Serviae Regem Orosium ad ejurandum schisma litteris amantissimis excitavit. Syriae demum, ac Palaestinae recuperandae intentum, aliaque ad Religionis incrementum cogitantem, atque molientem communis necessitas praevenit. Mortuus est Perusiae anno millesimo trecentesimo quarto, nono Pontificatus mense nondum expleto, humilique, ut ipse jusserat, loco apud Fratres suos Praedicatores conditus est, miraculis statim post obitum clarus. Cultum ab immemorabili tempore ei delatum Clemens Duodecimus approbavit, utque ejus Festum cum Officio, et Missa sub ritu duplici in universo Praedicatorum Ordine, atque a Clero Tarvisino, et Perusino celebraretur, indulsit. ℟. Iste est qui ante.

In III. Noct. Hom. super Evang. Homo peregre.

Die IX. Julii.

S. Veronicae de Julianis.

Abbatissae Cappuccinarum Tiferni.

Duplex. 2. Class.

Omn. de Comm. Virg. praeter seq.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui B. Ve-

ronicam Virginem Passionis tuae signis mirabilem effecisti, concede propitius: ut, carnem crucifigentes, ad gaudia aeterna pervenire mereamur. Qui vivis etc.

In 1. noct. Lect de Conf. 1. loc.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Veronica de Julianis, antea Ursula dicta, Mercatelli, quod oppidum est Urbaniensis Dioecesis, piis, honestisque parentibus nata, ab ipsius incunabulis mira futurae Sanctitatis indicia praebuit. Nam infantula, cum alias copiosum lac sugeret, tribus hebdomadae diebus paucas guttulas mane, et vespere gustabat. Vix sex menses nata, die Sanctissimae Trinitatis dicato, e sinu matris firmis pedibus prosiliit. Adhuc tenella hominem quemdam gravibus verbis ab injustitia deterruit. Familiari Jesu pueri, beatissimaeque Virginis consuetudine fruebatur, et aliquando Divinus Puer ad eam cum lacrymis orantem, ut consolaretur, descendit; quandoque etiam ab ipsa Deipara illum accepit, praenunciato ejusdem cum Jesu spirituali sponsalatio, adjuncta arrha, bello scilicet, quod ipsi sustinendum fuit ab hominibus, atque infernis hostibus. Ad hoc Veronica, cum nondum pueritiam excessisset, sese accinxit humilitate summa, parique obedientia, et vehementi Christum Dominum pro nobis passum, et crucifixum imitandi desiderio. Ut autem id uberius consequeretur ad Sanctimoniales Cappuccinas Tifernales, quae primaevam Sanctae Clarae regulam profitentur, superatis domesticis, externisque obstaculis, confugit.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

Ab ipso tyrocinio perfectum aliquid, et consummatum jam attigisse videbatur. Sustinuit invicto pectore a Daemone excitatas adversitates. Uberrimis interea gratiae suae donis Victricem Sponsam locupletabat Jesus. Sacris Stigmatibus eam fuisse signatam, itemque corona spinarum alte confixarum, et Passionis insignibus in Corde decoratam, ac jugibus pene extasibus recreatam, multiplici testimonio traditum est. Haec omnia amplam molestiarum segetem Veronicae pepererunt; non enim defuere, qui id omne malis artibus tribuerunt, eamque dicerent poena omni, infamique supplicio dignissimam. Ferebat haec alacriter fortissima Virgo: optabat etiam, ut crudeliora quotidie in se congererentur pro Sponso suo Cruci affixo sustinenda. Traditur in tenebricosum carcerem, subjicitur infimae ex Sororibus, cui edicitur, ut eam acerbe tractet: neque vitam amat, nisi summis exagitatam tribulationibus, etsi quandoque desertam se ab Sponso, ac veluti derelictam conquereretur, quod erat ei tormentum omnium amarissimum.

℟. Dilexisti.

Lectio VI.

Quam Deo voverat Moderatoribus conscientiae suae obedientiam mirabili prorsus perfectione coluit. Diuturnissima jejunia ex obedientia transegit; neque vero extremum emisit spiritum, diu cum morte luctans, nisi cum esset jussa mori: quippe sciebat obedientia nullum Sponso suo esse gratius sacrificium. Triginta

tribus annis, quibus Praesidis obire partes coacta est, traditas ejus curae sorores ad omnem sanctitatem suo praecipue exemplo provexit. Ut patiendi votis fieret satis, apoplexiae, qua correpta fuit, accessere morbi prope omnes, qui acerbissimi judicantur. Sustinuit omnia constanti animo triginta tres dies, donec in Sponsi Jesu amplexus evolavit die nona Julii anno salutis millesimo septingentesimo vigesimo septimo, religiosae vitae quinquagesimo. Heroicarum denique virtutum cumulo, ac Miraculis illustrem Pius VII. Pontifex Maximus Beatam nuncupavit, Gregorius vero Papa XVI. solemni ritu Dominica Sanctissimae Trinitatis Anno millesimo octingentesimo trigesimo nono Sanctarum Virginum Collegio adscripsit.

℟. Afferentur.

In 3. Noct. Lect. de comm. Virg. 1. loco

Die XI. Julii.

S. Pii I. Pp. M.

Duplex.

Orat. Infirmitatem.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Pius, hujus nominis Primus, Rufini filius, Hermetis frater, patria Aquilejensis, ex Presbytero Sanctae Romanae Ecclesiae Summus Pontifex creatus est; seditque Antonino Pio, et Marco Aurelio Imperatoribus Augustis. Quinque Ordinationibus, mense Decembri, Episcopos duodecim, octodecim Presbyteros creavit.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

Extant nonnulla ab eo praeclare instituta, praesertim, ut Resurrectio Domini nonnisi die Dominico celebraretur; quod postea ab ejus Successoribus Romanis Pontificibus confirmatum est; quibus id maxime curae fuit, ut totius Ecclesiae Episcopi in Paschali celebritate uniformes essent.

℟. Desiderium animae.

Lectio VI.

Praxedis domum in Ecclesiam mutavit, eamque Titulo Pastoris dicavit, in qua saepius rem sacram fecit, et multos ad fidem conversos, et sacro fonte purgatos in fidelium numerum adscripsit. Dum vero Pius Pastoris munus obiret, fuso pro suis ovibus, et Summo Pastore Christo Sanguine, Martyrio coronatus est, quinto Idus Julii, ac sepultus in Vaticano.

℟. Stola jucunditatis.

In III. Noct. Homil. super Evang. Si quis venit.

Die XIII. Julii.

S. Anacleti Pp. M.

Duplex.

Orat. Deus qui nos.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Anacletus natione Graecus, Atheniensis, patre Antiocho, multis rebus praeclare gestis celeberrimus, post interregnum Pontificium quatuor mensium, et decem dierum, Christianae Religionis Summum Pontificatum adeptus, Clementi per Martyrium sublato, tertio Nonas Aprilis subrogatur; seditque in Cathedra Petri, Presbyteris quinque, tribus Diaconis, et sex Episcopis duplici Ordinatione creatis, sub Trajano Imperatore.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

Hic Principi Apostolorum memoriam, seu Ecclesiam, gratus, et memor tanti beneficii ab eo accepti per Sacri Ordinis collationem, dum adhuc Presbyter esset, in Vaticano extruxit, atque ornavit, Apostolorum Trophaeum ab antiquis Patribus merito appellatam, quam nullo unquam, furentis licet persecutionis turbine dejici potuisse, sed, quod omnem admirationem superat, majore in dies gloria auctam fuisse, compertum est: futurum sane sequuturis temporibus, majoris, et amplioris molis nobile rudimentum.

℟. Desiderium animae.

Lectio IV.

Res ab eo gestae, quas mirificas fuisse multis argumentis conjicere licet, communi scriptorum antiquorum naufragio obscurae, atque obrutae manserunt. Multa ad religionem, et disciplinam spectantia prudenter statuit, ac prae ceteris, ut Episcopus a paucioribus, quam tribus Episcopis minime consecraretur; ut Clerici Sacris Ordinibus publice a proprio Episcopo initiarentur; et ut in Missa, peracta consecratione, omnes communicarent. Obiit tandem Martyrio coronatus, tertio Idus Julii, et juxta Corpus Beati Petri sepultus est. ℟. Stola jucunditatis.

In III. Noct. Hom. super Evang. Si quis venit.

Die XVII. Julii.

S. Leonis IV. Pp. C.

Duplex.

Orat. Da quaesumus.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Leo, hujus nominis Quartus, Romanus, Rodulphi filius, Monachus Sancti Benedicti primum, Cardinalis deinde, ac demum post obitum Sergii Secundi eadem die, invitus licet, in Lateranense Patriarchium deductus, ad Sanctam Sedem omnium votis promotus est. Vir fuit religione, innocentia, pietate, humanitate, liberalitate, prudentia, et doctrina, praesertim Ecclesiastica, insignis. Sedit annos octo, sex menses, et totidem dies, Lothario, et Ludovico juniore Imperatoribus Augustis.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Paucis ante illius assumptionem mensibus, cum Basilicae Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli a Saracenis direptae fuissent, ad alteram Urbis direptionem jam accinctos suis precibus fregit, et eorum classem dissipavit. Muris Vaticanum cinxit, et in Civitatem Leoninam commutavit, quam Beato Petro custodiendam tradidit. Tiberniam oram turribus munivit, direptas Basilicas restauravit, et ornatum domus Dei, praesertim in Lateranensi Patriarchio, sublatum restituit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio IV.

Miraculis sanctissimam vitam illustravit; nam et basiliscum, cujus anhelitu jam multi extincti fuerant, suis precibus praesens occidit; et maximum incendium, quod Basilicae Vaticanae imminebat, signo Crucis extinxit. Qua Sanctitate permotus Rex Angliae Astulphus Regnum suum Romanae Ecclesiae tributarium fecit, et censum annuum constituit. Vir sane de Urbe, totaque Republica Christiana optime meritus, obiit de-

cimo sexto Kalendas Augusti, anno Domini octingentesimo quinquagesimo quinto, et sepultus est in Vaticano.

℟. Iste est, qui ante.

In III. Noct. Homil. super Evang. Homo peregre.

Die XVIII. Julii.

In festo S. Vitaliani.

Ep. Capuae, et C. *dup. 2. cl. de com. C.P. Ad hym.* mer. sup.

Orat. Da quaesumus.

Lect. 1. noct. de eod. com. 1. loco.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Vitalianus Capuae natus, morum innocentia, vitaeque sanctimonia ab infantia conspicuus, Episcopalem ipsius Civitatis thronum omnium consensu promeruit. Quam dignitatem adeptus, vitam absque querela in omni castitate, et humilitate usque ad senectam perduxit. Viduis enim, ac pupillis alendis, consolandis afflictis, ægrisque curandis; animis denique, corporibusque omni ope juvandis adeo feliciter et exacte incumbuit, ut severum patriae patronum comprobaret. ℟. Inveni David. etc.

Lectio V.

Sed cum ejus Sanctitati hostis humani generis infensus esset, viros improbos concitavit, qui seni innocenti impudicitiae crimen imponere, instructis calumniis, conati sunt. Vestes muliebres clam in ejus cubiculum, propriis subductis, injecerunt; cumque de more ad Matutinum Officium consurgeret, vestes, quas reperit, assumpsit, atque his indutus ad Ecclesiam pergens, ludibrio habitus est. Nam perditissimi impostores protinus clamarunt, eum, qui aliis castitatem praedicaret, cum mulieribus versari, adeo ut nec vereretur illarum vestimenta gestare. Ab impiis itaque captus, cum diceret, se ab aliis potius, quam a filiis suis haec pati debuisse, culeo insutus, in mare projectus est. Divina tamen providentia cum servante, incolumis ad portum Romanum pervenit. ℟. Posui adjutorium etc.

Lectio VI.

Tantum scelus, poena statim divinitus inflicta, vindicatum est; nam tanta siccitas, terraeque sterilitas in finibus Capuae esse coepit, ut nulla ibi seges, vel herba gigneretur. Cives autem id sibi merito evenire intelligentes ob crimen patratum in Episcopum, facti poenitentes conquisitum, et inventum orant, ut reversus in patriam, his, qui in eum peccaverant, veniam daret; qua impetrata, Sanctoque Antistite in pristina Sede restituto, copiosi illico imbres exundarunt. Verum ille finem vitae appropinquare præsentiens, in montem, qui Virgilii dicebatur, secessit; ibique extructa Beatae Virgini Ecclesia, paulo post obdormivit in Domino decimoseptimo Kalendas Augusti, ac ibidem depositus, multis miraculis coruscavit. ℟. Iste est etc.

In tertio Noct. Homil. in Evang. Homo peregre, *ed eod. Comm. 1. loco.*

Lect. IX. dicit. de SS. Symphorosa, et Filiis Mart. cum eorumd. comm. in laud. ut in Brev. Rom.

Die XIX. Julii.

In Festo S. Vincentii a Paulo.

Conf. Dupl.

Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter ea, quae hic habentur propria.

Oratio.

Deus, qui ad evangelizandum pauperibus, et Ecclesiastici Ordinis decorem promovendum, Beatum Vincentium Apostolica virtute roborasti: praesta quaesumus, ut cujus pia meriia veneramur., virtutum quoque instruamur exemplis. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de Script. occ.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Vincentius a Paulo natione Gallus, Podii non procul ab Aquis Tarbellis in Aquitania natus, jam tum a pucro eximiam in pauperes charitatem praesetulit. A custodia paterni gregis ad litteras evocatus, humanas Aquis, Divinas tum Tolosae, cum Caesaraugustae didicit. Sacerdotio initiatus, ac Theologiae laurea insignitus in Turcas incidit, qui captivum in Africam adduxerunt; sed in captivitate positus herum ipsum Christo rursus lucrifecit. Cum eo igitur ex barbaris oris, opitulante Deipara, se se proripiens ad Apostolica limina iter instituit. Unde in Galliam reversus, Clippiaci primum, mox Castellionis Paraecias sanctissime rexit. Renunciatus a Rege primarius Sacrorum Minister in Galliae triremibus, mirum quo zelo et Ducum et remigum saluti operam posuerit. Monialibus Visitationis a S. Francisco Salesio praepositus, tanta prudentia per annos circiter quadraginta eam curam sustinuit, ut maxime comprobaverit judicium Sanctissimi Praesulis, qui Sacerdotem Vincentio digniorem nullum se nosse fatebatur.

Lectio V.

Evangelizandis pauperibus, praesertim ruriculis, ad decrepitam usque aetatem indefessus incubuit: eique Apostolico operi tum se, tum Alumnos Congregationis, quam sub nomine Presbyterorum Saecularium Missionis instituit, perpetuo voto a Sancta Sede confirmato, speciatim obstrinxit. Quantum autem augendae Cleri disciplinae claboraverit, testantur erecta majorum Clericorum Seminaria: Collationum de divinis inter Sacerdotes frequentia, et sacrae Ordinationi praemittenda exercitia; ad quae sicut et ad pios laicorum secessus, Instituti sui domicilia libenter patere voluit. Insuper ad amplificandam fidem et pietatem evangelicos misit operarios, non in solas Galliae Provincias, sed et in Italiam, Poloniam, Scotiam, Hyberniam, atque ad Barbaros et Indos. Ipse vero vita functo Ludovico Decimotertio, cui morienti hortator adstitit, a Regina Anna Austriaca Matre Ludovici Decimiquarti in sanctius consilium accitus studiosissime egit, ut nonnisi digniores Ecclesiis ac Monasteriis praeficerentur, civiles discordiae, singularia certamina, serpentes errores, quos simul sensit, et exhorruit, amputarentur; debitaque judiciis Apostolicis obedientia praestaretur ab omnibus.

Lectio VI.

Nullum fuit calamitatis genus, cui paterne non occurrerit. Fideles sub Turcarum jugo gementes, infantes expositos, juvenes discolos, virgines periclitantes, moniales dispersas, mulieres lapsas, ad triremes damnatos, peregrinos infirmos, artifices invalidos, ipsosque mente captos, ac innumeros mendicos subsidiis et hospitiis, etiamnum superstitibus excepit,

ac pie fovit. Lotharingiam, Campaniam, Picardiam, aliasque Regiones, peste, fame, belloque vastatas, prolixe refecit. Plurima ad perquirendos et sublevandos miseros Sodalitia fundavit; inter quae celebris Matronarum coetus, et late diffusa sub nomine charitatis Puellarum Societas. Puellas quoque tum de Cruce, tum de Providentia, ac Sanctae Genovesae ad sequioris sexus educationem erigendas curavit. Haec inter, et alia gravissima negotia Deo jugiter intentus, cunctis affabilis, ac sibi semper constans, simplex, rectus, humilis, ab honoribus, divitiis, ac deliciis semper abhorruit, auditus dicere: rem nullam sibi placere, praeterquam in Christo Jesu, quem in omnibus, studebat imitari. Corporis demum afflictationibus, laboribus, senioque attritus, die vigesimaseptima Septembris, anno salutis supra millesimum sexcentesimo sexagesimo, aetatis suae octogesimo quinto, Parisiis in Domo Sancti Lazari, quae caput est Congregationis Missionis, placide obdormivit: quem virtutibus, meritis, ac miraculis clarum Clemens Duodecimus inter Sanctos retulit, ipsius celebritati die decimanona mensis Julii quotannis assignata.

In III. Noct. Homil. S. Gregorii Papae in Evang. Designavit Dominus, *ut in comm. Evangel.*

Die XX. julii.

S. Eliae Prophetae.

Protect. Civit. Cap., dup.

Si dict. Fest. trasferat., et dici contingerit prim. Vesp. integr., tunc

AD I. VESPERAS.

Antiphona.

Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum; quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel.

Psal. Dixit Dominus, *cum reliq. de Dominica, et loco ultimi Psal.* Lauda Jerusalem Dominum.

Antiph. Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum.

Antiph. Si Homo Dei sum, descendat ignis de Coelo, et devoret te, et quinquaginta tuos.

Antiph. Non Ego turbavi Israel, sed tu, et domus Patris tui, qui dereliquistis mandata Domini.

Antiph. Occidisti insuper, et possedisti: Ecce Ego inducam super te malum, et demetam posteriora tua.

Capitulum. *Eccl. 48.*

Surrexit Elias Propheta; quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat. Qui induxit in populos famem, et irritantes illum invidia sua pauci facti sunt.

Hymnus.

Nunc juvat celsi properare ad alta
Mente Carmeli juga, et ore pleno
Vatis Eliae meritos referre
Laudis honores.

Dum fames terras premeret, ministro
Utitur Corvo: Viduae farinam
Sufficit solers, oleoque manat
Hydria pingui.

Hic, Deo fusis precibus, reductum
Finibus mortis puerum, Parenti
Reddit, orando valet expetitam
Reddere lucem.

Claudit et nubes, aperitque verbo,
Imperat post tres properanter annos
Decidant Coelo, sitiensque Tellus
Hauriat imbres.

Sit Patri summo, genitaeque Proli,

Et tibi compar utriusque Sancte
Spiritus laus, imperium, potestas
Tempus in omne. Amen.

℣. Verbo Domini continuit Coelum. ℟. Et dejecit de Coelo ignem ter.

Ad Magnificat.

Antiph. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis, et convertet cor Patrum ad Filios, et cor Filiorum ad Patres eorum.

Oratio.

Praesta, quaesumus Omnipotens Deus: ut qui beatum Eliam Prophetam tuum igneo curru mirabiliter elevatum esse credimus; eodem interveniente, ad Coelestia sublevemur, et Sanctorum tuorum consortio gaudeamus. Per Dominum.

AD MATUTINUM.

Invitator. Regem Prophetarum Dominum: * Venite adoremus. *Psal.* Venite.

Hymn. supra ad Vesp.

In I. Nocturno.

Antiph. Factum est autem, ut aegrotaret filius mulieris matrisfamilias, et erat languor fortissimus. *Psal. L. II et III Noct. de Comm. C. non P.*

Antiph. Dixit Mulier ad Eliam: Quid mihi, et tibi vir Dei? Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meae, et interficeres filium meum?

Antiph. Ait Elias ad Viduam: da mihi filium tuum: Et clamavit ad Dominum, et revixit puer.

℣. Verbo Domini continuit Coelum.

℟. Et dejecit de Coelo ignem ter.

De libro tertio Regum.

Lectio I. *Cap. 17.*

Dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba. Et factum est verbum Domini ad eum dicens: Recede hinc, et vade contra Orientem, et abscondere in torrente Carith, qui est contra Jordanem, et ibi de torrente bibes: Corvisque praecepi, ut pascant te ibi. Abiit ergo, et fecit juxta verbum Domini: Cumque abiisset, sedit in torrente Carith, qui est contra Jordanem. Corvi quoque deferebant ei panem, et carnes mane, et similiter panem, et carnes Vesperi, et bibebat de torrente. Post dies autem siccatus est torrens: non enim pluerat super terram. Factus est ergo sermo Domini ad eum, dicens: Surge, et vade in Sarepta Sidoniorum, et manebis ibi: praecepi enim ibi mulieri viduae ut pascat te.

℟. Recede hinc, et vade contra Orientem, dixit Dominus ad Eliam: * Qui abiit, et fecit juxta verbum Domini.

℣. Abscondere in torrente Carith, et ibi de torrente bibes; corvisque praecepi, ut pascant te ibi. Qui abiit.

Lectio II.

Surrexit, et abiit in Saropta. Cumque venisset ad portam Civitatis apparuit ei mulier Vidua colligens ligna, et vocavit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquae in vase, ut bibam: Cumque illa pergeret ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, obsecro, et bucellam panis

in manu tua. Quae respondit: Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinae in hydria, et paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna ut ingrediar, et faciam illum mihi, et filio meo, ut comedamus, et moriamur. Ad quam Elias ait: Noli timere, sed vade, et fac sicut dixisti: Verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, et affer ad me: tibi autem, et filio tuo facies postea. Haec autem dicit Dominus Deus Israel: Hydria farinae non deficiet, nec lecythus olei minuetur, usque ad diem, in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terrae. Quae abiit, et fecit juxta verbum Eliae: et comedit ipse, et illa, et domus ejus: et ex illa die hydria farinae non defecit, et lecythus olei non est imminutus, juxta verbum Domini, quod loquutus fuerat in manu Eliae.

℟. Abiit mulier, et fecit juxta verbum Prophetae: * Et comedit ipse, et illa, et domus ejus.

℣. Ex illa die hydria farinae non defecit, et lecythus olei non est imminutus, juxta verbum Eliae. Et comedit.

Lectio III.

Factum est autem post haec, aegrotavit filius mulieris matrisfamilias, et erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi, et tibi vir Dei? Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meae, et interficeres filium meum? Et ait ad eam Elias: Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu ejus, et portavit in coenaculum, ubi ipse manebat, et posuit super lectulum suum. Et clamavit ad Dominum, et dixit: Domine, Deus meus, etiamne Viduam, apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti, ut interficeres filium ejus? Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum, et ait: Domine, Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus. Et exaudivit Dominus vocem Eliae: et reversa est anima pueri intra eum, et revixit.

℟. Reversa est anima pueri intra eum, et revixit, et tradidit matri suae, et ait illi, * En vivit filius tuus.

℣. Tulit Elias puerum, et deposuit eum in inferiorem domum, dicens. En vivit. Gloria Patri. En vivit.

In II. Nocturno.

Ant. Factum est verbum Domini ad Eliam, dicens: Vade, et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terrae.

Antiph. Ait Elias ad Achab: Ascende, comede, et bibe: quia sonus multae pluviae est.

Ant. Manus Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jezrael.

℣. Tu ungis Reges ad poenitentiam.

℟. Et Prophetas facis successores post te.

Ex libro S. Epiphanii Episcopi.

De Vitis Prophetarum.

Lectio IV.

Elias Propheta ex Thesbis exitstebat, e continente Arabum de Tribu Aaron Levitae. Morabatur autem in Galaad: quoniam Thesbis erant Ædes Sacerdotibus consecra-

tae, ac destinatae. Quem cum eniteretur Parens ejus, ejusmodi Sabac Patri visio apparuit. Viri niveum quemdam praeseferentes habitum, pusionem salutabant, matrisque uberibus in ignem evellebant, quin et flammam ignis, cibi loco, ministrabant. Profectus est itaque in Jerusalem Genitor; visaque ad Sacerdotes retulit. Respondit autem illi Chrematismus, hoc est Oraculum, sive Responsor: Cave manifestum facias, erit quippe lumen filii hujus domicilium, sermoque ejus demonstratio, ac sententia, et judicabit Israel cum igne, tum romphaea: Hic est ille Elias, qui ter ignem de Coelo deduxit, quique imbrem sua lingua gestavit, mortuos item suscitavit, et in Coelum denique nimbo, seu turbine ignis, assumptus est.

℟. Ait Abdias ad Eliam: cum recessero a te, Spiritus Domini asportabit te in locum, quem ego ignoro, et tu dicis: * Dic Domino tuo: Adest Elias.

℣. Dixit Elias: Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum sto, quia hodie apparebo ei. Dic Domino.

Ex libro S. Isidori Episcopi.

Lectio V.

De Vita, et Morte Sanct.

Elias, qui interpretatur Dominus Deus, Thesbites, Sacerdos magnus, atque Propheta, habitator solitudinis, fide plenus, devotione summus, in laboribus fortis, in industria solers, excellenti ingenio praeditus, in exercitatione disciplinae rectus, in Sancta meditatione assiduus, metuque mortis intrepidus. Verberavit Tyrannos, sacrilegos interfecit, multisque signis virtutum effulsit. Triennio siccitate clausit imbribus Coelum. Oravit rursum, et Coelum dedit pluvias. Mortuum mulieris filium suscitavit. Cujus virtute hydria farinae non defecit, et vas olei perpetuo fonte manavit. Cujus verbo super sacrificium ignis de Coelo venit. Duos quinquagenarios cum militibus coelesti igne combussit. Jordanem transiens, tactu melotis abrupit aquas.

℟. Cum venisset Elias ad portam Civitatis, apparuit ei mulier Vidua, colligens ligna, et vocavit eam, dixitque ei: * Da mihi paululum aquae in vase, ut bibam.

℣. Cumque illa pergeret, ut afferret aquam, clamavit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, obsecro, et bucellam panis in manu tua. Da mihi.

Lectio VI.

Post haec igneo curru in Coelum raptus ascendit, venturus, juxta Malachiam Prophetam, in fine Mundi, praecessurus Christum, annunciaturus ultimum ejus adventum cum magnis virtutibus, prodigiisque signorum, ita ut bellum gerat Antichristus adversus eum, et Henoch, qui cum eo venturus est, et occidet eos. Cadavera vero eorum tribus diebus, et sex horis in plateis insepulta jacebunt. Dehinc suscitati a Domino regnum Antichristi plaga magna percutient. Post haec veniet Dominus, et interficiet Antichristum gladio oris sui, et eos, qui adoraverunt eum, et regnabit Dominus cum omnibus Sanctis suis in aeternum.

℟. Expandit se, atque mensus est Elias super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum:* Et exaudivit Dominus vocem Eliae.

℣. Domine, Deus meus, rever-

tatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus. Et exaudivit. Gloria Patri etc. Et exaudivit.

In III. Noct.

Ant. Dixit Elias Prophetis Baal: eligite vobis bovem unum, et invocate nomina Deorum vestrorum: qui clamabant, et non erat, qui responderet eis.

Ant. Cum jam tempus esset, ut offerretur holocaustum, accedens Elias, oravit ad Dominum.

Ant. Orante Elia cecidit ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam, quae erat in aquaeductu lambens.

℣. Beati sunt, qui te viderunt.

℟. Et in amicitia tua decorati sunt.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. *Cap. 17.*

In illo tempore: Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum: et transfiguratus est ante eos. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 57. in Matth. paulo post princip.

Cujus autem rei gratia Moysen, et Eliam produxit? Multas quidem dicere quis causas posset. Primum quoniam turbae, alii Eliam, alii Jeremiam, alii priscorum Prophetarum unum opinabantur, idcirco Moysen, et Eliam caeterorum Prophetarum vertices producit, ut quam magnum sit inter servos et Dominum discrimen, oculis cernerent, utque recte laudatum crederent Petrum, qui Filium Dei eum confessus est. Deinde quoniam assidue quasi transgressorem legis Judaei accusabant, et blasphemare putabant, quasi gloriam Patris nihil ad eum pertinentem vindicaret. Dicebant enim: Hic non est a Deo, quia Sabbatum non servat: Et rursus: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: et quia tu homo cum sis, Deum te facis, ut ipsa re monstraretur, quod ex invidia haec criminabantur, quodque neutri horum criminum subjiceretur, nec legis praevaricator esset, nec alienam gloriam sibi acquireret, aequalem se Patri faciendo, eos produxit in medium, quorum alteruter in alterutra istarum rerum perfulsit. Moysi enim legem dedit, quare non fuisset passus Moyses conculcari legem, ut Judaei credebant, nec praevaricatorem ejus, et legum latori hostem lator ipse umquam coluisset. Elias autem pro gloria Dei zelo utique commotus fuisset, quare non adstitisset ei, qui aequalem se Patri dicebat, si non esset, nec paruisset illi, qui sibi, quod non habebat, vindicaret.

℟. Ait Elias Nuntiis Regis Samariae: Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad Beelzebub? Quamobrem haec dicit Dominus: * De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.

℣. Reversi Nuntii ad Ochoziam dixerunt: vir occurrit nobis, dicens: Ite, et revertimini ad Regem, et dicetis ei. De lectulo.

Lectio VIII.

Ad haec omnia illud etiam possum dicere, ut tam mortis, quam vitae habere potestatem liquido, ac vere crederetur; utque superorum, et infernorum Dominus o-

stenderetur; idcirco Moysen jam mortuum, et Eliam, qui nondum id passus est, in medium produxit. Quartam vero causam (quarta enim est prioribus connumerata) Evangelista quoque ipse tetigit. Quaenam igitur illa est? Ut Crucis gloriam ostendat, et tam Petrum, quam reliquos, qui passionem formidabant, consolaretur, et ad sublimius erigeret: Non enim tacebant, inquit, sed loquebantur de gloria, quam completurus erat in Jerusalem, de Cruce videlicet, ac Passione: sic enim ipsam semper appellabant.

℟. Factum est dum tolleret Dominus Eliam per turbinem in Coelum: * Eliseus clamabat, dicens: Pater mi, Pater mi, currus Israel, et auriga ejus.

℣. Cumque pergerent, et incedentes sermocinarentur? Ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque, et ascendit Elias per turbinem in Coelum. Eliseus. Gloria Patri. Eliseus.

Lectio IX.

Accedit ad haec omnia virtus quoque Virorum illorum singularis, atque praecipua, quam maxime a Discipulis flagitabat. Nam quoniam dixit: Si quis vult post me venire, tollat Crucem suam, et sequatur me: hac de causa eos, qui centies pro Dei praeceptorum custodia, et populi, qui sibi creditus fuerat, mortem suscepissent, in medium producit: quorum uterque cum animam perdiderit, invenit eam. Uterque sane magna libertate adversus Tyrannos loquuti sunt; alter adversus Ægyptium, alter adversus Achab; et quod magnum est, pro ingratis hominibus, et inobedientibus, a quibus in atrocia pericula compulsi sunt: qui etsi privati, et absque potestate fuerant, propositum tamen habuerunt ab Idolorum cultu populum eripere: quorum alter tardus lingua, et voce tenuis, alter etiam aliquo modo rusticior, et uterque saecularium divitiarum apprime contemptor. Nam neque Moyses quidquam possidebat, nec Elias, praeter melotem, aliquid habebat, praesertim cum veteris essent Testamenti, neque tanta gratia signorum pollerent.

AD LAUDES.

Et per Horas.

Elias, dum zelat zelum legis, receptus est in Coelum. *Psal.* Dominus regnavit, *cum reliq. de Dom.*

Ant. Factum est autem, cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in Coelum, ibant Elias, et Eliseus de Galgalis.

Ant. Tulit Elias pallium suum, et percussit aquas, et divisae sunt, et transierunt ambo per siccum.

Ant. Cum Elias, et Eliseus pergerent, et incedentes sermocinarentur, ecce Currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque.

Ant. Ascendit Elias per turbinem in Coelum. Eliseus autem videbat, et clamabat: Pater mi; Pater mi, currus Israel, et auriga ejus.

Capitulum. *Eccl. 48.*

Surrexit Elias Propheta, quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat. Qui induxit in Populos famem, et irritantes illum invidia sua pauci facti sunt.

Hymnus.

Te magne rerum conditor,
Mens nostra gliscit laudibus
In hoc Thesbite maximo,

Quem diligis extollere.
Hic namque sacri nominis
Tui zelator provocat
Vates Baal nequissimos,
Victosque jure interficit.
Illo precante, victimas
Absumit ignis coelitus:
Hi perstrepentes acriter,
Sunt omnibus ludibrio.
Tum Jezabelis impiae
Vitans furorem noxium,
Sub Junipero dormiens
Adesse cernit Angelum.
Panem sibi, qui proferens,
Lymphamque, jussit pergere
Cibo refectum strenue
Ad montis Horeb verticem.
Hoc in cibo jejunium
Tulit quadragenarium,
Hac vi dapes sunt praeditae,
Quas dextera Dei porrigit.
Omnis tibi sit gloria
Verbum, Pater, Paraclite,
Inseparata Trinitas,
Quae condidisti omnia. Amen.

℣. Elias in turbine tectus est.
℟. Et in Eliseo completus est Spiritus ejus.

Ad Benedictus, *Antiph.*

Elias homo erat similis nobis, passibilis: et oratione oravit, ut non plueret super terram; et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum oravit; et coelum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum.

Oratio ut supr.

Et fit comm. S. Margaritae Virg. et M.

Ad Tertiam, *Antiph.* Factum est etc.

Capitul. Surrexit, *ut in laudibus.*

℟. *br.* Verbo Domini * Continuit Coelum. Verbo. ℣. Et dejecit de coelo ignem ter. Continuit. Gloria Patri. Verbo.

℣. Tu ungis Reges ad poenitentiam.

℟. Et Prophetas facis successores post te.

Ad Sextam, *Antiph.* Tulit Elias etc.

Capitulum. Eccl. 48.

Verbo Domini continuit Coelum, et dejecit de Coelo ignem ter. Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis.

℟. *br.* Tu ungis Reges * Ad poenitentiam. Tu ungis. ℣. Et Prophetas facis successores post te. Ad poenitentiam. Gl. Patri. Tu.

℣. Beati sunt, qui te viderunt.
℟. Et in amicitia tua decorati sunt.

Ad Nonam, *Antiph.* Ascendit Elias.

Capitulum. Eccl. 48.

Tu sustulisti mortuum ab inferis, de sorte mortis in verbo Domini Dei. Qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini.

℟. *brev.* Beati sunt, * Qui te viderunt. Beati. ℣. Et in amicitia tua decorati sunt. Qui te. Gloria Patri. Beati.

℣. Elias in turbine tectus est.
℟. Et in Eliseo completus est Spiritus ejus.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in 1. Vesp.

Ad Magnif. Ant. Tulit Elias pallium suum, et percussit aquas Jordanis, quae divisae sunt in utramque partem, et transierunt ipse, et Eliseus per siccum: et ascendit Elias per turbinem in Coelum.

℣. Beati sunt, qui te viderunt.
℟. Et in amicitia tua decorati sunt.

Die. XXI. Julii.

In Festo S. Macrinae Virginis.

Duplex Minus.

Offic. de comm. Virg. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Deus veritatis amator, qui Beatae Macrinae Virginis ad tui nominis gloriam vota suscipere dignatus es: fac nos radios vere lucis agnoscere, et ad perpetuos charitatis tuae amplexus feliciter pervenire. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de scr. occ.

In II. Nocturno.

Ex Epistola S. Gregorii Nysseni ad Olympium Monachum.

Lectio IV.

Macrina Sanctorum Basilii, et Eumeliae filia, Magnique Basilii, et Gregorii Nysseni soror, ab ineunte aetate religiosis vitae moribus a Beatis Parentibus diligenter instructa, pietatem egregie coluit. Hujus mater gravida somno correpta manu gestare sibi visa est id, quod adhuc intra viscera continebat, et quemdam humana specie, et forma augustiorem intueri, qui Theclae celeberrimae Martyris nomine filiolam appellavit. Id autem cum ter repetens testatum reliquisset, discessit. Ea vero statim somno soluta est, et partu facile levata, ut et somno simul excitata sit, et quod in quiete viderat, effectum inspexit. Is autem, qui per quietem apparuerat, eam vocem pronunciavit, non tam ut quo nomine appellanda esset, indicaret, quam ut similitudine nominis idem ostenderet vivendi studium, et institutum. Duodecimum annum cum attigisset, a Basilio patre nobili cuidam, et honestissimo adolescenti despondetur, quo e vita, (nuptiis nondum celebratis,) abeunte, numquam induci potuit, ut quae virginitatem servare in animum induxerat, alium duceret. A matris latere, quam summa observantia reverebatur, ne momento quidem temporis discedebat, eique ancillae instar ministrabat in omnibus.

Lectio V.

Patre mortuo, laborum Eumeliae matris, quibus illa premebatur, se sociam praebens, solicitudinumque partem subiens, eam gravi molestiarum onere levabat: cui post etiam suasit, ut relicta pristinae vitae consuetudine, elatiorique vivendi modo, quas subditas, et ancillas ad usus proprios adhibuerat, secum ejusdem conditionis, atque ordinis esse vellet, atque una cum illis vitam cum virginibus traduceret. Basilium fratrem ante id tempus, a publicis litterarum gymnasiis, in quibus diu versatus fuerat, domum redeuntem ad perfectionis studium adeo incendit, ut mundi posthabita claritate, despectaque eloquentiae gloria, laboriosum, operosumque vivendi genus per paupertatem perfectam amplexatus, expeditam sibi ad virtutem viam extruxerit. Ipsa vero Beata Macrina vitam victu asperam, sed assiduis contemplationibus suavem ducens, humi cubabat, modico cibo contenta erat, delicias suas in temperantia collocaverat, gloriam suam in eo putarat sitam, quod nota esset nemini, divitias, quod nihil possideret.

Lectio VI.

Novem circiter mensibus a Basilii fratris obitu, quem illa forti animo tulerat, in morbum incidit: quo tempore a Gregorio Nysseno fratre invisitur qui tamdiu apud eam fuit, quamdiu animam Deo reddidit. Sub mortem vero,

Sponsi charitate vulnerata, ita Deum precari coepit: Tu, Domine, mortis metum nobis abstersisti: Tu effecisti, ut hujusce vitae finis vere nobis esset principium vitae: Tu nostra corpora ad tempus somno tradis, rursumque e somno suscitans extrema tuba: Tu mihi adhibe Angelum lucis, qui me ducat ad locum refrigerii, ubi quietis est aqua, in sinu Sanctorum Patrum. Haec dicens, oculos, os, et cor Cruce signans, vitae finem laeta expectabat. Nocte demum adveniente, cum tota in agendis Deo gratiis esset, ad praemium abiit in Coelum. Cujus corpus in eo sepulchro, in quo beatorum Parentum reliquiae quiescebant, conditum est.

Homil. in Evang. Simile est Regnum Coelorum decem virginibus.

DIE XXVII. JULII.

In Festo S. Pantaleonis Martyris.

Semiduplex.

Off. de comm. unius Martyr. praeter ea, quae sequuntur.

Ad Magnificat.

Ant. Gloriosus Pantaleon coelestem Medicum toto dilexit corde, et moriens pro Christo, vivit in Coelo coronatus.

Oratio.

Deus, qui Beatum Pantaleonem Martyrem tuum varia tormenta superare fecisti, et pro persecutoribus exorare: concede propitius, ut qui ejus imploramus auxilium, misericordiae tuae sentiamus effectum. Per.

In I. Noct. Lect. de script. occur.

In II. Noct. Lectio IV.

Pantaleon Nicomediensis, filius Eustorgii Gentilis, et Eubulae Christianae, medicam artem ab Euphrosino didicit. Cum autem Hermolaus Presbyter ex modestia vultus, ex incessu, et serenitate oculorum alte de illo judicasset, illum accersivit, et coepit in cor fluenta divinae Fidei infundere. Crede mihi, dixit: Aesculapii, et Ippocratis medicamenta parva sunt, et parum prodesse possunt; quinimo ipsi Dii, quos colit Maximianus, sunt vana omnino fabula. Unus autem solus verus Deus est Christus, in quem, si credideris, ejus sola invocatione omnes morbos fugabis. Quae verba servabat in corde, jugiter meditabatur, et suaviter allectus, ad Hermolaum, ut ad Magistrum, hilaris quotidie ventitabat. Cum autem quadam die videret puerum mortuum, et prope eum viperam quasi ostendentem, quod ei mortem iutulisset, intra se dixit: Si vera sunt dicta Hermolai, invocato nomine Christi, puer iste vivet, et bellua morietur: quod, ut cogitavit, accidit: et statim infusa luce securitatis omnis caligo discessit; et benedicens Deum, aestuansque desiderio sacri Baptismi, ab Hermolao gaudens suscepit.

Lectio V.

Non multo post coeco visum restituit, et patri Eustorgio tenebras impietatis solvit, qui idola calcans verum Deum confessus, baptizatur. Mortuo Patre, egenis opem, et languentibus sanitatem largiebatur: quare ad Maximianum defertur; qui primum honore, et blanditiis attrahere studet: deinde minatur mortem, et dira supplicia, si Diis non offerat sacrificium: sed cum omnia invicto animo respueret, in ligno suspendi-

tur, ferreis laniatur ungulis, et lampades ignis lateribus ejus admoventur. At illo orante, apparuit Christus dulcibus verbis illum recreans, et illico laxatae sunt manus lictorum, extinctae lampades; et plumbum liquatum, in quod postmodum, Tyranno jubente, injectus fuit, in naturalem mutatur frigiditatem: Sed quid non tentat ingeniosa crudelitas? Mandat ingentem lapidem collo alligari, sicque in mare demitti: sed lapis, non secus ac folium leve, supernatat, et Pantaleon firmiter super undas graditur. Non cessit tantis prodigiis Tyranni obcaecata mens, sed feris insanior, jubet ad feras produci. Crudele spectaculum! Sed spectabile Coelo, confluxit tota Civitas; congrediuntur cum Athleta ferae: at illae, tamquam ratione utentes, et indutae humanitatem, quam exuerat Imperator, reverenter ad Martyrem accedunt, blandiuntur, pedesque illius lingua lambentes, veluti contendebant, quaenam prima ad eum accederet; et non prius recederet, quam Martyr ei manum imposuisset, ac benedixisset.

Lectio VI.

Quo viso clamabant multi: Dimittatur justus; magnus est Deus Christianorum, qui quidem solus, et verus est. Sed Maximianus nec edoctus a feris pietatem, nec tanto lumini cedens, imperat Pantaleonem in locum editum ferri, et rotae alligatum in praeceps per declive demitti: at rota ultrice, et plures Deorum opprimente cultores, illaesus evasit; quare gladio occidi jussit. Accessit lictor, oleae plantae illum alligat; sed cum exequeretur ictum, conversa fuit ferri acies cerae similis: quo miraculo stupefacti lictores, ad pedes Martyris provoluti veniam praecantur, Christum aperte confitentes. Sed tandem, ne periret gloria Martyrii, caput abscinditur, et statim lac pro sanguine fluxit, et planta oleae, cui alligatus fuerat, fructibus onusta apparuit. Cum autem quidam fideles convenissent, Sacrum Corpus in Suburbano cujusdam Scholastici reverenter reponunt; et quem in vita tantis prodigiis Dominus illustraverat, post obitum innumeris decoravit; inter quae praeclarum illud, quod Sacer ejus Cruor, qui in ampulla servatur Ravelli in Regno Neapolitano, et Romae, a primis Vesperis Festi usque ad diem sequentem, in quo Ecclesia celebrat ejus martyrium, cum coagulatus antea existat, mirum in modum liquefieri, et undequaque fluidum moveri, cunctis cernentibus, quotannis conspicitur; quod etiam accidit in portione Sanguinis, qui in Monasterio Regali Incarnationis Monialium Sancti Augustini Matriti inter pretiosiora pignora asservatur.

In III. Noct. Homil. in Evang. Nihil est opertum, *ut in Festo S. Polycarpi in Breviar. die 26. Januar.*

AD LAUDES.

Et per horas.

Antiph. In tormentis apparuit Christus Pantaleonem mira dulcedine perfundens.

Psal. Dominus regnavit, *cum reliq. de laud. Dom.*

Antiph. Ego enim, ait Christus in habitu Hermolai, tecum sum in omnibus, quae propter me pateris.

Antiph. Cum pro lictoribus exoraret, audivit de Coelo: Ultra non vocaberis Pantaleon, sed Pantaleemon, idest misericors; quia multi per te misericordiam consequentur.

Antiph. Lacte, et cruore Martyris collum fluit; pro quo cruorem, et aquam Christus fuderat.

Antiph. Pantaleon varie cruciatus, jugiter canebat: Saepe expugnaverunt me a juventute mea: etenim non potuerunt mihi.

Cap. etc. de commu. un. M.

Ad Benedictus.

Antiph. Dixit Maximianus Pantaleoni: Quaenam est ars praestigiarum, quae tibi extinxit lampades, et satellitibus vires abstulit? ad quae respondit: Meae praestigiae Christus est.

In II. Vesp. Ad Magnif.

Antiph. Recordatus fuit misericordiae Domini, et in conspectu adstantium factus est illi adjutor.

Die XXVIII. julii.

SS. Victoris I. Pp. M.

Innocentii I. Pp. C.

Nazarii, et Celsi Mm.

Duplex *Orat.*

Sanctorum tuorum nos, Domine, Victoris, Innocentii, Nazarii, ac Celsi confessio beata communiat: et fragilitati nostrae subsidium dignanter exoret. Per.

In I. Noct. Lect. de scr.

In II. Noct. ut in Breviario hoc ordine :

Lectio IV.

Victor in Africa natus, etc.

Lectio V.

Innocentius Albanensis, etc.

Lectio VI.

Nazarius a B. Lino, Ep. etc.

In III. Noct. Homil. super Evang. Cum audieritis.

Die XXIX. julii.

S. Felicis II. Pp. M.

Duplex.

Orat. Infirmitatem.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Felix Secundus, Romanus, Patre Anastasio, ex Romanae Ecclesiae Archidiacono, in Pontificem electus est, vivente Liberio. Cum autem de Felicis Pontificatu, tempore Gregorii decimitertii, non levis controversia incidisset, virique gravissimi diversum sentirent; accidit eo ipso tempore, ut in Diaconia Sanctorum Martyrum Cosmae, et Damiani, in Foro Romano, quidam thesaurum quaerentes, in arcam marmoream inciderint, in qua Corpus Sancti Felicis repertum est, una cum lapideo laterculo, ibidem intus posito, hisque litteris exarato: Corpus Sancti Felicis Papae, et Martyris, qui damnavit Constantium. Contigit id pridie ejus diei, quo Felicis in Ecclesia natalis dies agi consueverat, quarto Kalendas Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo secundo. Unde Felice quasi pro se testimonium reddente, Festum ejus in eadem Diaconia, cum majori solemnitate singulis annis celebrari consuevit.

℟. Honestum fecit illum.

Lectio V. et VI. Sermo S. Augustini Ep. *ut in fest. S. Urbani die 28. Maji. fol. 127. hujus.*

In III. Noct. Homil. super Evang. Si quis venit.

In Laud. fit, comm. Ss. Simplicii et Soc. Mart., omisso tamen in oratione nomine Felicis.

Die XXX. ex XX. hujus.
In festo S. Hieronymi Æmiliani C.
Duplex Minus.
Offic. de com. Conf. non Pont. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Deus, misericordiarum Pater, per merita, et intercessionem Beati Hieronymi, quem orphanis adjutorem, et patrem esse voluisti: concede, ut spiritum adoptionis, quo filii tui nominamur, et sumus, fideliter custodiamus. Per Dominum.

In Hymn. mutat. tert. vers.
In I. Noct. Lect. de scr.
In II. Noct.

Lectio IV.

Hieronymus e gente Patricia Æmiliana Venetiis ortus, a prima adolescentia militiae addictus, difficillimis Reipublicae tempori us Castro Novo ad Quarum in montibus Tarvisinis praeficitur. Arce ab hostibus capta, ipse in teterrimum carcerem detruditur manibus, ac pedibus vinctus; cui omni humana ope destituto Beatissima Virgo, ejus precibus exorata, clemens adest, vincula solvit, et per medios hostes, qui vias omnes obsederant, in Tarvisii conspectum incolumem ducit. Urbem ingressus, ad Deiparae aram, cui se voverat, manicas, compedes, catenas, quas secum detulerat, in accepti beneficii testimonium suspendit. Reversus Venetias coepit pietatis studia impensius colere, in pauperes mire effusus; sed puerorum praesertim misertus, qui parentibus orbati, egeni, et sordidi per urbem vagabantur; quos in aedes a se conductas recepit de suo alendos, et christianis moribus imbuendos.

Lectio V.

Per eos dies Venetias appulerant Beatus Cajetanus, et Petrus Carafa, postmodum Paulus Quartus; qui Hieronymi spiritu, novoque instituto colligendi orphanos probato, illum in Incurabilium Hospitale adduxerunt, in quo orphanos simul educaret, atque aegrotis pari charitate inserviret. Mox eorumdem hortatu in proximum Continentem profectus, Brixiae primum, deinde Bergomi, atque Novocomi Orphanotrophia erexit, Bergomi præsertim, ubi praeter duo, pro pueris unum, et pro puellis alterum, domum excipiendis, novo in illis regionibus exemplo, mulieribus a turpi vita ad poenitentiam conversis, aperuit. Somaschae demum subsistens, in humili pago agri Bergomensis ad Venetae ditionis fines, sibi, ac suis ibi sedem constituit, formamque induxit Congregationis, cui propterea a Somasca nomen factum: quam subinde auctam, et propagatam, nedum orphanorum regimini, et Ecclesiarum cultui, sed ad majorem Christianae Reipublicae utilitatem, adolescentium in litteris, et bonis moribus institutioni, in collegiis, academiis, seminariis addictam, Sanctus Pius Quintus inter Religiosos Ordines adseripsit, ceterique Pontifices privilegiis ornarunt.

Lectio VI.

Orphanis colligendis intentus Mediolanum proficiscitur, atque Ticinum, et utrobique collectis agminibus puerorum, tectum, victum, vestem, magistros, nobilibus viris faventibus, provide constituit. Inde Somascham redux,

omnibus omnia factus a nullo abhorrebat opere, quod in proximi bonum cedere praevideret. Agricolis immixtus per agros sparsis, dum se illis adjutorem in metendis frugibus praebet, mysteria fidei explicabat. Puerorum capita porrigine foeda abstergens, et patienter tractans curabat; putridis rusticorum vulneribus medebatur eo successu, ut gratia curationum donatus censeretur. In monte, qui Somaschae imminet, reperta specu in illam se abdidit, ubi se flagellis caedens, dies integros jejunus transigens, oratione in plurimam noctem protracta, super nudo saxo brevem somnum carpens, sui, aliorumque noxarum poenas luebat. In hujus specus interiori recessu ex arido silice extillat aqua precibus Servi Dei, ut constans traditio est, impetrata, quae usque in hodiernam diem jugiter manans, et in varias regiones delata aegris sanitatem plerumque conciliat. Tandem ex contagione, quae per omnem vallem serpebat, dum aegrotantibus inservit, et vita functos propriis humeris ad sepulturam defert, contracto morbo, annos natus, sex, et quinquaginta, quam paulo ante praedixerat, pretiosam mortem obiit, anno millesimo quingentesimo trigesimoseptimo, quem pluribus in vita, et post mortem miraculis illustrem, Benedictus Decimus Quartus Beatorum, Clemens vero Decimus Tertius Sanctorum fastis solemniter adscripsit.

In III. Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. *Cap. 19.*

In illo tempore: Oblati sunt Jesu parvuli, ut manus, eis imponeret, et oraret. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chrysostomi.

Homilia 62. in Matth.

Cur Discipuli pueros abigebant? dignitatis causa. Quid ergo ille? ut doceat illos modeste sapere, fastumque mundanum conculcare, et suscipit, et ulnis complectitur, talibusque Regnum Coelorum pollicetur, id quod etiam dixit superius. Et nos igitur, si volumus haeredes esse Coelorum, hanc virtutem cum diligentia magna sectemur. Hoc est enim Philosophiae culmen simplicem esse cum prudentia. Haec vita est Angelica. Anima enim puerili omnibus animi morbis vacua est: non memoriam retinet injuriarum, sed eas inferentes adit ut amicos, ac si nihil factum esset. Et quamvis a Matre verberibus caedatur, eam semper quaerit, et omnibus anteponit.

Lectio VIII.

Si Reginam ipsi ostendas diademate ornatam, non praefert eam matri pannis detritis vestitae; malletque illam incultam videre, quam Reginam mirifice amictam. Nam, quod suum, quod alienum est, non ex paupertate, vel divitiis, sed ex amore existimare solet; et nihil plus requirit, quam necessaria; atque ut lacte repletus est, statim a mamma abscedit. Non eisdem, quibus nos, aerumnis praemitur, nec pecuniarum jactura, rebusque similibus, nec iisdem, quibus nos, fluxis rebus laetatur, neque corporum pulchritudinem miratur. Ideo dicebat: Talium est enim Regnum coelorum; ut ex proposito voluntatis illa opere-

mur, quae natura sua pueri faciunt.

Lectio IX.

Quia enim Pharisaei non aliunde, quam a nequitia, et arrogantia ad agendum ferebantur, ideo ubique Discipulos suos simplices esse jubet, aliosque subindicat, dum hos instituit. Nihil enim ita superbiam parit, ut principatus, et primi consessus. Quoniam igitur Discipuli per totum terrarum orbem multum honoris consecuturi erant, ipsorum animos praevènit, nec sinit eos humanum quid pati, nec honorem a vulgo expetere, vel ante alios sese efferre. Nam etiamsi haec parva videntur esse; at malis ingentibus causam praebent. Sic enim instituti Pharisaei in malorum culmen ascenderunt, salutationes, primos consessus, et medios, requirentes: hinc in ardentem gloriae cupiditatem, inde vero in impietatem lapsi sunt.

FESTA AUGUSTI.

Die II. augusti.
S. Stephani I. Pp. M.
Duplex.
Orat. Deus, qui nos.
In I. Noct. Lect. de scr.
IN II. NOCT.

Lectio IV. ut in Breviar. Stephanus *usque adverba* Christi Martyres fuerunt.

Lect. V. A verb. Sed vehementius *usque ad* templumque contremuit.

Lect. VI. a Quare omnibus aufugientibus *usque ad finem.*

In III. Noct. Homil. super Evang. Si quis vult post me venire.

Die IX. augusti. ex XIX. hujus.
S. Symmachi I. Pp. C.
Duplex.
Orat. Da quaesumus.
In I. Noct. Lect. de scr.
IN II. NOCT.

Lectio IV.

Symmachus, genere Sardus, patre Fortunato, ex Diacono a majore, et potiore Cleri parte, in Constantiniana Basilica, quarto ab obitu Anastasii die, in ejus locum suffectus est. Quia tamen distractis electorum suffragiis, Festi Senatus Principis Exconsulis instinctu, a nonnullis Laurentius Archipresbyter promotus fuerat, gravissimum inde schisma ortum habuit, ex quo maxima Christianae reipublicae clades imminebat, nisi eximia Symmachi prudentia, cum singulari Christianae modestiae exemplo conjuncta, et quatuor Synodorum, Romae collectarum decretis firmata, quibus, et Theodorici Regis, pro executione auctoritas, et elegans Ennodii, pro defensione stylus accessit, penitus extinctum fuisset.

℟. Iuveni David.

Lectio V.

In commemoratis Synodis, aliisque reliquo tempore habitis, multa ejus nutu, et imperio statuta fuerunt, tum circa Romani Pontificis, et Episcoporum electionem, ad turpem ambitum amovendum, abrogata Regis Odoacris iniqua lege; tum circa disciplinam Ecclesiasticam, ac praesertim bonorum Ecclesiae alienationem. Imo sub ejus Pontificatu, et auspiciis, Aurelianensis, Agathensis, et aliae Synodi habitae sunt, in quibus multi et egregii Canones conditi fuerunt, ad dignitatem Ecclesiae,

et Fidelium mores plurimum conducentes. Varias demum sedulus Pastor epistolas scripsit, in quibus ardentissimus propagandae, ac servandae fidei zelus, cum indefesso pastoralis curae studio, mirabiliter enitescit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Maximam pecuniae summam pro redimendis Liguriae captivis, ultro contribuit; et quotannis Praesulibus Africanis a Vandalis in odium fidei in Sardiniam relegatis, alimenta, et vestes suppeditavit; eosque sacris, quas petierant, Reliquiis, nec non epistola, Ennodii stylo nitente, recreavit. Admiratione porro dignum est, quod sub barbaro, et Ariano Rege, sub quo Urbs ipsa captiva quodammodo tenebatur, tantam auri, et argenti vim, tum ad novas Basilicas a fundamentis extruendas, tum ad alias reparandas, et regali cultu ornandas contulerit. Anno demum Christi decimoquarto supra quingentesimum, quartodecimo Kalendas Augusti, cum sedisset annos quindecim, et menses octo, pie obiit, et sepultus est in Vaticano. ℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. super Evang. Homo peregre *cum IX. lect. de Vigilia S. Laurentii.*

Die XIII. augusti ex XI. hujus.

S. Sixti II. Pp. M.

Duplex.

Orat. Infirmitatem.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Sixtus Secundus, Atheniensis, ex philosopho Christi discipulus, in persecutione Valeriani accusatus, quod publico Christum praedicaret, comprehensus trahitur in templum Martis, proposita ei capitali poena, nisi illi simulacro sacrificaret. Qua impietate constantissime recusata, cum ad Martyrium duceretur, occurrenti Sancto Laurentio, et dolenter iu hunc modum interroganti; Quo progrederis sine filio Pater? Quo Sacerdos sancte sine Ministro properas? Respondit: Non ego te desero fili; majora te manent pro Christi fide certamina: post triduum me sequeris, Sacerdotem Levita: interea, si quid in thesauris habes, pauperibus distribue. Eodem igitur die interfectus est, una cum Felicissimo, et Agapito Diaconis, Januario, Magno, Vincentio, et Stephano Subdiaconis, et in Coemeterio Callisti sepultus, octavo Idus Augusti: ceteri vero in Coemeterio Praetextati. Sedit menses undecim, dies duodecim; quo tempore habuit Ordinationem mense Decembri, creatis Presbiteris quatuor, Diaconis septem, Episcopis duobus.

℟. Honestum fecit illum.

Lectio V. et VI. Sermo S. Augustini Ep. *ut festo S. Urbani fol. 127. hujus.*

In III. Noct. Homil. super Evang. Si quis venit *cum IX. L. Ss. Hippolyti, et Cassiani Mm.*

In Laud. comm. Oct., et eorumdem Ss. Mart.

Die XIV. augusti.

S. Hormisdae Pp. C.

Duplex.

In Hymn. mut. ℣.

Oratio. Da quaesumus.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Hormisdas natione Campanus,

Justo patre, Frusinate, septimo a Symmachi obitu die, cum jam Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconus esset, summa omnium consensione, ad sanctam Petri Sedem provectus est; in qua ita se gessit, et Dominico gregi pascendo sedulam operam navavit, ut non sine singulari Dei providentia, ac divino consilio electum fuisse, perspectum sit. Hoc quippe homine, iis temporibus Ecclesia indigebat, qui, et res arduas faciendas animose susciperet, et susceptas ad optatum finem strenue perduceret.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Ubi supremum Pontificis munus iniit, totum fere Christianum Orbem sub Regibus barbaris, vel haereticis gementem invenit, et distractam in partes Ecclesiam. Sed octo annorum spatio, vir plane Deo plenus, perenni cura, ac felici laborum suorum eventu, eo rem adduxit ut Orientales Ecclesiae ab octoginta circiter annis, foedo schismate separatae, subscripto libello, quem is per suos Legatos miserat, ad unitatem redierint; et Africae sui Episcopi, quos in Sardiniam Vandali relegarant, fuerint restituti, et Lazorum Rex, ac populus ad Christi fidem, ejus opera, inductus sit; ac demum Chlodoveus Francorum Rex, ad eamdem fidem conversus, solemni legatione ad Sedem Apostolicam, coronam auream gemmis distinctam Hosmidae obtulerit, ad perpetuum obedientiae, et fidei monumentum.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Manichaeos item discussit, eorumque Codices ante fores Constantinianae Basilicae incendio concremavit. Complures epistolas scripsit ad varios, per universum orbem Christianum, in quibus ardentissimus zelus Religionis amplificandae, quo medullitus flagrabat, sacrarum literarum scientia, cum limpidissimo, et amaeno stylo conjuncta, qua plurimum valebat, singularis rerum gerendarum peritia, praesertim cum Regibus, et Optimatibus, qua prae ceteris pollebat, aliaeque heroici animi dotes, mirum in modum elucent. Ejus demum pia liberalitas in egenos, et sacras aedes profusa fuit. Ac tandem suorum votorum compos, annis, ac meritis gravis, et rerum gestarum gloria, apud Deum, et homines celeberrimus post novem Pontificatus annos, ad coelestem patriam migravit, anno Christi quingentesimo vigesimo tertio, exanimi corporis exuviis Vaticanae Basilicae relictis.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. super Evang. Homo peregre *cum IX. L. Vig. Assump. ut in Breviario.*

In Laud. fit comm. Oct. S. Laurentii, ejusdem Vig., ac S. Eusebii Conf.

Die XVI. Augusti.

S. Rochi C.

Duplex. Oratio.

Populum tuum, quaesumus Domine, continua pietate custodi, et Beati Rochi suffragantibus meritis, ab omni fac animae, et corporis contagione securum. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio VI.

Rochus in Monte Pessulano na-

tus, quanta in proximum charitate flagraret, tum maxime ostendit, cum saevissima peste longe, lateque per Italiam grassante, Patria relicta, Italicam peregrinationem suscepit, Urbesque, et oppida peragrans, seipsum in aegrotantium obsequium impendere, animamque suam pro fratribus ponere non dubitavit. Quod Beati Viri studium, quam gratum Deo fuerit, miris sanationibus declaratum est: Complures enim pestilentia infectos e mortis periculo signo Crucis eripuit, et integrae sanitati restituit. In Patriam reversus, virtutibus et meritis dives sanctissime obiit, cjusque obitum statim subsecuta est veneratio Fidelium, quae in Constantiensi deinde Concilio magnum recepisse dicitur incrementum, cum ad propulsandam ingruentem luem, Rochi imago solemni pompa, omni comitante populo per eamdem Civitatem, Episcopis approbantibus, est delata. Itaque ejus cultus mirifice propagatus est in universo terrarum Orbe, qui eumdem sibi apud Deum adversus contagiosam luem Patronum religioso studio adoptavit. Quibus accurate perpensis, Urbanus Octavus Pontifex Maximus, ut ejus dies festus iis in locis, in quibus forent Ecclesiae Sancti Rochi nomine Deo dicatae, Officio Ecclesiastico celebraretur, indulsit.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

Ex Tractatu Sancti Augustini Episcopi in Epistolam Joannis.

Tract. 5. in cap. 3.

Perfecta ista Charitas est, ut paratus sis mori pro fratre. Hanc ipse Dominus in se exhibuit moriens pro omnibus, orans pro eis, a quibus crucifigebatur, et dicens Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt: sed si solus hoc fecit, non erat Magister, si Discipulos non habebat. Si quis tantam habuerit charitatem, ut paratus sit pro fratribus etiam mori, perfecta est in illo charitas: Sed numquid mox, ut nascitur, jam prorsus perfecta est? Ut perficiatur, nascitur, cum fuerit nata nutritur, cum fuerit nutrita corroboratur, cum fuerit roborata perficitur, cum ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, et mori lucrum: Optabam dissolvi, et esse cum Christo: multo enim magis optimum manere in carne necessarium propter vos. Propter eos volebat vivere, pro quibus paratus erat mori.

℟. Amavit eum Dominus.

Lectio VI.

Haec est perfectio charitatis, et major omnino non potest inveniri: sed quia non in omnibus perfecta est, et desperare non debet, in quo perfecta non est si jam nata est, quae perficiatur, et utique si nata est, nutrienda est, et quibusdam suis nutrimentis ad perfectionem propriam perducenda. Quaesivimus inchoationem charitatis unde incipiat, et ibi continuo invenimus: Si quis habet facultates mundi, et viderit fratrem suum egentem, et clauserit viscera sua adversus eum quomodo dilectio Patris manet in illo? Ergo hic incipit ista charitas, Fratres, ut de suis superfluis tribuat egenti in angustiis aliquibus constituto, ex eo quod sibi abundat, secundum tempus a

tribulatione temporali liberet fratrem: hinc exordium est charitatis. Hanc ita coeptam, si verbo Dei, et spe futurae vitae nutrieris, perveniens ad illam perfectionem, ut paratus sis animam tuam ponere pro fratribus tuis.

℟. Iste homo perfecit.

Die XVIII. Augusti ex 17. Julii.

S. Alexii C.

Semidupl. *Oratio.*

Deus, qui Beatum Alexium Confessorem tuum in mundi contemptu mirabilem effecisti: praesta, quaesumus, ut intercessionis ejus auxilio Fideles tui terrena despiciant, et ad coelestia semper aspirent. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Alexius Romanus, Euphemiani Senatoris Filius, piissime, ac liberalissime in paterna domo a teneris annis educatus, assiduo Christianarum virtutum exercitio adeo in Jesu Christi amorem exarsit, ut secum statuerit familiae nobilitatem, patrimonii amplitudinem, mundi illecebras, et voluptates ejusdem imitationi postponere. Quare prima nuptiarum nocte ductam Parentum voto conjugem, peculiari Dei monitu, intactam reliquit.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

Clam itaque e domo abscedens, illustrium Orbis Terrae Ecclesiarum peregrinationem suscepit. In quo instituto cum ignotus septemdecim annos transegisset, aliquando apud Edessam Syriae Urbem per Imaginem Sanctissimae Mariae Virginis ejus nomine divulgato, ut inanem mundi gloriam declinaret, inde navi discessit; mox ad Portum Romanum appulsus, ac Patri, Deo ita disponente, obviam factus, ab eodem in propria domo, tamquam alienus pauper, hospitio receptus est.

℟. Amavit eum Dominus.

Lect. VI.

Hoc in loco, ut nova mundum arte deluderet, durum certamen aggressus, inter Uxoris, et Parentum diutinos questus, inter famulorum contemptum per decem, et septem annos admirandae virtutis, et invictae patientiae exemplum se praebuit soli Deo notus. Post mortem scripto suo agnitus, in quo nomen, genus, et totius vitae cursus continebantur, Innocentio primo Pontifice Maximo, ad Ecclesiam Sancti Bonifacii, quae etiam Sancti Alexii nomine appellatur, summo honore delatus est, ubi ad hanc usque diem pia Fidelium veneratione colitur. Ejus diem festum Senatus Romanus, ut debitam erga tam insignem convicem suum pietatem ostenderet, a Summo Pontifice Clemente VII ritu solemniori Romae, et in ejus Districtu celebrandum impetravit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCT.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. *Cap. 9.*

In illo tempore, dixit Petrus ad Jesum; Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? E reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Arbitror verba lectionis hujus ea esse, de quibus ad immortalem Sponsum a finibus terrae cla-

mat Ecclesia: Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras; haec nempe sunt verba, quae contemptum mundi in universo mundo, et voluntariam persuasere hominibus paupertatem; haec sunt, quae Monachis claustra replent, deserta Anachoretis. Hæc, inquam, sunt verba, quae Ægyptum spoliant, et optima quaeque ejus vasa diripiunt. Hic sermo vivus, et efficax, convertens animas felici aemulatione sanctitatis, et veritatis promissione fideli.

℟. Iste est, qui ante.

Lectio VIII.

Nam, et mundus transit; et concupiscentia ejus, et relinquere haec magis expedit, quam relinqui. Ecce, inquit, relliquimus omnia, et secuti sumus te: Nimirum quia exultavit ut gigas ad currendam viam, nec currentem sequi poterat oneratus. Sed nec inutilis commutatio; pro eo, qui super omnia est, omnia reliquisse; nam, et simul cum eo donantur omnia, et ubi apprehenderis eum, erit unus ipse omnia in omnibus, qui pro ipso omnia reliquerunt. Omnia, sane dixerim, non tantum possessiones, sed etiam cupiditates, et eas maxime.

℟. Sint lumbi vestri.

Lectio IX.

Petrus cogitatum suum jactans in Domino; et omnem solicitudinem suam in eum projiciens, certus, quod illi foret cura de eo, reliquit omnia; secutus est Dominum, ne interrogans quidem de praemio, donec ex periculo divitum, quod Salvator prosequebatur, sumeret occasionem percontandi. Quid ergo erit nobis? Ait illis Jesus: Amen dico vobis. Verbum confirmationis praemittitur; magnum noveris esse, quod sequitur. In regeneratione sedebitis, et vos: consequemini, ait, quem sequimini: ut cum ipse sederit, et vos pariter sedeatis. O sessio! quis mihi tribuat, ut dignis exprimam verbis, quod de sessione hac cordis affectione concipio? Imo quis tribuat mihi sessionis hujus imperturbata frui requie, quam desidero, quam cupio, quam requiro?

Te Deum laudamus.

DIE XIX. AUGUSTI.

S. Ludovici Episc. Tolosani, et C.

Duplex 2. Classis.

Oratio.

Deus, qui Beatum Ludovicum Confessorem tuum, atque Pontificem Coeleste Regnum terreno praeponere docuisti, ac puritate illibata, et eximia in pauperes charitate mirabiliter decorasti: concede, ut ejusdem virtutes aemulantes in terris, coronari cum ipso mereamur in Coelis. Per Dominum nostrum.

In I. noct. Lect. Fidelis sermo,

In II. noct.

Lectio IV.

Ludovicus nobilissimo genere natus, Patrem habuit Carolum Secundum Siciliae Regem, Matrem vero Mariam Hungariae Regis filiam. Adhuc puer in sortem Domini vocatus, posthabitis aetatis illius oblectamentis, divino se totum cultui mancipavit. Decimumquartum agens annum, una cum duobus fratribus pro Genitoris libertate in bello navali a Rege Aragoniae capti obses ductus in Catalauniam, Barcinone apud Minores Sancti Francisci fere septen-

nio est commoratus; sub eorumque disciplina in scientiarum studiis, ac sacrarum litterarum comparanda eruditione eo progressus est, ut constans fuerit opinio, ipsi potius fuisse divinitus infusas, quam humanitus acquisitas. Verum majori conatu coelestis Magistri doctrina spiritum instruere anhelans, ciliciis, jejuniis, ferreis flagellis carnem afflixit. Assidua interim Evangelicae veritatis meditatione contemptibilia mundi spernere edoctus, regalis solii fastum calcare deliberavit, ac de Seraphico amplectendo Instituto, raro humilitatis exemplo, votum emisit.

Lectio V.

Ecclesiasticae militiae adscriptus, et ad Sacros Ordines deinde promotus, ut quod mente statuerat, opere firmaret, juri primogeniturae renunciavit, et Regno: cumque votum, quod Barcinone voverat, in Monte Pessulano frustra adimplere satageret, illius Coenobii Fratribus timore Regis Patris eum recipere non audentibus, solemniter illud renovavit. Mox ad Ecclesiam Tolosanam a Bonifacio Octavo, quamvis invitus, assumptus, Romamque accersitus, et ab eodem honorifice exceptus, electioni de se factae nullatenus se assensurum declaravit, donec votum, quo se obstrinxerat, Deo reddidisset. Quare annuente Pontifice, habitu Ordinis Minorum, quem semper postea retinuit, rite suscepto, in manibus Generalis Ministri professionem emisit: hisque peractis, Apostolicis mandatis humiliter obtemperans, Episcopus Tolosanus passus est se consecrari.

Lectio VI.

Tolosam ad illius Ecclesiae regimen profectus, spirituali animarum lucro totus incubuit; utque ministerium Apostolicum integre, ac diligenter impleret, salutaribus monitis, illibataeque vitae exemplo peccatores ad poenitentiam revocavit, pluresque Judæos, atque Gentiles assidua verbi Dei praedicatione ad Orthodoxam fidem convertit. Ecclesiasticam disciplinam ubique in commissa sibi Dioecesi promovit, ac restauravit. Liberalis in pauperes, vigintiquinque ex eis quotidie domi aluit. Puritatem usque ad obitum a pueritia nitidissime custodivit. Humilitatis tandem, charitatis, atque omnium virtutum ornamento decorus, in juvenili aetate Brincolae Provinciae Arce ardenti febre correptus, ad Domini sui amplexum, quem in votis semper habuerat, emigravit. Magnis deinde in Ecclesia meritis clarum, et miraculis illustrem, inter quae plures mortui ejus intercessione ad vitam revocati enumerantur, Joannes Vigesimus secundus in Sanctorum numerum retulit.

In III. Noct. Homil. in Evang. Vigilate, *de eod. comm. 2. loco.*

Die XX. Augusti.

S. Bernardi Abb. C. et Eccl. D.

In utriusq. Vesp.

Antiph. O Doctor.

Oratio.

Deus, qui populo tuo aeternae salutis Beatum Bernardum ministrum tribuisti; praesta quaesumus, ut quem doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Per.

Lect. I. Noct. de scr. occurr.

In II. Nocturno lectiones ut in Breviar. Rom. addendo VI. lect.

Pius vero Octavus Pontifex Maximus ex Sacrorum Rituum Congregationis consilio Sanctum Bernardum universalis Ecclesiae Doctorem declaravit, et confirmavit; necnon Missam, et Officium de Doctoribus ab omnibus recitari jussit, atque Indulgentias plenarias quotannis in perpetuum Ordinis Cisterciensium Ecclesias visitantibus die hujus Sancti festo concessit.

In III. noct. de commu. Doctorum: Vos estis Sal terrae.

DIE XXI. AUGUSTI.

S. Joannae Franciscae Fremiot de Chantal Viduae.

Duplex Minus.

Oratio.

Omnipotens, et misericors Deus, qui Beatam Joannam Franciscam tuo amore succensam, admirabili spiritus fortitudine per omnes vitae semitas in via perfectionis donasti; quique per illam illustrare Ecclesiam tuam nova prole voluisti: ejus meritis, et precibus concede, ut qui infirmitatis nostrae conscii de tua virtute confidimus, coelestis gratiae auxilio cuncta nobis adversantia vincamus. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de scr. occ.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Joanna Francisca Fremiot a Chantal Divione in Burgundia clarissimis orta natalibus, ab ineunte aetate eximiae sanctitatis non obscuras edidit significationes. Eam enim vix quinquennem nobilem quemdam Calvinistam solida supra aetatem argumentatione perstrinxisse ferunt, collatumque ab eo munusculum flammis illico tradidisse in haec verba: En quomodo haeretici apud inferos comburentur, qui loquenti Christo fidem detrectant. Matre orbata Deiparae Virginis tutelae se commendavit, et famulam, quae ad mundi amorem eam alliciebat, ab se rejecit. Nihil puerile in moribus exprimens a saeculi deliciis abhorrens, martyriumque anhelans, religioni, ac pietati impense studebat. Baroni de Chantal nuptui a Patre tradita, virtutibus omnibus excolendis operam dedit, liberos, famulos, aliosque sibi subjectos in fidei doctrina, bonisque moribus imbuere satagens. Profusa liberalitate pauperum inopiam sublevabat, annona divinitus non raro multiplicata: quo factum est, ut nemini se unquam Christi nomine roganti stipem abnegaturam spoponderit.

Lectio V.

Viro in venatione interempto perfectioris vitae consilium iniens, continentiae voto se obstrinxit. Viri necem non solum aequo animo tulit, sed in publicum indultae veniae testimonium occisoris filium a Sacro Fonte suscipere, sui victrix, elegit. Modica familia, tenui victu, atque vestitu contenta, pretiosas vestes in pios usus convertit. Quidquid a domesticis curis supererat temporis, precibus, piis lectionibus, laborique impendebat. Numquam adduci potuit ad alteras nuptias, ut eas, quamvis utiles, et honorificas, iniret. Ne autem a proposito castimoniae observandae in posterum dimoveretur, illius voto innovato Sanctissimum Jesu Christi nomen candenti ferro pectori insculpsit.

Ardentius in dies charitate fervescens, pauperes, derelictos, aegros, teterrimisque morbis infectos ad se adducendos curabat; eosque non hospitio tantum excipiebat, solabatur, fovebat, verum etiam sordidas eorumdem vestes depurgabat, laceras reficiebat, et manantibus foetido pute ulceribus labia admovere non exhorrebat.

Lectio VI.

A Sancto Francisco Salesio, quo Spiritus moderatore usa fuit, divinam voluntatem edocta, proprium parentem, socerum, filium denique ipsum, quem etiam vocationi obsistentem sua e domo egrediens pedibus calcare non dubitavit, invicta constantia deseruit, et Sacri Instituti Visitationis Sanctae Mariae fundamenta jecit, ejusque Instituti leges integerrime custodivit; et adeo paupertatis fuit amans, ut vel necessaria sibi deesse gauderet. Christianae vero animi demissionis, et obedientiæ, virtutum denique omnium perfectissimum exemplar se praebuit. Altiores in corde suo ascensiones disponens, arduissimo efficiendi semper id, quod perfectius esse intelligeret, voto se obstrinxit. Denique Sacro Visitationis Instituto ejus potissimum opera longe, lateque diffuso, verbo, exemplo, et scriptis etiam divina sapientia refertis, ad pietatem, et charitatem Sororibus excitatis, meritis referta, et Sacramentis ritu susceptis Molini anno millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, die decimatertia Decembris migravit ad Dominum; ejusque Animam, occurrente Sancto Francisco Salesio, in Coelos deferri Sanctus Vincentius a Paulo procul distans aspexit. Ejus Corpus postea Anecium translatum fuit; eamque miraculis ante, et post obitum claram, Benedictus Decimus Quartus Beatorum, Clemens Decimus Tertius albo Sanctorum adjecit. Festum autem ejusdem die duodecimo Kalendas Septembris ab universa Ecclesia Clemens Decimus Quartus Pontifex Maximus celebrari praecepit.

In III. Noct. Homil. super Evang. Simile... thesauro *de eod. commu. 1. loco.*

Die XXIV. Augusti.

In festo S. Emygdii Ep. et M.

Duplex.

AD VESPERAS.

Hymnus.

Jesu Corona Martyrum,
Qui post cruenta praelia,
Ad sempiterna praemia
Sanctum vocasti Emygdium.

Casti cruoris purpura,
Palmaque ovantem nobili,
Inter choros Coelestium
Reples beato lumine.

Nunc ejus ad vivtorias
Nos somnolentos excita,
Virtutis ad praeconia,
Sopore mersos libera.

Ut invocatus reddidit
Membris salutem languidis,
Sic labe prorsus criminum
Arcana purget mentium.

Ut editis miraculis
Aras Deorum diruit,
Sic damna praesens arceat
Quaecumque nobis imminent.

Ut voce quondam sustulit
Cultus nefandos Daemonum,
Sic impetret precantibus
Æterna Coeli gaudia.

Tu postulatis annue,
Rex magne Jesu Martyrum,
Cum Patre, et almo Spiritu

Regnans per omne sæculum. Am.

℣. Meritis, et precibus beati Emygdii.

℟. Propitius esto, Domine, Clero, et Populo tuo.

Ad Magnificat.

Antiph. O Emygdi, Martyr gloriose, qui plurimos in Christo genuisti filios, et verae fidei lacte enutristi; ita quaesumus, oratio commendat nos indesinenter Deo.

Oratio.

Deus, qui beatum Emygdium Martyrem tuum atque Pontificem, idolorum victoria, et miraculorum gloria decorasti: concede propitius; ut eo interveniente malorum spirituum fraudes vincere, et coruscare virtutibus mereamur. Per Dominum.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

Audiat miras oriens, cadensque
Sol tuas laudes, celebresque palmas,
Præsul Emygdi, columen, tuæque
Gloria gentis.

O jubar Coeli, radiis decorum,
O potens signis, meritisque felix,
Quem Deus gestis adhibere fecit,
Grandibus olim.

Ethnico primum genitus parente,
Illico nomen Superis dedisti;
Mox feras gentes numerosa reddis
Agmina Christo.

Imperas saxo, latitans repente
Lympha consurgit, fluitans salubri
Fonte Baptismi, populosque lustras
Flumine sacro.

Pectoris duros silices repelle,
Saxeum cordis tumidi rigorem
Contere, ut sordes lacrymosa manans
Abluat unda.

Non times saevi rabiem tyranni,
Sanguine effuso, generose Martyr,
Quin tibi abscissum caput usque ad aras
Mortuus effers.

Nunc triumphator super astra regnans
Semitam nobis, aditumque monstra,
Supplices ductor genitos supernis
Sedibus infer.

Annuat Coelo Pater, atque Natus,
Annuat compar utriusque virtus
Spiritus votis, Deus unus omni
Temporis aevo. Amen.

In I. Noct. Lect. de scr. occ.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Emygdius e nobili Francorum prosapia, Treviris natus, anno aetatis vigesimo tertio, parentibus idololatris frustra obstantibus, fidem Christi suscepit, et constantissime professus est. Cum tribus discipulis Euplo, Germano, et Valentino vitam duxit, humanis spretis oblectamentis: rebus divinis plenius incumbebat: erga proximum charitatis ardore aestuabat: idcirco ad procurandam multorum salutem Romam se contulit. Hospitio exceptus in insula Tiberis, hospitis filiam per quinquennium jam immedicabili morbo languentem, Baptismo sanavit.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

Mox oculis caeci coram populo signo Crucis apertis, a multitudine eum filium Apollinis credente, in templum Æsculapii rapitur. Ibi Christi servum se professus, ejus invocatione magnum numerum aegrotorum, nequicquam idoli opem implorantium, valetudini restituit, aras diruit, Æscu-

lapii signum confractum in Tiberim projecit. Quibus rebus, et mille tercentorum Gentilium, præter Æsculapii sacerdotes, conversione inde sequuta, irritati Postumii Titiani Praefecti Urbis minas Angeli monitu declinans, sanctum Marcellum Pontificem adiit, a quo Episcopus ordinatus, et Asculum missus est.

℟. Desiderium animae.

Lectio VI.

Multis in itinere miraculis ingenti multitudine Christo adjuncta, simul ac Asculum Emygdius pervenit, daemones, e simulacris idolorum per cuncta fana ejulatibus editis, peregrinam doloris sui causam indicarunt: quem cum concitata plebs ad caedem quaereret, excitatus tumultu Polymius civitatis Praeses, cum ad se vocatum, multis, sed irritis verbis, ad Jovis, et Angariae Deae Asculi Patronae venerationem hortatur, promissis etiam in praemium nuptiis propriae filiae Polisiae, quam Emygdius ad Christum conversam baptizavit, et post eam mille, et sexaginta homines, educta e saxo per ingens miraculum aquarum copia. His in rabiem actus Polymius sancto Episcopo caput abscidit: quo facto truncus ejus mirabiliter erectus abjectum humo proprium caput attollens, manibus per spatium trecentorum passuum ad Oratorium portavit. Inde ad Templum maximum translatum, ubi magna religione Asculani populi, et concursu externorum hunc usque in diem colitur. Incidit ejus beata mors persecutione Diocletiani durante.

℟. Stola jucunditatis.

In III. Noct. Homil. super Evang. Si quis venit ad me, *ut in Communi unius Martyris 1. loco.*

AD LAUDES.

Hymnus de 1. Vesp.

℣. Ora pro nobis Sancte Pater Emygdi.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Benedictus

Antiph. O virum ineffabilem per quem nobis antiqua prodigia Moysis coruscant: cujus nutibus e saxo aqua Baptismatis Asculano populo emanavit, per quem Evangelica lux effulsit, quem triumphans excepit Curia coelestis, illic pro nobis intercedere dignetur, ut suo mereamur gaudere consortio.

DIE XXVI. AUGUSTI.

S. Rufini Ep. Capuae, et C.

Dupl. 2. cl.

Or. Da quaesumus.

Lect. I. Noct. Fidelis sermo.

In II. Noct. Lectio IV.

Rufinus Episcopus, vir eximiae sanctitatis, ante Sancti Decorosi tempora Capuanam rexit Ecclesiam. Cumque gens Longobardorum divino cultui, Sanctorumque venerationi summe dedita esset, eorum corpora solerter inquirere coepit, quorum nomina in Tabulis ejus Ecclesiae conscripta erant. Quia vero inter caeteros S. Rufini dies natalis majori sollemnitate coli solebant; locus autem ignorabatur, in quo sacrum ipsius corpus quiescebat, eo perquirendo omne studium adhibuerunt. Deo tandem opem ferente, a Decoroso Episcopo in Basilica Sancti Petri Apostoli inventum, ad Ecclesiam Sanctorum Stephani, et Agathae solemni pompa translatum est.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Cum vero ad ejus tumulum, ob antiquam populi erga ipsum devotionem, ingens quotidie turba confluerет: accidit eodem anno, ut cujusdam viri nobilis Andaldi filius, adhuc infans, ardentissima febri correptus, in manifesto vitae discrimine versaretur, Mater autem divinitus inspirata, parvulum morti proximum ad limina praedictae Ecclesiae detulit, cujus fletu et ejulatu commotus Episcopus, ad eam perrexit, fletusque causa percepta, ad beati Rufini tumulum jussit accedere, ac ipsius opem pro salute filii implorare.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Mater ergo super tumulum, a Decoroso sibi ostensum, filium deponens, preces fundere pro illo coepit, ipso etiam Decoroso pro eodem orante. Mox interjecto dimidio horae intervallo, attollens oculos mulier, vidit infantem alacrem, et redivivum circum altare deambulantem; quem cum gaudio amplexata, Episcopo protinus ostendit pristinae valetudini restitutum. Pro quo beneficio gratias egerunt Deo, qui cum sit mirabilis in Sanctis suis, Sanctum Rufinum glorificare dignatus est. Fama enim hujus miraculi circumquaque diffusa, ad ejus tumulum concursus augeri, et vota plurima nuncupari coeperunt.

℟. Iste est.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium. Homo peregre.

DIE XXVII. AUGUSTI.

S. Rufi Ep. Capuae, et M.

Dup. 2. clas.

Orat. Deus, qui nos B. Rufi etc.

Lect. 1. N. A Mileto.

In II. Noct. Lect. IV.

Rufus Patricius, Exconsul, et Ravennatis militiae Dux, hoc miraculo ad fidem conversus est. Cum enim statuisset Sanctum Apollinarem a Civitate expellere, filiam, quam maxime diligebat, aegrotare coepit; ob quam sanandam cum Sanctus Episcopus accersitus fuisset, Deo sic disponente, mortua est. Preces autem effundens Apollinaris, defunctam revocavit ad vitam. Quo miraculo Rufus conversus ad Christum, cum tota familia baptizatus est. Hac vero de causa missus in exilium, successu temporis ad Capuanae Civitatis Episcopatum promotus est; ubi cum multos ad Christum converteret, a Messalino Praeside tentus, et eo jubente, securi percussus, martyrium consummavit sexto Kalendas Septembris.

℟. Honestum fecit etc.

Lect. V. et VI. Triumphalis beati Martyris, Rufi, *ut in eod. commu. 1. loco.*

In III. Noct. Homil. S. Gregorii Papae in Evang. Si quis vult etc. *de Com. 2. loco.*

DIE XXX. AUGUSTI.

Ss. Rufi, et Carponii M. Campanor. (*quorum corpora in Metrop. ser.*)

Duplex 2. cl.

Lect. 1. n. Fratres *de eod com.*

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Rufus Capuanae Ecclesiae Diaconus, cum omnium virtutum splendore fulgeret, saeviente Diocletiani, et Maximiani crudelissima persecutione, cum aliis Christianis Paganorum furorem declinans, in Cryptis extra Civitatem latitabat. Carponius autem Medi-

cus, artis suae peritia, et sanctitate insignis, qui ab Urbe Roma Capuam venerat, fugiens et ipse Gentilium Christi fideles persequentium crudelitatem, quotidie ad Rufum accedere solebat, donec ambo accusati, quod Christiani essent, Casselliani Proconsulis jussu comprehensi, et in carcerem detrusi sunt.

℟. Sancti tui.

Lectio V.

Mox Cassellianus, sedens pro Tribunali, eos coram se constitutos de Religione interrogavit, qui cum se Christianos esse constantissime profiterentur, eos iterum carcerali custodiae mancipavit. Iterum Imperator hac de re admonitus, utrumque ad se perduci mandavit, blandisque sermonibus adhortatus est, ut Diis sacrificarent. At illi in confessione fidei perseverantes, unum sibi esse Deum dixerunt, Coeli, et Terræ Conditorem, cui seipsos in sacrificium laudis dudum obtulerant; quibus auditis Imperator eos primum plumbatis caesos in Campaniam remitti jussit a Proconsule puniendos.

℟. Verbera carnificum.

Lectio VI.

Proconsul itaque, cum Diis immolare fortiter recusarent, eos protinus aculeo torqueri, deinde in carcerem detrudi praecepit. Altera autem die eductum e custodia Rufum, tamdiu plumbatis immaniter caedi fecit, donec hilari vultu Christo gratias agens, in eo tormento spiritum exhalavit. Postea Carponium, saxis prius ore contuso, in catasta extensum, atrocissime cruciari a Satellitibus jussit; quoad et ipse suspiciens in Coelum martyrii coronam gaudens suscepit. Eorum Corpora a Christianis honorifice sepulta sunt septimo Kalendas Septembris.

℟. Tamquam aurum etc.

In III. Noct. Homil. super Evang. Descendens Jesus, *de eodem Commu. 2. loco.*.

FESTA SEPTEMBRIS.

Dom. III. septembris.

Septem Dolorum B. M. V.

Duplex majus.

In I. Vesp. Antiph. Quo abiit, *cum rel. de Laud. infra.*

Psal. Dixit Dominus, *cum reliqu.*, *in Officio parvo B. M. V.*

Cap. Thren. 2.

Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem? cui exaequabo te, et consolabor te, virgo Filia Sion? magna est, velut mare, contritio tua.

Hymnus.

O quot undis lacrymarum!
Quo dolore volvitur!
Luctuosa, de cruento
Dum revulsum stipite,
Cernit ulnis incubantem,
Virgo Mater, Filium.

Os suave, mite pectus,
Et latus dulcissimum,
Dexteramque vulneratam,
Et sinistram sauciam,
Et rubras cruore plantas
Aegra tingit lacrymis.

Centiesque, milliesque
Stringit arctis nexibus
Pectus illud, et lacertos
Illa figit vulnera:
Sicque tota colliquescit
In doloris osculis.

Eja, Mater, obsecramus
Per tuas has lacrymas,
Filiique triste funus,

Vulneramque purpuram,
Hunc tui cordis dolorem
Conde nostris cordibus.
Esto Patri, Filioque,
Et coaevo Flamini:
Esto summae Trinitati
Sempiterna gloria,
Et perennis laus, honorque
Hoc, et omni saeculo, Amen.

℣. Regina Martyrum ora pro nobis.

℟. Quae juxta Crucem Jesu constitisti.

Ad Magnificat.

Ant. Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me Sol, filii matris meae pugnaverunt contra me.

Oratio.

Deus, in cujus Passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosae Virginis et Matris Mariae doloris gladius pertransivit, concecede propitius, ut qui dolores ejus venerando recolimus, passionis tuae effectum felicem consequamur. Qui vivis.

Et fit comm. Dom. occur.

Ad Complet. et per Horas finis Hym. erit.

Jesu tibi sit gloria,
Qui passus es pro servulis
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

Ad Matutinum.

Invit. Stemus juxta Crucem cum Maria Matre Jesu, * Cujus animam doloris gladius pertransivit.

Psalm. Venite.

Hymnus.

Jam toto subitus vesper eat polo,
Et sol attonitum praecipitet diem,
Dum saevae recolo ludibrium necis,
Divinamque catastrophen.
Spectatrix aderas supplicio Parens,
Malis uda, gerens cor adamantinum:
Natus funerea pendulus in Cruce
Altos dum gemitus dabat.
Pendens ante oculos Natus, atrocibus
Sectus verberibus, Natus hiantibus
Fossus vulneribus, quot penetrantibus
Te confixit aculeis!
Heu! sputa, alapæ, verbera, vulnera,
Clavi, fel, aloe, spongia, lancea,
Sitis, spina, cruor, quam varia pium
Cor pressere tyrannide.
Cunctis interea stat generosior
Virgo Martyribus: prodigio novo,
In tantis moriens non moreris Parens
Diris fixa doloribus.
Sit summae Triadi gloria, laus, honor,
A qua suppliciter sollicita prece,
Posco Virginei roboris aemulas
Vires rebus in asperis. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. Multiplicati sunt, qui tribulant me, multi insurgunt adversum me.

Psalmus 3.

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi, * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum:*

et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine caussa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus, * et super populum tuum benedictio tua.

Ant. Multiplicati sunt, qui tribulant me, multi insurgunt adversum me.

Ant. Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

Psalmus 10.

In Domino confido, quomodo dicitis animae meae; * Transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt saggitas suas in pharetra, * ut sagittent in in obscuro corde.

Quoniam quae perfecisti, destruxerunt: * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: * Dominus in coelo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt; * palpebrae ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum et impium * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: * ignis, et sulphur, et spiritus procellarum: pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit: aequitatem vidit vultus ejus.

Antiph. Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

Antiph. Defecit in dolore vita mea. et anni mei in gemitibus.

Psalmus 30.

In te Domino speravi: non confundar in aeternum: * in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam, * accelera, ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, * ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu: * et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi, * quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum: * redemisti me Domine, Deus veritatis.

Odisti observantes vanitates * supervacue.

Ego autem in Domino speravi: * exultabo, et laetabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem meam: salvasti de necessitatibus animam meam.

Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.

Miserere mei Domine, quoniam tribulor: * conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus.

Quoniam defecit in doloro vita mea, * et anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea, * et ossa mea conturbata sunt.

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis valde, * et timor notis meis.

Qui videbant me, foras fugerunt a me: * oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde.

Factus sum tamquam vas perditum : * quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo dum convenirent simul adversum me, * accipere animam meam consiliati sunt.

Ego autem in te speravi Domine : * dixi: Deus meus es tu; in manibus tuis sortes meae.

Eripe me de manu inimicorum meorum, * et a persequentibus me.

Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua : * Domine non confundar, quoniam invocavi te.

Erubescant impii, et deducantur in infernum; muta fiant labia dolosa.

Quae loquuntur adversus justum iniquitatem, * in superbia, et in abusione.

Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, * quam abscondisti timentibus te!

Perfecisti eis, qui sperant in te, * in conspectu filiorum hominum.

Abscondes eos in abscondito faciei tuae * a conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo: * a contradictione linguarum.

Benedictus Dominus, * quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.

Ego autem dixi in excessu mentis meae: * projectus sum a facie oculorum tuorum.

Ideo exandisti vocem orationis meae, * dum clamarem ad te.

Diligite Dominum omnes sancti ejus: * quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam.

Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, * omnes, qui speratis in Domino.

Antiph. Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.

℣. Regina Martyrum ora pro nobis.

℟. Quae juxta Crucem Jesu constitisti.

Ex Jeremia Propheta.

Lectio I. *Thren. 1.*

Plorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus: non est, qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici. Vide Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus. Subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. Foris interficit gladius, et domi mors similis est. Audierunt, quia ingemisco ego, et non est, qui consoletur me.

℟. Simeon, vir justus, et timoratus, dixit ad Mariam, * Tuam ipsius animam pertransibit gladius.

℣. Ne vocetis me pulchram, sed amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. Tuam ipsius.

Lectio II. *Thren. 2.*

Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem? Cui exaequabo te; et consolabor te virgo Filia Sion? Magna est velut mare contritio tua; quis medebitur tui? Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Jerusalem: Haeccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universae terrae? Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui; sibilaverunt, et fremuerunt denti-

bus, et dixerunt; Devorabimus.

℟. Surge, et accipe Puerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum, * Et esto ibi, usque dum dicam tibi.

℣. Vocavi Filium meum ex Ægypto, ut veniat salus in Israel. Et esto ibi.

Lectio III.

Fecit Dominus, quae cogitavit; complevit sermonem suum, quem praeceperat a diebus antiquis: destruxit, et non pepercit, et laetificavit super te inimicum, et exaltavit cornu hostium tuorum. Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiae Sion. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem, et noctem; non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

℟. Fili, quid fecisti nobis sic?* Ego, et Pater tuus: * Dolentes quaerebamus te.

℣. Quid est, quod me quaerebatis? In his, quae Patris mei sunt, oportet me esse. Ego, et Pater. Gloria. Dolentes.

IN II. NOCT.

Antiph. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

Psal. 21.

Deus Deus meus, respice in me: * quare *ut in pag. 12. hujus.*

Antiph. Factum est.

Antiph. Deus vitam meam annuntiavi tibi; posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Psal. 55.

Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo; tota die impugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei tota die: * quoniam multi bellantes adversum me.

Ab altitudine diei timebo: * ego vero in te sperabo.

In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi: * non timebo quid faciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabantur: * adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Inhabitabunt, et abscondent: * ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: * in ira populos confringes.

Deus vitam meam annuntiavi tibi; * posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Sicut et in promissione tua: * tunc convertentur inimici mei retrorsum.

In quacumque die invocavero te, * ecce cognovi quoniam Deus meus es.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.

In me sunt Deus vota tua: * quae reddam, laudationes tibi.

Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu: * ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Antiph. Deus vitam meam annuntiavi tibi; posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Ant. Fuerunt mihi lacrymae meae panes die, ac nocte.

Psal. 41.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: * ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, * quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymae meae pa-

nes die ac nocte * dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?

Haec recordatus sum, et effudi in me animam meam: * quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

In voce exultationis et confessionis, * sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea, * et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, * salutare vultus mei, et Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: * propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.

Abyssus abyssum invocat: * in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui * super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam, * et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ: * dicam Deo: Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? * et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobraverunt mihi, qui tribulant me, inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Antiph. Fuerunt mihi lacrymae meae panes die, ac nocte.

℣. Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi.

℟. Inter ubera mea commorabitur.

Lectio IV.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ex Serm. de 12. stellis.

Martyrium Virginis tam in Simeonis prophetia, quam in ipsa Dominicae passionis historia commendatur. Positus est hic (ait Sanctus Senex de puero Jesu) in signum, cui contradicetur: Et tuam ipsius animam (ad Mariam autem dicebat) pertransibit gladius. Vere tuam, o beata Mater, animam pertransivit. Alioquin nonnisi eam pertransiens, carnem Filii tui penetraret. Et quidem posteaquam emisit spiritum tuus ille Jesus, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quae ipsius aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua plane inde nequibat avelli.

℟. Jesum bajulantem sibi Crucem: * Sequebatur turba mulierum, quae plangebant, et lamentabantur eum.

℣. Filiae Jerusalem super vos ipsas flete, et super filios vestros. Sequebatur.

Lectio V.

Tuam ergo pertransivit animam vis doloris, ut plusquam Martyrem non immerito praedicemus, in qua nimirum corporeae sensum passionis excesserit compassionis affectus. An non tibi plusquam gladius fuit sermo ille revera pertransiens animam, et pertingens usque ad divisionem animae, ac spiritus: Mulier, ecce filius tuus? O commutationem! Joannes tibi pro Jesu traditur, servus pro Domino, discipulus pro Magistro, filius Zebedaei pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuosissimam ani-

mam pertransieret haec auditio, quando et nostra, licet saxea, licet ferrea pectora, sola recordatio scindit?

℟. Postquam venerunt in locum, qui dicitur Calvariae, ibi crucifixerunt eum: * Stabat autem juxta Crucem. Mater ejus.

℣. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertransivit. Stabat.

Lectio VI.

Non miremini, fratres, quod Maria Martyr in anima fuisse dicatur. Miretur, qui non meminerit, se audivisse Paulum inter maxima Gentium crimina memorantem, quod sine affectione fuissent. Longe id fuit a Mariae visceribus, longe sit a servulis ejus. Sed forte quis dicat: Numquid non eum praescierat moriturum? Et indubitanter. Numquid non sperabat continuo resurrecturum? et fideliter. Super haec doluit Crucifixum? et vehementer. Alioquin quisnam tu, frater, aut unde tibi haec sapientia, ut mireris plus Mariam compatientem, quam Mariae Filium patientem? Ille enim mori corpore potuit, ista commori corde non potuit? Fecit illud charitas, qua majorem nemo habuit: fecit et hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit.

℟. Joseph ab Arimathaea * Petiit corpus Jesu, quod de Cruce depositum; * Suo complexu Mater excepit.

℣. Dolens Sunamitis sinu, et genibus suis sustinuit mortuum Filium. Petiit corpus. Gloria. Suo complexu.

IN III. NOCT.

Ant. Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Psalmus 63.

Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium, * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt: * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt ut absconderent laqueos; * dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum, * et exaltabitur Deus.

Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum: et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.

Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, * et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei, * et facta ejus intellexerunt.

Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo, * et laudabuntur omnes recti corde.

Antiph. Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Antiph. Anima mea turbata est valde, sed tu Domine usquequo?

Psalmus 6.

Domine, ne in furore tuo arguas me, * neque in ira tua corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: * sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est val-

de, sed tu Domine usquequo?

Convertere Domine, et eripe animam meam: * salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, * in inferno autem quis confitebitur tibi.

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: * lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: * inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem, * quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: * Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei: * convertantur, et erubescant valde velociter.

Ant. Anima mea turbata est valde, sed tu Domine usquequo?

Ant. Deus adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

Psalmus 45.

Deus noster, refugium, et virtus: * adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dum turbabitur terra: * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatae sunt aquae eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus laetificat civitatem Dei: * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur; * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatae sunt gentes, et inclinata sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram, * auferens bella usque ad finem terrae.

Arcum conteret, et confringet arma: * et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: * exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Ant. Deus adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

℣. Per te salutem hauriamus, Virgo Maria.

℟. Ex vulneribus Christi.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Lect. VII. *Cap. 19.*

In illo tempore: Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophae, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrosii Ep.

De Institut. Virg. c. 7.

Stabat ante Crucem Mater, et fugientibus viris, stabat intrepida. Videte, utrum pudorem mutare potuerit Mater Jesu, quae animum non mutavit. Spectabat piis oculis Filii vulnera, per quae sciebat omnibus futuram redemptionem. Spectabat non degeneri Mater spectaculo, quae non metuerat peremptorem. Pendebat in Cruce Filius, Mater se persecutoribus offerebat.

℟. Quis tibi sensus fuit, o Mater dolorum, * Dum Joseph sindone Filium tuum involvit, et posuit cum in monumento?

℣. Considerate, et videte, si est dolor, sicut dolor meus. Dum Joseph.

Lectio VIII.

Ex ejusdem Ep. 25. ad Eccl. Vercell. prope fin.

Maria Mater Domini ante Crucem Filii stabat. Nullus me hoc docuit, nisi sanctus Joannes Evangelista. Mundum alii concussum in Passione Domini conscripserunt, coelum tenebris obductum, refugisse solem, in Paradisum latronem, sed post piam confessionem, receptum. Joannes docuit quod alii non docuerunt, quemadmodum in Cruce positus Matrem appellaverit. Pluris putatur, quod victor suppliciorum, pietatis officia Matri exhibebat, quam quod Regnum coeleste donabat. Nam si religiosum est, quod latroni donatur venia, multo uberioris pietatis est, quod a Filio Mater tanto affectu honoratur.

℟. In toto corde tuo gemitus Matris tuae ne obliviscaris, * Ut perficiatur propitiatio, et benedictio.

℣. Ave princeps generosa, Martyrumque prima rosa, Virginumque lilium. Ut perficiatur.

Gloria. Ut perficiatur.

Lectio IX. erit de Homilia Domin. occur.

AD LAUDES.

Et per Horas Antiph.

Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? Quo declinavit dilectus tuus, et quaeremus eum tecum?

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliq. de Laud. Domin.*

Antiph. Recedite a me, amare flebo, nolite incumbere, ut consolemini me.

Antiph. Non est ei species, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus.

Antiph. A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.

Antiph. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

Capit. Thren. 2.

Cui comparabo te? vel cui assimilabo te Filia Jerusalem? Cui exaequabo te, et consolabor te virgo Filia Sion? Magna est, velut mare, contritio tua.

Hymnus.

Summe Deus clementiae,
 Septem dolores Virginis,
 Plagasque Jesu Filii
 Fac rite nos revolvere:
Nobis salutem conferant
 Deiparae tot lacrymae,
 Quibus lavare sufficis
 Totius orbis crimina.
Sit quinque Jesu vulnerum
 Amara contemplatio,
 Sint et dolores Virginis
 Æterna cunctis gaudia.
Jesu tibi sit gloria,
 Qui passus es pro servulis,
 Cum Patre, et almo Spiritu
 In sempiterna saecula. Amen.

℣. Maria Virgo per virtutem tot dolorum.

℟. Fac nos gaudere in regno coelorum.

Ad Benedictus.

Antiph. Venite, ascendamus ad montem Domini, et videte, si est dolor, sicut dolor meus.

Oratio ut supra.

Et fit comm. Domin. occ.

Ad Primam.

℣. Qui passus es propter nostram salutem.

Ad Tertiam.

Antiph. Recedite a me.

Capitulum. Cui comparabo.

℟. *br.* O vos omnes, * qui transitis per viam. O vos.

℣. Attendite, et videte, si est dolor, sicut dolor meus Qui transitis per viam. Gl. O vos omnes.

℣. Defecerunt prae lacrymis oculi mei. ℟. Conturbata sunt omnia viscera mea.

Ad Sextam.

Antiph. Non est ei species.

Capitulum. Thren. 1. Florans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus, non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus.

℟. *br.* Defecerunt prae lacrymis, * Oculi mei. Defecerunt.

℣. Conturbata sunt omnia viscera mea. Oculi mei. Gloria. Defecerunt.

℣. Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi.

℟. Inter ubera mea commorabitur.

Ad Nonam.

Antiph. Fulcite me floribus.

Capitulum. Thren. 2. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem, et noctem; non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

℟. *br.* Fasciculus myrrhae * Dilectus meus mihi. Fasciculus.

℣. Inter ubera mea commorabitur. Dilectus. Gloria. Fasciculus.

℟. Anima mea liquefacta est.

℣. Ut dilectus locutus est.

In 2. Vesp. omnia ut in 1.

Ad Magnificat.

Antiph. Oppressit me dolor, et facies mea intumuit a fletu, et palpebrae meae caligaverunt.

Et fit commem. Domin. occ.

DIE I. SEPTEMBRIS.

S. Prisci I. Ep. Capuae, et M.

(*Cujus Corpus in Metrop. colitur*)

Dupl. 1. cl.

Orat. Deus, qui Nos B. Prisci etc.

ll. 1. n. Fidelis ser.

In II. Noct. Lectio IV.

Priscus, unus ex septuaginta duobus Christi Discipulis, ille fuisse creditur, in cujus domo Christus Dominus ultimam coenam cum Discipulis suis fecit, et Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum instituit. Cum vero post ejusdem Salvatoris nostri Ascensionem una cum beato Petro Apostolorum Principe Romam pergeret, primus Capuae Episcopus ab eodem ordinatus est, ut in hac Civitate Evangelium praedicaret, quod munus et alacriter suscepit, et feliciter adimplevit. Ut enim erat Spiritu Dei plenus, et Apostolico zelo succensus, animarum saluti tanta cura, et solicitudine incubuit, ut perditam gentem Dianae cultui magnopere deditam ab Idolorum servitute ad Cristianam religionem magna ex parte revocavit.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

Divini itaque Verbi praedicationi intentus, non longe ab Albana Porta in via, qua Beneventum itur, una cum duobus Ministris domicilium fixit, atque ibi frequentes ad Populum conciones habebat: tanta dicendi gratia, et efficacia praeditus, ut infinita gentium multitudo ad eum audiendum conflueret, non sine uberrimo Christiani nominis, et Religionis augmento. Neque animabus dumtaxat, verum etiam corporibus medebatur; nam et infirmos curabat; caecis visum, surdis au-

ditum reddebat, Daemones expellebat, mortuos suscitabat, Deo sermonem, et sanctitatem Servi sui confirmante, sequentibus signis.

℟. Desiderium animae ejus.

Lectio VI.

Quibus omnibus cum Idolis cultum subtraxisset, et maximam Christianae Religionis reverentiam conciliasset, Deorum Sacerdotes in rabiem acti, Sanctum Virum apud Proconsulem accusarunt: a quo tentus, et vinctus, ac variis tormentorum generibus excruciatus est, ut eum Idolis sacrificare compelleret. Sed fortissimus Christi athleta fidem, quam verbis, et moribus praedicaverat, proprio sanguine firmare desiderans, minas impiorum, et supplicia ea constantia pertulit, ut omnibus fuerit admirationi, multis vero saluti: uam relicto Idolorum cultu, Christianae fidei nomen dederunt. Priscus autem oculis, et manibus in Coelum sublatis: Gratias, inquit, ago tibi Domine Jesu Christe, quia me Sanctorum tuorum numero sociare dignatus es, nec me fraudasti a desiderio meo. Sit nomen tuum benedictum in saecula, et suscipe spiritum meum. Quibus dictis, pugionibus confossus est via aquaria, sedemque Episcopalem, quam primus Capuae tenuit, illustri martyrio exornavit.

℟. Stola jucunditatis.

In III. Nocturn. Homil. in Evang. Designavit Dominus, *de Comm. Evangelistarum.*

Lect. IX., et comm. S. Aegidii Abb., ac Ss. duodecim Fratrum Mm.

Die II. septembris.

S. Prisci II. Ep. Capuae, et C. *Dup. 2. cl., hic adsign. ex hen,* de com. C. P.

Ad hym. mutat. tertius versus.

Oratio. Da quaesumus etc.

In 1. n. ll. Fidelis sermo etc.

In II. Noct. Lectio IV.

Priscus in Africa Episcopali dignitate, ac fidei Catholicae confessione illustris, saeviente in ea Provincia Wandalica persecutione, una cum aliis, qui Arii perfidiam detestabantur, varie afflictus, ex sede pulsus, navi tandem vetustae absque remigio cum sociis impositus, ut omnes in mari perirent. Deo navim gubernante, ex Africa ad Campaniae littora pervenit. Fuerunt autem ejus socii Castrensis, Tammarus, Rosius, Heraclius, Secundinus, Adjutor, Marcus, Augustus, Elpidius, Canior, et Vindonius, qui per varia loca dispersi, et diversis Ecclesiis praefecti, fidem mirifice propagarunt. Prisco autem Capua obtingit, quam Ecclesiam sanctissime rexit, ac ibidem plenus meritis, et virtutibus in pace quievit.

℟. Inveni David etc.

Lectio V. et VI. Ad sancti, ac beatissimi Patris nostri Prisci, *de eodem Commu. 1. loco.*

In III. Noct. Homil. in Evang. Homo peregre *de eod. com. 1. loco.*

Die III. septembris.

Ss. Aristæi Ep. Cap. et Antonini pueri. Mm. dup.

Oratio. Deus, qui Nos concedis etc. *de com. pl. Mm. ll. 1. n. de Scr., rel. de eod. com. 1. loco.*

Die IV. septembris.

S. Rosaliae Virg. *Semid.*

Oratio.

Exaudi nos Deus salutaris noster: ut sicut de beatae Rosaliae

virginis tuae festivitate gaudemus; ita piae devotionis erudiamur affectu, et ejus intercessione ab iracundiae tuae flagellis misericorditer liberemur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Rosalia Virgo, orta Panormi ex nobili genere, suam originem trahens a Carolo Magno, in Quisquinae montem quadraginta circiter mille passibus distantem, sola secedens, paternae domus opes, delicias, ac spem majoris amplitudinis, ob propinquitatem, et benevolentiam Regum Siciliae, contemnens, cum tetricae rupis horrore, et asperitate commutavit: inque antrum, cui tunc unicus, et quidem angustus aditus è superiori loco patebat, intrepide descendit, ea mente, quam characteribus saxo insculptis adhuc patentibus expressit: Ego Rosalia Sinibaldi Quisquinae, et Rosarum Domini filia, amore Domini mei Jesu Christi in hoc antro habitare decrevi. Qua inscriptione oculis obversante, susceptae vitae propositum altius cordi infingere, ac Divinae benevolentiae signa ad castissimae mentis blandimenta vicissim provocare consuevit.

Lectio V.

In hac specu subterranea, sibi et mundo emortua, consepultaque Jesu Christo, ut soli Deo viveret, diu noctuque latuit, cavens praecipue in montibus paterni Principatus, ne forte agnita, in domum, urbemque patriam adduceretur invita. Callidas daemonum insidias, quae asperæ vitae taedium, et solitudinis horrorem animo ingerebant, acriter saeviendo in se ferrea catena, vigiliis, et humi cubatione forti animo superasse antiquae Icones significant. Cumque humanis destituta praesidiis, nihil solatii aliunde hauriret, quam è Coelo: Dominus, qui consolatur, et coronat Sanctos suos, Angelicis deliciis illam saepius recreabat.

Lectio VI.

Coelesti deinde consilio ex antro Quisquinensi in horridiorem speluncam peregrini montis, tribus fere mille passibus procul Panormo, Rosalia se transtulit; ut quo difficiliorem pugnam secum ipsa committeret e conspectu domus paternae, eo laudabilius de contemptis mundi illecebris triumpharet. Latebat ibi ad partem lævam angustus concavus, quem eadem post repertas ejus reliquias illuc venanti, cui se videndam praebuit, dixit esse suam cellam peregrinam, ubi multum aetatis exegisset. Hic tanquam columba in foraminibus petrae gemens, in coelestium rerum contemplatione defixa, ad perfectissimam divini amoris normam in solitudine vitam traduxit, et sanctissime perennibus charitatis rosis, et virginitatis liliis coronata, deposuit pridie Nonas Septembris. Cujus corpus Urbano Octavo Pontifice Maximo divinitus anno Jubilaei totius Siciliae plausu repertum, illam a peste liberavit.

In III. Noct.

Homil. in Evang. Simile erit Regnum Coelorum decem Virginibus.

Die V. septembris.

Ss. Quintii, Arcontii, et Donati Mm. Cap. *Dup.*

Omn. de Com. plur. Mart.

Orat. Deus qui nos concedis.

In 1. Noct. ll. de scrip., reliq. de eodem Com. 1. loco.

DIE VII. SEPTEMBRIS.

S. Pamphili Ep. Capuae, et Conf. *dup.*

Oratio. Da quaesumus.

Lect. 1. n. de Scr., rel. omn. de eod. com. 1. loco.

DIE IX. SEPTEMBRIS.

S. Sergii I. Pp. C.

Duplex.

Oratio. Da quaesumus.

In 1. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Sergius, Antiochenus genere, Tiberio patre, Panormi in Sicilia natus, Conone vita functo, anno Christi sexcentesimo octogesimo septimo, annuente Deo, et suffragantibus omnium votis, in sacro Lateranensi Palatio assumptus, foedissimum schisma, quod Exarchi Imperatoris avaritia, et Paschalis Archidiaconi ambitio excitarant, in ipso ortu extinxit. Adeodato Pontifice, Romam veniens, in Ecclesiae Romanae Clerum ab eodem adscitus, et a Leone, hujus nominis Secundo, Presbyter Tituli Sanctae Susannae ordinatus, impigre suo munere defunctus est.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Canones a Graecis sextae Synodo dein affixos, instante licet, et dira minante, Imperatore, admittere noluit, sed ut spurios non sine vitæ periculo, constanter abjecit. Magnam Dominicae Crucis portionem, revelante Deo, a se inventam, in Basilica Constantiniana populo adorandam collocavit. Corpus Sancti Leonis in obscuro conditum angulo, Dei nutu inde amovit, et ornatiori loco omnibus colendum exposuit. Basilicam demum Vaticanam innumeris donis ornavit, egregiis certe amoris sui erga Principem Apostolorum monumentis.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Kilianum, et socios martyrio deinde affectos, in Germaniam, Villebrordum, et Suvibertum, cum sociis in Frigiam, aliasque circumjectas regiones misit, in quibus maximum Paganorum numerum ad Christi fidem converterunt. Coaduallum Britonum Regem Romam venientem excepit, et sacro Baptismate tinxit. Ravennatibus Damianum; Legionensibus Ubertum; Britannis Berectualdum Episcopos ordinavit. Statuit, ut Liturgiae sacrae pius versus: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, adderetur Meritis denique plenus, postquam sedisset tresdecim annis, mensibus octo, sancto fine quievit, ac sepultus est in Vaticano.

℟. Iste est, qui.

In tertio Noct. Homil. in Evang. Homo peregre, *cum IX. Lect. S. Gorgonii M. comm. Oct. Nat., ac ejusdem S. Mart.*

DIE XI. SEPTEMBRIS. EX 26. AUG.

S. Zephyrini Pp. M.

Duplex. *Oratio.*

Praesta, quaesumus omnipotens Deus, ut Beati Zephirini Martyris tui, atque Pontificis, cujus gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per Dominum.

In I. noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Zephyrinus Romanus, Severo Imperatore ad regendam Ecclesiam assumptus, sancivit, ut qui or-

dinandi essent, opportuno tempore, et multis praesentibus Clericis, et Laicis, de more, sacris initiarentur : doctique, ac spectatae vitae homines ad id officii munus deligerentur. Decrevit praeterea, ut rem divinam facienti Episcopo Sacerdotes omnes adstarent. Idem instituit, ut Patriarcha, Primas, Metropolitanus, adversus Episcopum non ferant sententiam, nisi Apostolica auctoritate fulti. Vixit in Pontificatu annos decem et octo. Habuit Ordinationes quatuor mense Decembri, quibus creavit Presbyteros tresdecim, Diaconos septem, Episcopos per diversa loca tresdecim. Antonino Imperatore martyrio coronatus est, et sepultus via Appia prope Coemeterium Callisti, septimo Kalendas Septembris.

DIE XII. SEPTEMBRIS.

S. Hilari Pp. C.

Duplex.

Orat. Exandi.

In I. noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Hilarus, natione Sardus, patre Crispino genitus, post Sancti Leonis transitum, Romanae Ecclesiæ Pontifex factus est. Eum adhuc Diaconum, idem Leo Legatum destinavit pro Ephesina Synodo celebranda. Sed cum Dioscori Alexandrini Episcopi furore per vim, et metum Ephesi patrarentur indigna, Hilarus vix effugiens per invia loca, et multa pericula, divina ope liberatus, ad Leonem reversus est. Pontifex autem renunciatus, nihil antiquius habuit, quam quae contra Haereticos constituta fuerant, suo decreto firmare. Quamobrem Encyclicam Epistolam scripsit de damnatione Nestorii, et Euthychetis, ac trium praecipuorum confirmatione Conciliorum.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Ab eo invitatus Victorinus, natione Aquitanus, Paschalem cursum cautissima indagatione composuit. Ecclesiasticae disciplinae retinentissimus, nullum voluit Episcopum per Ecclesias consecrari, praeter Metropolitani consensum, nec Episcopum quempiam relicta propria Ecclesia, ad aliam transferri, neque transcendi terminos a Patribus constitutos. Leontium Arelatensem Episcopum, suæ Sedis Vicarium constituit per Gallias, cui solicitudinem in congregandis quotannis Episcopis, delegavit. Ecclesiae praedia, quae neque deserta, neque inutilia essent, quibus plurimorum necessitatibus subveniretur, alienari, nisi prius apud Concilium alienationis causa dicta, prohibuit; aliaque complura sancte decrevit in ea Synodo, quam apud Sanctam Mariam Majorem coegit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Anthemium Imperatorem, cum Philotheus Macedonianus ejus familiaritate suffultus, nova diversarum Conciliabula sectarum in Urbem conaretur inducere, apud Beatum Petrum Apostolum, palam ne id fieret objurgando cohibuit: in tantum ut ea non fore introducenda promiserit Imperator, interposito etiam juramento. Fecit in Constantinianae Basilicae Baptisterio Oratoria quatuor, nempe Sanctae Crucis, Sancti Joannis Baptistae, Sancti Joannis E-

vangelistae, et Sancti Stephani, ac insuper Bibliothecas duas. Monasterium construxit una cum balneo, et Praetorio, ad Sanctum Laurentium foris, alterumque in Urbe ad Lunam. Plura, atque magnifica tum alia ornamenta ex auro, argento, lapidibusque pretiosis, sacris locis contulit. Constituit in Urbe Ministeriales, qui praefixas obirent Stationes. Pro communi Sacerdotum Domini concordia solicite procuravit, ne sua auderent quaerere, sed quae essent Christi studerent obtinere. Demum ipse corpore solutus, abiit in coelum regnaturus cum Christo, quarto Idus Septembris, sub Imperatoribus Leone, et Anthemio, ejusque corpus sepultum fuit ad Sanctum Laurentium in Crypta juxta corpus Beati Syxti. Una Ordinatione mense Decembri, creavit Presbyteros viginti quinque, Diaconos sex, Episcopos per diversa loca viginti duos. Apostolicae Sedis regimen tenuit annos sex, menses novem, dies viginti et octo.

℣. Iste est.

In III. Noct. Homil. super Evang. Vigilate.

In Laud. fit comm. Octav. Nativitatis Beatae Mariae Virginis.

Die XIII, septembris ex 13. aug.

S. Philumenae V. et M.

Duplex Minus.

In I. Noct. lect. de scr.

In II. Noct.

Lectio IV.

Inter cætera Martyrum sepulchra, quae in Coemeterio Priscillae ad Viam Salariam reperiri solent, illud extitit, quo repositum fuerat Sanctae Philumenae Corpus, uti ex Tumuli inscriptione tribus laterculis apposita perlegebatur. Licet vero inventa ibidem fuerit phiala sanguinis, et alia insculpta conspicerentur Martyrii insignia, dolendum tamen est res ab eadem gestas, actaque, ac genus Martyrii, quod ipsa fecit, obscura perstitisse. Caeterum ubi primum sacrum hoc Corpus, ex beneficentia Pii Septimi initio Pontificatus ejus acceptum, cultui fidelis populi propositum fuit Mugnani, in Nolana Dioecesi, ingens illico famae celebritas, ac religio erga Sanctam Martyrem percrebuit, praesertim ob signa, quae ejusdem praesidio accessisse undique ferebantur. Hinc factum est, ut complurium Antistitum, cultorumque Martyris postulationibus permotus Gregorius Decimus Sextus Pontifex Maximus, universa rei ratione mature perpensa, Festum ejusdem cum Officio, et Missa in memorata Nolana Dioecesi, et alibi agendum benigne permiserit.

Lect. V. et VI. de eod commu. 1. loc.

Lect. III. Noct. Hom. in Evang. Simile est regnum etc. *cum IX. Lect., et com. Ss. Hippoliti, et Cassiani Mm.*

Die XVI. septembris.

Ss. Cornelii Pp., et Cypriani E. Mm.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

Die XVIII. septembris

In festo S. Josephi a Cupertino *Conf. Ordin. Minor. S. Francisci Convent. dupl.*

In I. Vesp. Ad Magnif.

Ant. Mortuus sum, et vita mea est abscondita cum Cbisto in Deo.

Oratio.

Deus, qui ad Unigenitum Filium

tuum exaltatum a terra omnia trahere disposuisti: perfice propitius, ut meritis et exemplo Seraphici Confessoris tui Josephi, supra terrenas omnes cupiditates elevati ad eum pervenire mereamur. Qui tecum vivit, et regnat.

In I. noct.

De Epistola secunda B. Pauli Apostoli ad Corinthios.

Lect. I. Cap. 4. 6. ad 12.

Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Jesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus: semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum: ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali.

Lect. II. Cap. 5. v. 1. ad 9.

Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quae de coelo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inveniamur. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri; ut absorbeatur, quod mortale est, a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino: (Per fidem enim ambulamus, et non per speciem.) Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.

Lect. III. Cap. 12. v. 1. ad 10.

Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad visiones, et revelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium coelum. Et scio hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum, et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui. Pro hujusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis. Nam et si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem autem dicam: parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae Angelus Satanae, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me: et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.

In II. noct. Lectio IV.

Josephus a Cupertino, Oppido in Salentinis Dioecesis Neritonen-

sis, anno reparatae salutis millesimo sexcentesimo tertio, piis ibidem parentibus ortus, Deique amore praeventus, pueritiam, atque adolescentiam summa cum simplicitate, morumque innocentia transegit. A diuturno molestoque morbo patientissime tolerato, Deiparae Virginis ope, liberatus, se totum pietatis operibus, ac excolendis virtutibus dedit: utque Deo ad majora vocanti se intimius conjungeret, Ordini Seraphico nomen dare constituit. Post varios eventus, voti tandem compos factus, apud Minores Conventuales in Cœnobio Cryptulae, inter Laicos primum ob litterarum imperitiam, deinde inter Clericos, divina dispositione, connumeratus est. Sacerdotio post solemnia vota initiatus, perfectius sibi vitae institutum proposuit. Quamobrem mundanis quibuscumque affectibus, terrenisque rebus pene ad vitam necessariis illico a se abdicatis, ciliciis, flagellis, catenis, omni demum asperitatum, ac poenarum genere corpus afflixit; spiritum vero sanctae orationis, altissimaeque contemplationis assiduitate dulciter enutrivit. Hinc factum est, ut Charitas Dei, quae jam erat in ejus corde a prima aetate diffusa, miro, planeque singulari modo in dies coruscaverit.

Lectio V.

Eluxit praecipue ardentissima ejus charitas in ecstasibus ad Deum suavissimis, stupendisque raptibus, quibus frequenter afficiebatur. Mirum autem, quod alienato a sensibus animo, statim ab ecstasi eum revocabat sola obedientia. Hanc quippe virtutem eximio studio prosequebatur, dicere solitus, se ab ea veluti coecum circumduci, et mori potius velle, quam non obedire. Paupertatem vero Seraphici Patriarchae ita aemulatus est, ut morti proximus Praelato suo asserere vere potuerit, se nihil habere, quod more Religiosorum resignaret. Itaque Mundo sibique mortuus, vitam Jesu manifestabat in carne sua, quae dum in aliquibus ex turpitudine obscœnum flagitium sentiebat, prodigiosum de se efflabat odorem, indicium nitidissimae illius puritatis, quam immundo Spiritu vehementissimis tentationibus frustra obnubilare diu conante, servavit illaesam, tum arcta sensuum custodia, tum jugi corporis maceratione, tum denique speciali protectione purissimae Virginis Mariae, quam Matrem suam appellare consuevit; ac veluti Matrem dulcissimam intimo cordis affectu venerabatur, eamque ab aliis venerari exoptabat, ut cum ejusdem patrocinio, sicut ipse ajebat, omnia bona consequerentur.

Lectio VI.

Haec Beati Josephi solicitudo a sua erga proximos charitate prodibat; tanto enim animarum zelo exardebat, ut omnium salutem modis omnibus instantissime procuraret. Extendens pariter charitatem suam in proximum, sive pauperem, sive infirmum, sive quacumque alia tribulatione vexatum, quantum in ipso erat, illum recreabat. Nec alieni erant ab ejus charitate, qui objurgationibus, probris, omnisque generis injuriis ipsum appeterent; nam eadem patientia, mansuetudine, vultusque hilaritate talia excipiebat, qua tot inter, ac tantas vi-

cissitudines resplenduit, dum vel Moderatorum Ordinis, vel Sacrae Inquisitionis jussu hac illac errare, versarique coactus est. Quamquam vero Populi non solum, sed Viri Principes eximiam ejus sanctitatem, et superna charismata admirarentur; ea nihilominus erat humilitate, ut magnum se peccatorem reputans Deum enixe deprecaretur, ut sua ab eo illustria dona removeret; homines vero exoraret, ut in eum locum mortuum ejus corpus injicerent, ubi memoria sui esset prorsus oblitterata. At Deus qui ponit humiles in sublime, quique servum suum, dum viveret, coelesti sapientia, prophetia, cordium perscrutatione, curationum gratia, caeterisque donis cumulatissime exornaverat, ejus quoque mortem iis, quibus ipse antea praedixerat, loco ac tempore, anno aetatis suae sexagesimo primo, Auximi in Piceno pretiosam reddidit, sepulcrumque gloriosum. Illum denique etiam post obitum miraculis coruscantem Benedictus Quartusdecimus Beatorum, et Clemens Tertiusdecimus Sanctorum fastis adscripsit; ejus autem Officium, et Missam Clemens Quartusdecimus ejusdem Ordinis ad Universam Ecclesiam extendit.

In III. Noct.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. · *Cap. 22.*

In illo tempore loquebatur Jesus Principibus Sacerdotum, et Pharisaeis in parabolis dicens: Simile factum est Regnum Coelorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papae.

Lib. 2. Homiliar. Homil. 38. circa medium.

Quia jam largiente Domino, nuptiarum Domum, idest Sanctam Ecclesiam, intrastis, solerter, Fratres, aspicite, ne aliquid de mentis vestrae habitu Rex ingrediens reprehendat. Cum magno enim cordis timore pensandum est, quod protinus subditur: Intravit autem Rex, ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Quid, Fratres charissimi, exprimi per nuptialem vestem putamus? Si enim vestem nuptialem baptisma, vel fidem dicimus, quis sine baptismate, et fide has nuptias intravit? Eo enim ipso foris est, qui necdum credidit. Quid ergo debemus intelligere nuptialem vestem, nisi charitatem? Intrat enim ad nuptias, sed cum nuptiali veste non intrat, qui in Sancta Ecclesia assistens fidem habet, sed charitatem non habet. Recte enim charitas nuptialis vestis vocatur, quia hanc in se Conditor noster habuit, dum ad sociandae sibi Ecclesiae nuptias venit.

Lectio VIII.

Sola quippe dilectione Dei actum est, ut ejus Unigenitus mentes sibi electorum hominum uniret. Unde et Joannes dicit: Sic enim dilexit Deus Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret pro nobis. Qui ergo per charitatem venit ad homines, eamdem charitatem innotuit vestem esse nuptialem. Omnis ergo vestrum, qui in Ecclesia positus Deo credidit, jam ad nuptias intravit: sed cum nuptiali veste non venit, si charitatis gratiam

non custodit. Et certe, Fratres, si quis ad carnales nuptias esset invitatus, vestem mutaret, congaudere se Sponso, et Sponsae ex ipso sui habitus decore ostenderet, inter gaudentes, et festa celebrantes despectis vestibus apparere erubesceret. Nos ad Dei nuptias venimus, et cordis vestem mutare dissimulamus. Congaudent Angeli, cum ad coelum assumuntur electi. Qua ergo mente haec spiritualia Festa conspicimus, qui nuptialem vestem, id est charitatem, quae sola nos speciosos exhibet, non habemus.

Lectio IX.

Sciendum vero est, quia sicut in duobus lignis, superiore videlicet, et inferiore vestis texitur: ita in duobus praeceptis charitas habetur, in dilectione scilicet Dei, et Proximi. Scriptum quippe est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua, et proximum tuum sicut te ipsum. Qua in re notandum est, quia in dilectione Proximi mensura amoris ponitur, cum dicitur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dei autem dilectio nulla mensura constringitur, cum dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota virtute tua. Non enim jubetur quisque quantum diligat, sed ex quanto, cum dicitur, ex toto; quia ille veraciter Deum diligit, qui sibi de se nihil relinquit. Duo ergo necesse est, ut charitatis praecepta custodiat, quisquis habere in nuptiis vestem nuptialem curat.

Ad Benedictus.

Antiph. Ostendit mihi Dominus fluvium aquae vivae, splendidum tamquam crystallum procedentem de sede Dei, et Agni.

In 2. Vesp. ad Magnif.

Antiph. Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei.

DIE XIX. SEPTEMBRIS.

In festo S. Januarii Episc. et M. Princ. Patr. Regni Neap.

Dupl. 1. cl. cum oct.

Antiph. Ad Magnif.

In 1. Vesp.

Beatus Januarius Praesul, et Martyr inclytus, extinxit impetum ignis, obturavit ora ferarum, et in occisione gladii pro Christo mortuus, legitimi certaminis coronam accepit.

Oratio.

Deus, qui per Beati Januarii Martyris tui, atque Pontificis confessionem, et sanguinem, admirabili testimonio, ac triumpho Ecclesiae tuae fidem illustrare dignatus es: quaesumus, ut ejusdem nos Fidei consortio, et patrocinio munitos, triumphi etiam, et gloriae participes efficias. Per Dominum.

Lect. I. Noct. A Mileto.

In II. Noct.

Lect., ut in Breviario hac die, ℟℟. vero de com. unius Mart.

In III. Noct.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. *Cap. 10. h.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 24. in Matth. post init.

Cum Dominus omnem solicitudinem a discipulorum cordibus eje-

cerit, et ostensione signorum armaverit, atque ab omnibus negotiis saecularibus alienatos, et ab omni temporalium rerum cura liberatos, ferreos quodammodo atque adamantinos fecerit, tum denique eventura illis adversa praedicit. Multa enim ex hac praedictione futurarum rerum commoda consequebantur. Primum, ut ejus praescientiae vim ediscerent. Deinde, ut nemo suspicaretur ex magistri infirmitate tam gravia mala descendere. Praeterea, ne qui ea passuri erant, subito ac inopinato rerum eventu perturbarentur. Denique, ne cum ista sub ipsum passionis suae tempus audirent, nimium commoverentur.

℟. Corona aurea.

Lectio VIII.

Jam vero, ut intelligant novum hoc esse belli genus, et insolitum praeliandi morem, cum illos nudos mitteret, una indutos tunica, sine calceis, absque virga, et absque zona et pera, et ab excipientibus ali juberet: non fecit hic dicendi finem, sed inexplicabilem virtutem suam proferens: etiam sic euntes, inquit, mansuetudinem tamen ovium ostendite, quamvis ad lupos ituri, nec simpliciter ad lupos, sed etiam in medio luporum. Neque vero ovium tantum mansuetudinem habere jubet, sed etiam columbae simplicitatem: sic enim virtutem meam maxime ostendam, cum ab ovibus lupi superabuntur; et quamvis illae sint in medio luporum, et innumeris morsibus lacerentur, non modo non consumptae fuerint, verum etiam illos in sui naturam transmutaverint.

℟. Hic est vere Martyr.

Lectio IX.

Majus certe, atque admirabilius est mentem adversariorum commutare, et animum in diversum transferre, quam illos occidere: praesertim cum duodecim tantum essent, et lupis plenus esset orbis universus. Erubescamus igitur, qui longe diversa facientes, tamquam lupi in adversarios ruimus. Nam quamdiu oves fuerimus, vincimus, etiamsi mille circumstent lupi, superamur et victores sumus: quod si lupi fuerimus, vincimur. Tunc enim a nobis pastoris auxilium recedit, qui non lupos, sed oves pascit.

Ad Benedictus.

Antiph. Igne me Domine examinasti, et non est inventa in me iniquitas: propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea.

In 2. Vesp. Ad Magnif.

Antiph. Liberasti me Domine a rugientibus praeparatis ad escam, et a praessura flammae, quae circumdedit me, et in medio ignis non sum aestuatus.

Die XXIII. septembris.

S. Lini Pp. M.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

Die XXV. septembris.

S. Mariae de Cervellione V.

Dupl. min.

Ad Magnif.

Antiph. Flagellis, et catena Maria corpus domabat: silentio, et abstinentia animum custodiebat: orationibus incessanter instabat, docens Christi Sponsas vas corruptibile in sanctificatione, et honore possidere.

Oratio.

Deus, qui nos conspicis in tot

periculis constitutos pro nostra fragilitate non posse subsistere: concede propitius, ut intercedente Beata Maria famula tua de præsentis vitae fluctibus educti, ad aeternae salutis portum pervenire valeamus. Per Dominum etc.

In I. noct. Lect. de Scr. occ.

In II. noct. Lectio IV.

Maria nobili Familia de Cervellione, Barchinonae in Hispania nata, et a parentibus in Dei timoris primis ab annis enutrita, virginitatem suam, cum decem et octo esset annorum, illi devovit. Ejus vivendi ratio erat, in publicum rarius prodire, aegrotantibus domesticis sedulo adesse, et in Nosocomio ter in hebdomada pauperibus ministrare. Annum trigesimum agens, defuncto Patre, habitum Ordinis Sanctae Mariae de Mercede, prima ex feminis suscipiens, Sanctimonialibus ejusdem Ordinis Ducem, Magistram, et exemplar se praebuit; ac distributo patrimonio in Redemptionem captivorum, professionem in eodem Ordine, una cum voto de laborando pro redimendis captivis, emisit.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

Matre e vivis sublata, cum aliquot honestis feminis ejusdem Instituti, piam sanctamque vitam peregit: solita quotidie mulierum a suis Fratribus redemptarum, ac Barchinonam advenientium pedes in Hospitali domo lavare: quinquies in hebdomada Sacra Eucharistia refici: terque jejunare solo pane, et aqua contenta: quotidianis flagellis insuper, et ferrea catena corpus suum affligens. Silentium, quod mira observantia colebat, inanibus verbis numquam infregit; ac parcius indulgens somno, expetebat ab hujusmodi necessitate liberari, ut illo solo frueretur incessanter, quo jucundantur Coeli, et Angeli laetantur. Quod diurni temporis supererat ab oratione, et pietatis exercitiis, in pauperes juvandos impendebat; nullum officii genus praetermittens, quo afflictos consolaretur, oppressos liberaret, et vinctos educeret de carceribus.

℟. Dilexisti.

Lectio VI.

Futuras maris tempestates praenuntiabat, illasque saepe suis orationibus sedavit; visa aliquoties super undas incedere, quo Fratres Captivorum redemptores, aliosque in mari periclitantes servaret incolumes; unde ei Mariae de Subsidio, vulgo de Socos, nomen est inditum. Denique post multa virtutum insignia, Barchinonae migravit ad Dominum, decimo tertio Kalendas Octobris, anno salutis millesimo ducentesimo nonagesimo. Ejus corpus, ex quo suavissimus odor manabat, sepultum est in Ecclesia Fratrum Ordinis sui: quod nonagesimo post anno, Episcopo Barchinonensi, Petro Aragoniae Rege, ceterisque Aulae, et Civitatis Primatibus adstantibus, solemni pompa elatum, incorruptum repertum fuit, ac decentiori loco, ubi religiose colitur, asservatum.

℟. Afferentur Regi.

In III. Noct.

Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Simile est Regnum Coelorum, decem Virginibus.

Ad Bened.

Antiph. Adducentur in laetitia, et exultatione Regi Domino Virgines post Mariam, ut in sanctitate, et justitia serviant illi, et quocumque ierit ipsum Agnum sequantur.

In 2. Vesp. Ad Magnif.

Antiph. Maria, et venti Mariae obediunt, Angelici candoris virtute pollenti: aquae multae cesserunt ardori charitatis ejus.

Die XXVI. septembris.

In die Octava S. Januarii Episc. et Mart.

Duplex.

Offic. de comm. unius. Mart. In I. Noct. Lect. de scr. occ Lect. II., et III. Noct. Ut in die Oct. Translat. ejusd. in hoc libello fol. 117.

Nona lect. erit de duabus Ss. Cypriani, et Justinae Mm.

Antiph. Ad Bened., et ad Magnif. prop., ut in festo.

FESTA OCTOBRIS.

Dom. II. octobris.

Maternitatis B. M. V.

Duplex majus.

Ad Vesperas.

Antiph. Beata es Virgo Maria, *cum reliq. de Laudibus.*

Psalmi ut in ejus Offic. parvo.

Capitulum. Eccl. c. 24.

Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo: et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in electis meis mitte radices.

Hymn. Ave maris stella.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Magnificat.

Antiph. Cum jucunditate Maternitatem Beatae Mariae semper Virginis celebremus.

Oratio.

Deus, qui de Beatae Mariae Virginis utero Verbum tuum, Angelo nunciante carnem suscipere voluisti: praesta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Dominum nostrum.

Et fit comm. Domin. oc.

In fine Hymnorum dicitur:

Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

Ad Matutinum.

Invitator. Maternitatem Beatae M. Virginis celebremus: * Christum ejus Filium adoremus Dominum.

Psal. Venite.

Hymnus.

Coelo Redemptor praetulit
Felicis alvum Virginis,
Ubi caduca membra
Mortale corpus induit.
Haec Virgo nobis edidit
Nostrae salutis auspicem,
Qui nos redemit sanguine,
Poenas, Crucemque pertulit.
Spes lacta nostro e pectore
Pellat timores anxios:
Haec quippe nostras lacrymas,
Precesque defert Filio.
Voces parentis excipit,
Votisque Natus annuit;
Hanc quisque semper diligat,
Rebusque in arctis invocet.
Sit Trinitati gloria,
Quae Matris intactum sinum
Ditavit almo germine,
Laus sit per omne saeculum. Am.

IN I. NOCT.

De libro Ecclesiastici.

Lectio I. *Cap. 24.*

Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in coelis, ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum coeli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi: in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti, et in omni populo, et in omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi: et in his omnibus requiem quaesivi, et in haereditate Domini morabor.

℟. Felix es sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: * Ex qua ortus est Sol justitiae Christus Deus noster, per quem salvati, et redempti sumus.

℣. Maternitatem beatae Mariae Virginis cum gaudio celebremus. Ex qua.

Lectio II.

Tunc praecepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi; in Jacob inhabita, et in Israel haereditare, et in electis meis mitte radices. Ab initio, et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum; et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei haereditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

℟. Sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris: * Qui coelum, terramque regit, in tua se clausit viscera factus homo.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Qui.

Lectio III.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosae in Jericho. Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi; quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris, et quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mixtum odor meus. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris, et gratiae. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.

℟. Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas:* Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, Sancta Dei Genitrix. ℣. Sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam Sanctam Maternitatem. Speciosa. Gloria Patri. Speciosa.

IN II. NOCT.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Lectio IV.

Ex Serm. S. Leonis Papae.

Serm. 1. de Nativ. Dom.

Virgo regia Davidicae stirpis eligitur, quae sacro gravidanda foetu, divinam, humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore: et ne superni ignara con-

silii ad inusitatos paveret affatus, quod in ea operandum erat a Spiritu Sancto, colloquio didicit Angelico, nec damnum credidit pudoris Dei Genitrix mox futura. Cur enim de conceptionis novitate desperet, cui efficientia de Altissimi virtute promittitur? Confirmatur credentis fides etiam praecuntis attestatione miraculi. Donatur Elisabet inopinata foecunditas, ut qui conceptum dederat sterili, daturus non dubitaretur et Virgini. Verbum igitur Dei Filius, qui in principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, propter liberandum hominem ab aeterna morte, factus est homo.

℟. Gloriosae Virginis Mariae Maternitatem dignissimam recolamus: * Cujus Dominus humilitatem respexit, quae, Angelo nuntiante, concepit Salvatorem Mundi. ℣. Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate mirabilis Genitricis Dei. Cujus.

Lectio V.

Serm. 2. de Nativ. Domin.

Ingreditur haec infima Jesus Christus Dominus noster de coeli sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris: incomprehensibilis voluit comprehendi, ante tempora manens, esse coepit in tempore. Nova autem nativitate genitus est: conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paternae carnis concupiscentia, sine maternae integritatis injuria, quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanae substantiae naturam, et humanae carnis inquinamenta nesciret. Origo dissimilis, sed natura consimilis: humano usu, et consuetudine, quod credimus, caret; sed divina potestate subnixum est, quod Virgo conceperit, Virgo pepererit, Virgo permanserit.

℟. Benedicta filia tu a Domino, quia per te fructum vitae communicavimus. * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, et a periculis cunctis libera nos Sancta Dei Genitrix. Sola.

Lectio VI.

Oportuit, ut primam Genitricis integritatem nascentis incorruptio custodiret, et complacitum sibi claustrum pudoris, et sanctitatis hospitium Divini Spiritus virtus infusa servaret, quae statuerat dejecta erigere, confracta solidare, et superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiae donare virtutem; ut Virginitas, quae in aliis non poterat salva esse generando, fieret aliis imitabilis renascendo. Hoc ipsum autem, quod Christus nasci elegit ex Virgine, nonne apparet altissimae fuisse rationis? ut scilicet humano generi natam salutem diabolus ignoraret, et spirituali latente conceptu, quem non alium videret, quam alios, non aliter crederet natum esse, quam ceteros. Quod ut fieret, editus est Christus ex Virgine, quam Spiritus Sanctus foecundavit, et cum in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio, haec inde purgationem traxit, unde concepit.

℟. Benedicta tu inter mulieres;

et benedictus fructus ventris tui: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me.

℣. Respexit humilitatem ancillae suae, et fecit mihi magna, qui potens est. Unde. Gloria. Unde.

IN III. NOCT.

℣. Fecit mihi magna, qui potens est.

℟. Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *cap. 3.*

In illo tempore: Cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Hom. 1. de Laud. Virg. Matr.

Deum, et Dominum Angelorum Maria suum filium appellat: dicens: Fili, quid fecisti nobis sic? Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, et pro magno habent, quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sint, et vocati Angeli, testante David: qui facit Angelos suos spiritus. Maria vero Matrem se agnoscens, Majestatem illam, cui illi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium: nec dedignatur nuncupari Deus, quod esse dignatus est. Nam paulo post subdit Evangelista: Et erat subditus illis. Quis? quibus? Deus hominibus, Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus, et Potestates obediunt, subditus erat Mariae.

℟. Beata es, Virgo Maria Dei Genitrix, quae credidisti Domino, perfecta sunt in te, quae dicta sunt tibi: Propterea benedixit te Deus in aeternum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis: intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Propterea.

Bened. Cujus festum colimus, ipsa Virgo Virginum.

Lectio VIII.

Mirare utrumlibet, et elige quod amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum. Et quod Deus feminae obtemperet, humilitas absque exemplo: et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum quocunque ierit. Quibus ergo laudibus judicas dignam, quae etiam praeit? Disce, homo, obedire, disce, pulvis, obtemperare. De Auctore tuo loquens Evangelista: Et erat, inquit, subditus illis. Erubesce, superbe cinis: Deus se humiliat, et tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te praeponis Auctori?

Felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas. Et quidem singularis virginitas, quam non temeravit, sed honoravit foecunditas. Et nihilominus specialis humilitas, quam non abstulit, sed extulit foecunda virginitas: et incomparabilis prorsus foecunditas, quam virginitas simul comitatur et humilitas. Quid horum non mirabile? quid non incomparabile? Quid non singulare? Mirum vero si non haesitas in horum ponderatione, quid tua judices dignius admiratione, utrum videlicet potius stupenda sit foecunditas in

Virgine, an in Matre integritas: sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas? Nisi quod indubitanter horum singulis praeferenda sunt simul cuncta, et incomparabiliter, excellentius est atque felicius omnia percepisse, quam aliqua. Et quid mirum, si Deus, qui mirabilis cernitur, et legitur in Sanctis suis, mirabilem se exhibuit in Matre sua? Veneramini ergo, conjuges, in carne corruptibili carnis integritatem: Vos sacrae virgines in Virgine foecunditatem. Imitamini, omnes homines, Dei Matris humilitatem.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia, cum essem parvula, placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum, et hominem. ℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et. Gloria. Et.

IX. Lect. de Hom. Dom.

AD LAUDES.

Et per Horas, Antiph.

Beata es Virgo Maria, quae omnium portasti Creatorem.

Psal. Dominus regnavit, *cum rel de Dom.*

Ant. Genuisti; qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo.

Ant. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Dominus.

Ant. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Ant. Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et Reginae laudaverunt eam.

Cap. *Ecc. 24.*

Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi, in Jacob inhabita, et in electis meis mitte radices.

Hymnus.

Te Mater alma Numinis
Oramus omnes supplices,
A fraude nos ut demonis
Tua sub umbra protegas.
Ob perditum nostrum genus,
Primi parentis crimine,
Ad inclytum Matris decus
Te Rex supremus extulit.
Clementer ergo prospice
Lapsis Adami posteris:
A te rogatus Filius
Deponat iram vindicem.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

℣. Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob.

℣. Virgo peperit Salvatorem, te laudamus, Deus noster.

Ad Benedictus.

Ant. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam admirabilem Maternitatem.

Oratio ut sup. ad vesp.

Et fit comm. Dom. occ.

Ad Primam.

In ℟. br. Qui natus es de Maria.

Ad Tertiam.

Antiph. Genuisti, qui te.

Capitulum.

Qui creavit me. *ut supra.*

℟. *br.* Specie tua * Et pulchritudine tua. Specie tua. ℣. Intende, prospere procede, et regna. Et pulchritudine. Gloria Patri. Specie. ℣. Adjuvabit eam Deus

vultu suo. ℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Ad Sextam.

Antiph. Beatam me dicent.

E *Capitul.* *Eccl. 24. b.* Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei haereditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℟. *br.* Adjuvabit eam * Deus vultu suo. Adjuvabit. ℣. Deus in medio ejus non commovebitur. Deus. Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, et praeelegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Ad Nonam.

Ant. Viderunt eam.

I *Capitul.* *Eccl. 24. b.* In plateis sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suavitate odoris.

℟. *br.* Elegit eam Deus * Et praeelegit eam. Elegit. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et praeelegit. Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

In II. Vesp. omnia ut in I.

Ad Magnificat.

Ant. Maternitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo; ex te enim ortus est sol justitiae, Christus Deus noster.

Et fit comm. Dom. occur.

Dom. III. octobris.

Puritatis B. M. V.

Duplex majus.

Ad Vesp. Antiph. Sicut lilium inter spinas, *cum rel. de Laud., reliq. ut in ejus Offic. par.*

O *Capitulum.* *Sap. c. 4.* O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est, et apud homines.

Hymnus.

Praeclara custos virginum,
Intacta Mater Numinis,
Coelestis aulae janua,
Spes nostra, coeli gaudium.
Inter rubeta lilium
Columba formosissima,
Virga e radice germinans
Nostro medelam vulneri.
Turris draconi impervia,
Amica stella naufragis,
Tuere nos a fraudibus,
Tuaque luce dirige.
Erroris umbras discute,
Syrtes dolosas amove,
Fluctus tot inter, deviis
Tutam reclude semitam.
Jesu tibi sit gloria
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

Haec conclusio erit omn. Hymn.

℣. Cum jucunditate virginitatem Beatae Mariae semper Virginis celebremus.

℟. Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

Ad Magnificat.

Antiph. Nihil inquinatum in eam incurrit: candor est lucis aeternae, et speculum sine macula.

Oratio.

Da quaesumus, omnipotens aeterne Deus, ut purissimae Virginis Mariae integerrimam Virginitatem festiva celebritate veneran-

tes, ejus intercessione, puritatem mentis, et corporis consequamur. Per Dominum.

Et fit comm. Dom. occ.

Ad Matutinum.

Invit. Virginitatem Deiparae celebremus: * Christum ejus Filium adoremus Dominum.

Psalm. Venite.

Hymnus.

O Stella Jacob fulgida,
O solis instar splendida
Aurora; qua nil purius
Refulget inter sidera.
Stolis amictae candidis
Tibi catervae coelitum
Plaudunt, sacraeque Virgines
Laudes perennes concinunt.
Quin obsequentes offerunt
Ligustra, et alba lilia:
Candor sed horum vincitur
Candore casti pectoris.
Nostra Angelorum laudibus
Abjecta tellus assonans
Ad astra voces efferat,
Et Virginis praeconia.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

IN I. NOCT.

℣. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.

℟. Et innumerabilis honestas per manus illius.

De Canticis Canticorum.

Lectio I. *Cap. 2.*

Ego flos campi, et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Adjuro vos filiae Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: similis est dilectus meus capreae, hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi. Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.

℟. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia: * Pulchra es amica mea, suavis, et decora sicut Jerusalem, terribilis, ut castrorum acies ordinata.

℣. Una est columba mea, perfecta mea. Viderunt eam filiae Sion, et beatissimam praedicaverunt. Pulchra.

Lectio II. *Cant. c. 4.*

Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es, oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quae ascenderunt de monte Galaad, dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae. Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae gemelli,

qui pascuntur in liliis; donec aspiret dies, et inclinentur umbrae. Vadam ad montem myrrhae, et ad collem thuris. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.

℟. Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni; * Jam hiems transiit, imber abiit, et recessit: flores apparuerunt in terra nostra.

℣. Surgam, et circuibo civitatem, per vicos, et plateas quaeram, quem diligit anima mea. Jam hiems.

Lectio III. Eod. c. 4. 8.

Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui. Quam pulchrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa! Pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Favus distillans labia tua, sponsa, mel, et lac sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

℟. Adjuro vos, filiae Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo. * Qualis est dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? ℣. Dilectus meus candidus, et rubicundus, electus ex millibus. Talis est dilectus meus, ipse est amicus meus, filiae Jerusalem. Qualis. Gloria Patri. Qualis.

IN II. NOCT.

℟. Post partum Virgo inviolata permansisti. ℣. Dei Genitrix intercede pro nobis.

Lectio IV.

Ex libro Sancti Ambrosii Episcopi de Virginibus.

Lib. 2. post initium.

Sit vobis tamquam in imagine descripta virginitas, vitaque beatae Mariae, de qua, velut in speculo, refulget species castitatis, et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi: ubi, tamquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quae corpus sine corporis contagione generavit?

℟. Beatissima Virgo Maria, hortus conclusus, fons signatus, Regina Angelorum, Domina mundi, * Per quam Deus descendit in terras, ut homines ascendere mererentur ad coelos. ℣. Ad te clamamus exules filii Hevae, recordare nostri Sanctissima Virgo. Per quam.

Lectio V.

De ceteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quae nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens; intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quaerere: nullum laedere, bene velle

omnibus, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem.

℟. Beata Maria tantae extitit puritatis; ut Mater Domini esse mereretur: * Deus quam elegerat, creavit, de qua crearetur, elegit. ℣. Ipsa est stella ex Jacob, cujus radius universum orbem illuminat. Deus.

Lectio VI.

Ex Sancto Petro Crysologo.

Sermo 143.

Haec dedit coelis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitae ordinem, moribus disciplinam. Gratiam, quam detulit Angelus, accepit Virgo, salutem saeculis redditura. Vere benedicta Virgo, quae et virginitatis possidet decus, et Matris dignitatem: vere benedicta, quae et superni conceptus meruit gratiam, et servavit integritatis coronam. Vere benedicta, quae et Divini Germinis suscepit gloriam, et Regina extitit totius castitatis

℟. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Spiritus Sanctus superveniet in te: * Et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque * Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. ℣. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et virtus. Gloria Patri. Quod.

IN III. NOCT.

℣. Invenisti gratiam apud Deum. ℟. Sancta Dei Genitrix, Virgo immaculata.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 1. c.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galileae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Hom. 2. super Missus est.

Novum canticum illud, quod solis dabitur in regno Dei cantare virginibus, ipsam virginum Reginam, imo primam inter ceteras esse cantaturam, nemo est, qui ambigat. Puto autem illam, praeter illud, quod solis licet, cum omnibus tamen virginibus ei, ut dixi, commune erit, dulciori quodam, atque elegantiori carmine laetificaturam esse civitatem Dei. Hujus itaque dulcisonos deponere, vel exprimere modulos ne ipsarum quidem Virginum ulla digna invenientur, quia merito decantandum servabitur illi, quae sola de partu, et partu Divino, gloriatur. Gloriatur, dixi, de partu, non in se, sed in ipso, quem peperit. Deus siquidem, Deus enim est, quem peperit, et qui Matrem suam in coelestibus donaturus gloria singulari, in terris praevenire curavit et gratia, qua videlicet ineffabiliter, et intacta conciperet, et pareret incorrupta.

℟. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: * Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. ℣. Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Ecce.

Lectio VIII.

Deum hujusmodi decebat nativitas, qua nonnisi de Virgine nasceretur. Talis congruebat et Virgini partus, ut non pareret, nisi Deum. Proinde Factor hominum,

ut homo fieret nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere Matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram. Voluit itaque esse Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Voluit et humilem, de qua mitis, et humilis corde prodiret, harum in se virtutum necessarium omnibus, saluberrimumque exemplum ostensurus. Dedit Virgini partum, qui ei jam ante et Virginitatis inspiraverat votum, et humilitatis praerogaverat meritum. Ut igitur, quae Sanctum Sanctorum conceptura erat pariter, et paritura, Sancta esset corpore, accepit donum virginitatis; ut esset et mente, accepit donum humilitatis. * O admirabilem, et omni honore dignissimam Virginem! O feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem! Missus est Angelus ad Virginem mente, Virginem professione, Virginem denique, qualem describit Apostolus, mente, et corpore sanctam; nec noviter, nec fortuito inventam, sed a saeculo electam, ab Altissimo praecognitam, et sibi praeparatam, ab Angelis servatam, a Patribus praefiguratam, a Prophetis promissam.

℟. Beata Dei Genitrix Maria, templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo. ℣. Genuisti qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo. Sola. Gloria Patri. Sola.

IX. Lect. de Hom. Domin. occ.

AD LAUDES.

Et per Horas. *Antiph.* Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

Psal. Dominus regnavit. *cum reliq. de Dominica.*

Ant. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.

Ant. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es.

Ant. Una est columba mea, perfecta mea,

Ant. Viderunt eam filiae Sion, et beatissimam praedicaverunt.

Capit. *Sap. c. 4.*

O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est, et apud homines.

Hymnus. O gloriosa Virginum, *ut in offic. par.*

℣. Specie tua, et pulchritudine tua. ℟. Intende, prospere procede, et regna.

Ad Benedictus.

Ant. Sancta, et immaculata Mariae Virginitas, quibus te laudibus efferam nescio, quia per te Redemptorem nostrum suscepimus Dominum nostrum Jesum Christum.

Oratio ut supra.

Et fit comm. Domin. occurr.

Ad Primam.

In ℣. br. Qui natus es de Maria.

Ad Tertiam.

Antiph. Dilectus. *Capitul.* ut supr. ad Laud.

℟℟. Ex festo Maternitatis pag. 225. hujus.

Ad Sextam, et Nonam Antiph. et orat. ut ad Laud. Capit. vero, et ℟℟. ex citat. fest. Maternitatis pag. 226.

Capitulum.

In II. Vesp. omn. ut in I.

Ad Magnificat.

Ant. Beata Dei Genitrix Maria, Virgo perpetua, sacrarium Spiritus Sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

Et fit comm. Dom. occ.

Die I. octobris. ex 2. aug.

S. Alphonsi Mariae de Ligorio P. C.

Duplex.

In vesperis.

Hymnus.

En, qui benigne uexibus
Solvit revinctos criminum,
Coelique callem deviis,
En, qui retexit sedulus.

Oh quot labores pertulit,
Aestusque mentis asperos,
Ex ore prompte daemonis
Eos ut atro tolleret!

Pagos, et urbes permeat,
Plagasque cultas rusticis,
Ibique Christi dogmata
Ardore multo seminat.

Et ut docere dissitos,
Omnesque possit posteros,
Edit libros multiplices
Cunctis futuros saeculis.

Æterna Patri gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus
Sit in perenni tempore. Amen.

Oratio.

Deus, qui per Beatum Alphonsum Mariam Confessorem tuum, atque Pontificem animarum zelo succensum Ecclesiam tuam nova prole foecundasti: quaesumus, ut ejus salutaribus monitis edocti, et exemplis roborati, ad Te pervenire feliciter valeamus. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Hymnus.

Dum corda plebis commovet,
Eamque belle provocat
Alphonsus, ut fiduciam
In Matre ponat Numinis;

Monstrum novum, mirabile
Stupore plena conspicit,
Immensa quod suspiria,
Dulcesque guttas excitat.

Imago namque Virginis
Se luce vestit protinus,
Jubarque vibrat, quod pium
Loquentis os illuminat.

Probavit hoc miraculo
Regina Coeli praepotens
Verum fuisse, fervido
Quod fudit ipse pectore.

Æterna Patri gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus
Sit in perenni tempore. Amen.

In I. noct. Lect. de scr.

In II. noct.

Lectio IV.

Alphonsus Maria de Ligorio Neapoli nobilibus parentibus natus, ab ineunte aetate non obscura praebuit sanctitatis indicia. Eum adhuc infantem cum parentes obtulissent Beato Francisco de Hieronymo e Societate Jesu, is bene precatus edixit, eumdem ad nonagesimum usque annum perventurum, ad Episcopalem dignitatem evectum iri, maximoque Ecclesiae bono futurum. Jam tum a pueritia a ludis abhorrens, nobiles ephebos ad christianam modestiam verbo, et exemplo componebat. Adolescens, dato piis sodalitatibus nomine, in publicis nosocomiis aegrotis inservire, jugi in templis orationi vacare, ac sacra Mysteria frequenter obire in deliciis habebat. Pietatem littera-

rum studiis adeo conjunxit, ut sexdecim vix annos natus utriusque Juris lauream in patria universitate fuerit assequutus. Patri obtemperans, causarum patrocinia suscepit, in quo munere obeundo, etsi magnam sibi laudem comparasset, fori tamen pericula expertus, ejusmodi vitae institutum ultro dimisit. Spreto igitur praeclaro conjugio sibi a patre proposito, avita primogenitura abdicata, et ad Aram Virginis de Mercede, ense suspenso, divinis ministeriis se mancipavit. Sacerdos factus tanto zelo irruit in vitia, ut Apostolico munere fungens, huc illuc pervolans, ingentes perditorum hominum conversiones perageret. Pauperum praesertim, et ruricolarum miseratus, Congregationem Presbyterorum instituit Sanctissimi Redemptoris, qui ipsum Redemptorem secuti, per agros, pagos, et castella pauperibus evangelizarent.

Lectio V.

Ne autem a proposito unquam diverteret, perpetuo se voto obstrinxit nulla temporis jacturam faciendi. Hinc animarum zelo succensus, tum divini verbi praedicatione, tum scriptis sacra eruditione, et pietate refertis animas Christo lucrifacere, et ad perfectiorem vitam adducere studuit. Mirum sane, quot odia extinxerit, quot devios ad rectum salutis iter revocaverit! Dei Genitricis cultor eximius, de illius laudibus librum edidit, ac de iis, dum ferventius concionando disserit, a Virginis Imagine, in eum immisso miro splendore, totus facie coruscare, et in extasim rapi coram universo populo non semel visus est. Dominicae Passionis, et Sacrae Eucharistiae contemplator assiduus, ejus cultum mirifice propagavit. Dum vero ad ejus Aram oraret, vel Sacrum faceret, quod numquam omisit, prae amoris vehementia, vel seraphicis liquescebat ardoribus, vel insolitis quatiebatur motibus; vel abstrahebatur a sensibus. Miram vitae innocentiam, quam nulla unquam lethali labe foedavit, pari cum poenitentia socians corpus suum inedia, ferreis catenis, ciliciis, cruentaque flagellatione castigabat. Inter haec prophetiae, scrutationis cordium, bilocationis, et miraculorum donis inclaruit.

Lectio VI.

Ab Ecclesiasticis dignitatibus sibi oblatis constantissime abhorruit. At Clementis Decimi Tertii Pontificis auctoritate coactus, Sanctae Agathae Gothorum Ecclesiam gubernandam suscepit. Episcopus exterum dumtaxat habitum, non autem severam vivendi rationem immutavit. Eadem frugalitas, summus christianae disciplinae zelus, impensum in vitiis coercendis, arcendisque erroribus, et in reliquis pastoralibus muneribus obeundis studium. Liberalis in pauperes, omnes Ecclesiae proventus iisdem distribuebat, ac urgente annonae caritate ipsam domesticam suppellectilem in alendis famelicis erogavit. Omnibus omnia factus, Sanctimoniales ad perfectiorem vivendi formam redegit, suaeque Congregationis Monialium Monasterium constituendum curavit. Episcopatu ob graves, habitualesque morbos demisso, ad Alumnos suos, a quibus pauper discesserat, revertitur pauper De-

mum quamvis senio, laboribusque, diuturna arthritide, aliisque gravissimis morbis fractus corpore, spiritu tamen alacrior de cœlestibus rebus disserendi, aut scribendi finem numquam adhibuit; donec nonagenarius Kalendis Augusti anno millesimo septingentesimo octogesimo septimo Nuceriæ Paganorum inter suorum Alumnorum lacrymas placidissime expiravit. Eum inde virtutibus, et miraculis clarum, Pius Septimus Pontifex Maximus anno millesimo octingentesimo decimo sexto Beatorum fastis adscripsit: novisque fulgentem signis Gregorius Decimus Sextus in Festo Sanctissimae Trinitatis anno millesimo octingentesimo trigesimo nono solemni ritu Sanctorum Catalogo accensuit.

Lect. III. Noct. de comm. Evangelistar. Designavit Dominus.

Ad Laudes.

Hymnus.

Alphonse, cur nam juscula
Herbis amaris inficis?
Corpus tuum durissimo
Quare flagello percutis?
Rerum premens angustia,
Frigus, calor, jejunium,
Sitis, laborque pervigil
Submisit illud affatim.
Intacta sint, hoc efficis,
Ut castitatis lilia
Tuae, cibumque divitem
Virtutibus des ceteris.
Sic in tumultu saeculi
Vita fruentes accolae
Possunt eremi consequi
Gressus tuos Antistites.
Æterna Patri gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus
Sit in perenni tempore. Amen.

DIE III. OCTOBRIS EX 27. AUGUSTI.
In festo S. Josephi Calasanctii
Conf. *dupl.*

Oratio.

Deus, qui per S. Josephum Confessorem tuum ad erudiendam spiritu intelligentiae, ac pietatis, juventutem, novum Ecclesiae tuae subsidium providere dignatus es; praesta quaesumus, nos ejus exemplo, et intercessione ita facere et docere, ut praemia consequamur aeterna Per Dominum etc.

In I. noct. Lect. de scr. occ.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Josephus Calasanctius a Matre Dei Petraltae in Aragonia nobili genere natus, a teneris annis futurae in pueros charitatis, et eorum institutionis indicia praebuit. Nam adhuc parvulus eos ad se convocatos in mysteriis Fidei, et sacris precibus erudiebat. Humanis divinisque litteris egregie doctus, cum studiis Theologicis Valentiae operam daret, nobilis potentisque foeminae illecebris fortiter superatis, virginitatem quam Deo voverat, inoffensam insigni victoria servavit. Sacerdos ex voto factus a compluribus Episcopis in Castellae Novae, Aragoniae, et Catalauniae regnis in partem laboris adscitus, expectationem omnium vicit, pravis ubique moribus emendatis, Ecclesiastica disciplina restituta, inimicitiis, cruentisque factionibus mirifice extinctis. At Coelesti visione, et Dei voce frequenter admonitus, Romam profectus est.

Lectio V.

In Urbe summa vitae asperitate, vigiliis, et jejuniis corpus affligens, in orationibus, et coelestium re-

rum contemplatione dies noctesque versabatur; septem ejusdem Urbis Ecclesias singulis fere noctibus obire solitus: quem inde morem complures annos servavit. Dato piis sodalitatibus nomine, mirum quanto ardore pauperes, infirmos potissimum, aut carceribus detentos eleemosynis, omnique pietatis officio sublevaret. Lue urbem depopulante, una cum S. Camillo tanto fuit actus impetu charitatis, ut praeter subsidia aegrotis pauperibus large collata, ipsa etiam defunctorum cadavera suis humeris tumulanda transferret. Verum cum divinitus accepisset, se ad informandos intelligentiae ac pietatis spiritu adolescentulos, præcipue pauperes, destinari, Ordinem Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum fundavit, qui peculiarem curam circa puerorum eruditionem ex proprio Instituto profiterentur. Ipsumque Ordinem Clementi Octavo, Paulo Quinto, aliisque Summis Pontificibus magnopere probatum, brevi tempore per plurimas Europae Provincias, et Regna mirabiliter propagavit. In hoc autem tot labores perpessus est, ac tot aerumnas invicto animo toleravit, ut omnium voce miraculum fortitudinis, et Sancti Jobi exemplum diceretur.

Lectio VI.

Quamvis Ordini universo præesset, totisque viribus ad animarum salutem incumberet, nunquam tamen intermisit pueros praesertim pauperiores erudire, quorum scholas verrere, eosque domum comitari consuevit. In eo summae patientiae, et humilitatis munere, valetudine etiam infirma, duos et quinquaginta annos perseveravit: dignus propterea quem crebris Deus miraculis coram discipulis illustraret, et cui Beatissima Virgo cum puero Jesu, illis orantibus benedicente, appareret. Amplissimis interim dignitatibus repudiatis; prophetia, abdita cordium, et absentia cognoscendi dono, et miraculis clarus, Deiparae Virginis, quam singulari pietate et ipse ab infantia coluit, et suis maxime commendavit, aliorumque Coelitum frequenti apparitione dignatus; cum obitus sui diem, et Ordinis tunc prope eversi restitutionem, atque incrementum praenunciasset, secundum et nonagesimum annum agens, Romae obdormivit in Domino octavo Kalendas Septembris anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo. Ejus Cor, et Lingua post saeculum integra, et incorrupta reperta sunt. Ipse vero multis post obitum quoque signis a Deo illustratus, primum a Benedicto Decimo Quarto Beatorum cultu decoratus fuit; ac deinde a Clemente Decimo tertio inter Sanctos solemniter est relatus.

In III. Noct.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. *Cap. 18.*

In illo tempore accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas, major est in Regno Coelorum. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

In Cap. 18. Matth. Hom. 60.

Videte, ne aliquem istorum contempseritis parvulorum, quia eorum Angeli Patris mei faciem semper aspiciunt, et quia ego propter eos veni, et haec Patris mei

voluntas est. Ad tuendos, conservandosque pusillos diligentiores nos reddit. Perspicis quam ingentia in tutelam tenuium moenia erexerit, et quantum studium curamque habeat, ne perdantur; tum quia supremas decipientibus eos poenas statuit, tum quia summam pollicetur mercedem his, qui curam eorum suscipiunt, idque tam suo, quam Patris exemplo corroborat.

Lectio VIII.

Dominum igitur etiam nos imitemur, et nihil pro fratribus omittamus, etiam eorum quae humilia viliaque nimium videntur: sed si administratione nostra etiam opus fuerit, quamvis tenuis, atque abjectus quidem, cui administrandum sit, fuerit; quamvis ardua nobis res, atque laboris plena esse videatur, omnia haec pro fratris salute tolerabiliora, faciliora que, oro, videantur: Tanto enim studio, tantaque cura Deus dignam esse animam ostendit, ut neque Filio suo pepercerit.

Lectio IX.

Si non est nobis satis ad salutem, quod virtuose ipsi vivamus, sed oportet aliorum salutem re ipsa desiderare; cum neque nos recte vivamus, neque alios hortemur, quid respondebimus? quae nobis spes salutis reliqua erit? Quid majus, quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuario, caeterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui juvenum animos fingere non ignoret. Te Deum etc.

Die VI. octobris.

In festo Ss. Marcelli Casti, Æmilii, et Saturnini Mm. Cap. dup. *Omn. de comm plur. Mart. Oratio* Deus, qui nos concedis.

In 1. Noct. ll. de scrip. occ., reliq. de eodem com. 1. loco.

Die VII. octobris.

In festo Comm. Advent. S. Castrensis Africani, Ep. et Conf. ex Africa in Campaniae litora, dup.

Omn. *ut in die 11. Februarii pag. 75. hujus.*

Die X. octobris.

In festo S. Paulini Ep. Capuae, *et Conf. (cujus Corpus religiose in Metropolit. Eccl. adservat.) dup. Orat.* Da quaesumus. *ll. 1. n. de Scr.*

In II. Noct. Lectio IV.

Paulinus Capuanae Urbis Antistes, in Britannia Insula natus, ab ineunte aetate divino servitio mancipatus, post artium liberalium studia sacris litteris operam dedit. Dei timore, et amore ita afficiebatur, ut altero veluti fraeno coerceretur a malo, altero quasi stimulo incitaretur ad bonum. Castitatem illibatam usque ad senectam servavit. Bonarum artium studiosis egestate laborantibus eleemosynas erogabat, ne rerum inopia a studiis retraherentur. Ipse vero, ut expeditior Dominum sequeretur, Patrimonii sui opes pauperibus distribuit: tum loca sancta videndi desiderio flagrans, Jerosolymitanam peregrinationem, paucis comitantibus, aggressus est; sed cum Capuam pervenisset, tunc defuncto Radelberto ejus Urbis Episcopo, rogatus a Clero, sermonem habuit in Ecclesia; sicque omnes commovit, ut communi voto eum sibi Episcopum postularint.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Electus itaque, et a Romano Pontifice confirmatus, tametsi invitus, et reluctans, pastorale munus suscepit, ne resistere divinae voluntati videretur. Sic lucerna lucens, et ardens, posita Dei nutu super candelabrum, fulgoris suis radios undique diffundebat, coruscans exemplis, ardens charitate, peccantes a vitiis opere, et sermone revocabat; justos autem ad Christianae perfectionis culmen incitabat. Sed ne deesset illi exercendae patientiae occasio, tribus integris annis acrem a Schismaticis persecutionem passus est; quibus pro odio amorem, pro injuriis beneficia reddebat.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Capuam eo tempore molesta vexabat fames, ob quam viri Sancti charitas enituit: pauperum enim, et indigentium calamitate commotus, viscera super eos misericordiae effundens, Urbem universam, ac egenorum domos perlustrabat, dividens singulis de facultatibus suis, prout cuique opus erat. Porro inter cetera charitatis opera illud memorabile fuit, quod Matronae cum tribus filiis sibi occurrenti, et eleemosynam petenti, cum nihil aliud, quod largiretur, haberet, mulam, cui insidebat, tradidit, ut ea vendita, victum sibi, et filiis ejus pretio compararet. Praefuit Ecclesiae suae Vir Sanctus annos octo, et amplius; quibus exactis, migravit in Coelum sexto idus Octobris: cujus Corpus in ipsa Ecclesia Capuana tumulatum, magna ibidem veneratione honoratur. Iste est etc.

In III. Noct. Hom. in Ev. Homo peregre 1. *loco.*

Die XIV. octobris.

S. Callisti I. Pp. M.

Duplex. *Oratio.*

Deus, qui nos conspicis ex nostra infirmitate deficere, ad amorem tuum nos misericorditer per Beati Callisti Martyris tui, atque Pontificis exempla restaura. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Callistus Romanus praefuit Ecclesiae Antonio Heliogabalo Imperatore. Constituit quatuor anni tempora, quibus jejunium, ex Apostolica traditione acceptum, ab omnibus servaretur. Ædificavit Basilicam Sanctae Mariae Transtiberim, et in via Appia vetus Coemeterium, in quo multi sancti Sacerdotes, et Martyres sepulti sunt, ampliavit; unde ab eo Callisti Coemeterium appellatur.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

Ejusdem pietatis fuit, quod Beati Calepodii Presbyteri; et Martyris corpus, jactatum in Tiberim conquiri diligenter curavit, et inventum honorifice sepelivit. Palmatium Consulari, Simplicium Senatoria dignitate illustres, Felicem, et Blandam, qui deinde omnes Martyrium subiere, cum Baptismo lustrasset, missus est in carcerem, ubi privatum militem ulceribus plenum, admirabiliter sanitati restitutum, Christo adjunxit; pro quo idem, recens adhuc a fide suscepta, plumbatis usque ad mortem caesus, occubuit.

℣. Desiderium animae ejus.

Lectio VI.

Sedit Callistus annos quinque, mensem unum, dies duodecim. Ordinationibus quinque mense Decembri, creavit Presbyteros sexdecim, Diaconos quatuor, Episcopos octo. Post longam famem, crebrasque verberationes, praeceps actum in puteum, atque ita Martyrio coronatus sub Alexandro Imperatore, illatus est in Coemeterium Calepodii, via Aurelia, tertio ab Urbe lapide, pridie Idus Octobris. Ejus postmodum Corpus in Basilicam Sanctae Mariae Transtiberim, ab ipso aedificatam delatum, sub ara majori, maxima veneratione colitur.

℣. Stola jucunditatis.

In III. Noct. Homil. super Evan. Nihil est opertum. *in Brev. hac die.*

Die XVII. octobris.

In festo S. Victoris Ep. Capuae, *et Conf. scm. Ad hymn., dicat.* meruit supr. *quia dies Ordinationis est, vel Translationis, obiit enim die 2. April.* De com. Conf. Pont. *ll. 1. n. de Scr. rel. de eod. com. 1. loco.*

Die XX. octobris.

In festo S. Joannis Cantii Conf.

Duplex. Oratio.

Da quæsumus Omnipotens Deus, ut Sancti Joannis Confessoris exemplo in scientia Sanctorum proficientes, atque aliis misericordiam exhibentes ejus meritis indulgentiam apud te consequamur. Per Dominum.

Ad I. Vesp. Hymnus.

Gentis Polonae gloria,
Clerique splendor nobilis,
Decus Lycaei, et Patriae
Pater, Joannes inclyte.

Legem superni Numinis
Doces Magister, et facis.
Nil scire prodest: sedulo
Legem nitamur exequi.

Apostolorum limina
Pedes viator visitas;
Ad Patriam, quam tendimus,
Gressus, viamque dirige.

Urbem petis Jerusalem;
Signata sacro sanguine
Christi colis vestigia,
Rigasque fusis fletibus.

Acerba Christi vulnera
Haerete nostris cordibus,
Ut cogitemus consequi
Redemptionis pretium.

Te prona Mundi machina
Clemens adoret Trinitas,
Et nos novi per gratiam
Novum canamus canticum. Am.

Ad Matut.

Hymnus.

Corpus domas jejuniis,
Caedis cruento verbere,
Ut castra poenitentium
Miles sequaris innocens.

Sequamur et nos sedulo
Gressus Parentis optimi;
Sequamur, ut licentiam
Carnis refrenet spiritus.

Rigente bruma providum
Praebes amictum pauperi,
Sitim, famemque egentium
Esca, potuque sublevas.

O qui negasti nemini
Opem roganti, patrium
Regnum tuere, postulant
Cives Poloni, et exteri.

Sit laus Patri, sit Filio,
Tibique Sancte Spiritus:
Preces Joannis impetrent
Beata nobis gaudia. Amen.

In I. Noct. Lect. de scr. occ.

In II. Noct.

Lectio VI.

Joannes in Oppido Kenty Cra-

coviensis Dioecesis, a quo Cantii cognomen duxit, Stauislao, et Anna, piis et honestis Parentibus natus, morum suavitate, innocentia, gravitate ab ipsa infantia spem fecit maximae virtutis. In Universitate Cracoviensi Philosophiae ac Theologiae primum auditor, tum per omnes Academiae gradus ascendendo Professor ac Doctor sacra, quam annis multis tradidit, doctrina; mentes audientium non illustrabat modo, sed et ad omnem pietatem inflammabat, simul docens scilicet, et faciens. Sacerdos factus nihil de literarum studio remittens, studium auxit Christianae perfectionis. Utque passim offendi Deum maxime dolebat, sic eum sibi et populo placare, oblato quotidie, non sine multis lacrymis, incruento sacrificio satagebat. Ilkusiensem Paroeciam annis aliquot egregie administravit, sed animarum periculo commotus postea dimisit, ac postulante Academia ad pristinum docendi officium rediit.

Lectio V.

Quidquid temporis ab studio supererat, partim saluti proximorum, sacris praesertim concionibus, curandae, partim orationi dabat, in qua coelestibus quandoque visionibus, et colloquiis dignatus fertur. Christi vero passione sic afficiebatur, ut in ea contemplanda totas interdum noctes duceret insomnes, ejusque causa melius recolendae Hierosolymam peregrinatus sit: ubi et Martyrii desiderio flagrans, Turcis ipsis Christum Crucifixum praedicare non dubitavit. Quater etiam ad Apostolorum limina pedes, atque viaria onustus sarcina Romam venit; tum ut Sedem Apostolicam, cui maxime addictus fuit, honoraret; tum ut sui (sic enim ajebat) purgatorii poenas exposita illic quotidie peccatorum venia redimeret. Quo in itinere a latronibus olim spoliatus, et numquid haberet praeterea interrogatus, quum negasset, aureos deinde aliquot suo insutos pallio recordatus, fugientibus hos etiam clamans obtulit latronibus, qui Viri sancti candorem simul, et largitatem admirati, etiam ablatos ultro reddidere. Alienae famae ne quis detraheret, discriptis Beati Augustini exemplo in pariete versiculis, se, atque alios perpetuo voluit admonitos. Famelicos de suo etiam obsonio satiabat. Nudos autem non emptis modo, sed detractis quoque sibi vestibus, et calceis operiebat, demisso ipse interim usque ad terram pallio, ne domum nudipes redire videretur.

Lectio VI.

Brevis illi somnus, atque humi; vestis, quae nuditatem; cibus, qui mortem dumtaxat arceret; virginalem pudicitiam, velut lilium inter spinas, aspero cilicio, flagellis, atque jejuniis custodivit. Quin et per annos ante obitum triginta circiter et quinque ab esu carnium perpetuo abstinuit. Tandem dierum juxta ac meritorum plenus, quum vicinae, quam praesensit, morti se diu, diligenterque praeparasset, ne qua re amplius teneretur, si quid domi supererat, id omnino pauperibus distribuit. Tum Ecclesiae sacramentis rite munitus, dissolvi jam cupiens, et esse cum Christo, pridie Nativitatis ejus in coelum evolavit mi-

raculis ante, et post mortem clarus. Mortuus ad proximam Academiae Ecclesiam Sanctae Annae delatus est, ibique honorifice sepultus. Auctaque in dies Populi veneratione, ac frequentia inter primarios Poloniae, ac Lytuaniae Patronos religiosissime colitur. Novisque coruscans Miraculis a Clemente Decimo tertio Pontifice Maximo, decimo septimo Kalendas Augusti, millesimo septingentesimo septimo, solemni ritu Sanctorum Fastis adscriptus est.

In III. Noct.

Lect de Homil. S. Gregorii Papae, ut in comm. C. non P. 1. loc.

Ad Laud. Hymnus, ut in 1. Vesp.

Ad 2. Vesp. Hymn.

Te deprecante corporum
Lues recedit, improbi
Morbi fugantur, pristina
Redeunt salutis munera.

Phtisi, febrique, et ulcere
Diram redactos ad necem,
Sacratas morti victimas
Ejus rapis e faucibus.

Te deprecante, tumido
Merces abactae flumine,
Tractae Dei potentia
Sursum fluunt retrogradae.

Quum tanta possis, sedibus
Coeli locatus, poscimus,
Responde votis supplicum,
Et invocatus subveni.

O una semper Trinitas!
O Trina semper Unitas!
Da, supplicante Cantio,
Æterna nobis praemia. Am.

Die XXII. octobris.

In Festo S. Symmachi Ep. Capuae, et Conf. *dupl. 2. cl.*

Omnia de com. Conf. Pont. praeter. sequ.

Oratio.

Propitiare nobis, quaesumus Domine, famulis tuis per S Symmachi Confessoris atque Pontificis, merita gloriosa, ut ejus pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. Per Dominum.

Lection. de eod. Comm. 1. loco.

Die XXVII. octobris. ex 19. sept.

SS. Festi, et Socior. Mm.

Semidupl.

Oratio.

Deus, qui nos annua SS. Mm. tuor. Festi, et socior. ejus etc. *de comm. plur. Mm.*

In 1. Noct. lect. de scr. occ.

In II. Noct.

Lect. ex 19. Sept. in Brev., hoc modo.

Lect. IV. Festus S. Januarii, Beneventi Episcopi, Diaconus, et Desiderius etc. *usque ad verba* conjiciuntur.

Lect. V. Postero die, *usque ad verba* susceperunt.

Lect. VI. Verum ingratus Judex, *usque ad verba* curarunt.

In III. Noct.

Lect. ut in ipsa die 19. Sept. in Brev.

Die XXX. octobris.

In festo S. Germani Ep. Capuae, et Conf.

Dupl. 2. class.

Orat. Da quaesumus etc.

Ll. 1. n. de Scr.

In II. Noct. Lect. IV.

Germanus Amantio, et Juliana pietate, et genere claris parentibus Capuae natus, a teneris annis futurae sanctitatis indicia praebuit, virtutum omnium studio, ac praecipue erga pauperes charitate conspicuus. Mortuo Patre persuasit Matri, ut vendito Patrimonio, illud sublevandis egenis erogaret, quo liberius abjecta rerum terrenarum cura, soli

Deo inserviret. Sic ab omni impedimento solutus, coelestem in terris vitam agebat: rerum enim divinarum lectioni, et contemplationi sedulo incumbens, carnem jejunii macerans, piis operibus diem, noctem vigiliis et orationibus occupans; factus est omnibus christianae perfectionis norma, et exemplum.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Defuncto interim Alexandro Episcopo Capuano, Germanus omnium consensu ad eam dignitatem, invitus tamen, et reluctans, electus est. Quo onere suscepto, omnes partes pastoralis solicitudinis ita adimplevit, ut fama virtutum ejus ad exteras etiam nationes diffusa sit. Hinc Apostolicae Sedis legatione bis functus est, semel missus Constantinopolim ab Anastasio Papa ad impium Anastasium Imperatorem, quo eum ad meliorem frugem revocaret: et iterum ab Hormisda ad Justinum, qui Anastasio successerat. Hujus autem legationis felicissimus eventus fuit; nam superata Orientalium perfidia, Acacius, et successores Haeretici iterum damnati sunt. Joannes vero Constantinopolitanus libello fidei subscripsit; et Schismatici, abjuratis erroribus, ad communionem suscepti sunt.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Ab hac legatione reversus in patriam, curae gregis sibi commissi, caeterisque pietatis operibus majori fervore incubuit; donec senio, et laboribus confectus ad aeterna praemia evolavit. Quali vero, quantaque pompa illi in coelestem patriam eunti paratus a Deo triumphus sit, Sanctus Benedictus Abbas, sicut Gregorio Magno narrante didicimus, inspector fuit, et testis: eadem enim hora, qua ille exspiravit, stans Venerabilis Abbas noctu ad fenestram, Deumque ferventius orans, vidit fusam lucem cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque fulgore clarescere, ut lux illa diem vinceret. Vidit autem in eo splendore Germani Episcopi animam in sphaera ignea ab Angelis in Coelum deferri: missoque viro Capuam, cognitum est, eodem momento fuisse illius obitum, quo vir Dei ejus gloriosum ascensum perspexit.

℟. Iste est etc.

In tertio Noct. Homil. in Evang. Homo peregre, *de eod. Comm. 1. loco.*

Die XXXI. octobris.

In festo S. Pulcheriae Virg. Imp. *Dupl. min de comm. Virg. 1. loc.*

Oratio.

Deus qui Beatam Pulcheriam Virginem tuam singulari castitatis praerogativa decorasti, quique illi ad defendendam Ecclesiam tuam summum Fidei amorem tribuere voluisti; concede, ut ejus intercessione tibi puris mentibus inhaerentes, ab omnium hostium insidiis misericorditer liberemur. Per Domin.

Lect. 1. Noct. de comm. 1. loco.

In II. Noct. Lectio IV.

Aelia Pulcheria Augusta, Patre, Avo, Fratre, atque Viro Romanorum Imperatoribus maxime nobilis, profligatis sua praesertim opera haereticorum erroribus, et Catholico dogmate circa Incarnationis Mysterium, et Di-

vinam Maternitatem constituto multo nobilior, ab ipsa pueritia tanta sapientia divinitus praedita fuit, ut ii quibus post Arcadii Patris obitum Imperii procuratio, dum Theodosius adolesceret, commissa fuerat, ejus arbitratu omnia facerent; essetque constans opinio, unius puellulae virtute, ac sapientia, quae instare, atque ingruere videbantur pericula discussa, et felicitatem Imperio constitutam. Domi assidua disciplinae exactrix eam vivendi formam induxit, ut illa jam non Aula Imperatorum, sed Asceterium vulgo diceretur. Theodosium fratrem, Eudoxiam quam illi matrimonio conjungendam curavit, Flaccillam, Arcadiam, Marinam sorores ita imbuebat bonis moribus, exercebatque ad virtutem, ut quibus aetate non multum praestabat, earum moderatrix, ac propemodum mater, esse videretur. Qua institutione Sorores quantum profecerint, vel ex hoc uno intelligi potest, quod Pulcheriam imitatae, se, suamque Virginitatem Deo devoverunt: utque Augusta Virgo ea, quae decreverat amplius confirmaret, omnesque voluntatis suae testes haberet, ex auro, et pretiosis lapidibus sacram mensam in Ecclesia Constantinopolitana pro Virginitate sua, et Fratris Imperio dedicavit, et in fronte ipsius mensae haec eadem inscripsit.

Lectio V.

Potior autem ejus in Theodosio instituendo eluxit cura; eumque ubi opus esset, mira quadam dexteritate corrigebat: qui quidem talis est effectus, ut absolutissimum optimi verique Christiani Principis exemplar fuerit, dum Pulcheriae consiliis est obsequutus. Post diuturnam cum Fratre concordiam, turbis malevolorum fraude atque obtrectatione in Aula excitatis, tempus nacta, quo sibi jam uni, Deoque vacare posset, secessit in Hebdomum, locum Byzantio suburbanum, ibique vitam agens pene monasticam aliquandiu se continuit. Cum vero felicitas Imperii una cum ea exularet, a Fratre accersita; ubi deesse vidit, qui praelia Domini pugnaret, Deboram imitata, fide ac religione armata processit; et missis in omnem partem epistolis, hortando, monendo, minitando, non pecuniae, non laboribus parcens, digna effecta est, quam Patres Concilii Calcedonensis una omnium voce, atque praeconio Custodem Fidei, pacis Conciliatricem, Expultricem haereticorum, Piam, Orthodoxam, novam Helenam (sicut Marcianum tunc Imperatorem, novum Constantinum) consalutarent; cuique Sanctus Leo totius Romanae Ecclesiae nomine plurimum gratularetur, ejusque causa exultare se diceret, ac digna Deo vota persolvere, quod de Nestoriana primum impietate, mox de nefario Eutychetis errore perempto, duplicem illi et palmam contulerat, et coronam.

Lectio VI.

Atque hac tantae curarum moles, quas praesertim in Ephesino ac Chalcedonensi Conciliis, Romanorum Pontificum auctoritate convocatis, necessario susceperat, nihilo illam ad cetera Christianae pietatis officia obeunda fecere segniorem. Assidue coelestium rerum contemplatione, sacrorum librorum lectione, corporis affli-

ctationibus sponte susceptis se exercebat. Psalmos de nocte surgens una cum Regiae familiae Principibus decantabat. Dei, ac Sanctorum (quorum colloquio non semel dignata est) cultrix eximia, quae etiam summopere semper contendit, ut ergo earum Reliquias cultus augeretur. Deiparam in primis coluit, cui hanc ipsam Deiparae appellationem contra Nestorianorum blasphemias asseruit: voluit namque summa Sapientiae suae dispositione Divina Providentia, ut per Virginem summa Virginis dignitas inoffensa penitus servaretur; quam etiam est imitata servando perpetuam in ipso conjugio virginitatem: cujus denique cultui amplificando complura templa regali plane magnificentia excitavit, donariis auxit, redditibus locupletavit. In placanda Divina Justitia mira pietate enituit. Fuit erga pauperes misericordia plane singulari, quos et materna quadam charitate complexa est quoad vixit, et moriens eorum, quae assidua effusissimaque liberalitas reliqua fecerat, scripsit haeredes. Quod scautum ab ipsa testamento fuit, diligenter curavit Marcianus; quem pari Religionis studio, rebusque omnibus Imperio dignissimum ipsa evexerat ad Imperium; sibique hanc ipsam ob causam, salva quam Deo voverat virginitate, conjugem delegerat. Obiit anno quadrigentesimo quinquagesimo tertio, magno omnium luctu, maximisque Sanctorum Patrum, ceterorumque ejus aevi Scriptorum laudibus celebrata.

In III. Noct.

Lectio VII. Cap. 17. v. 3.

Lectio S. Evangelii Secundum Joannem.

In illo tempore dixit Jesus: Hæc est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Episcopi Alexandrini.

De Fide ad Pulcheriam, et Sorores Reginas.

Lectio VII.

Sane vos sacras, castissimasque Christi omnium nostrum Salvatoris sponsas, religiosissimae, ac Deo dilectissimae Imperatrices, orbis terrarum ornamentum, sanctissimarumque Ecclesiarum decus, optimo jure quisquis appellaverit, in quibus nimirum omne virtutum genus, omnisque ornatus Divinae Majestatis oculis gratus, acceptusque mirifice splendet. Neque his opibus contentae, omnem quoque curam, omneque studium adhibetis, quo fide recta, nullamque in partem vacillante, excellatis. Neque Christi Regnum capessere, et ea quae illi grata sunt, facere, et sentire omittitis; partim quidem praeclaris actionibus, partim rursum cum vestras, tum Principum quoque vestrorum aulas Virginitatis gloria condecorantes, partim denique sumptuosissima templa Christo Domino excitantes; una et hoc quoque pietatis studium inter cetera illi sanctis vestris animis impertitus est.

Lect. VIII.

Igitur ex sacris litteris vobis vere sanctis Christi Sponsis (quamquam ad quodvis opus bonum abunde instructae videamini) aliquid depromam. Hinc etenim et Emmanuelem verum, ac naturalem

Deum, et Virginem Matrem, quae cum peperit, veram per ipsum Deiparam esse, planum fiet. Ait Christus: haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Si cum solius, verique Dei cognitione, Jesu Christi cognitionem necessariam, consociatamque esse oportet, et hoc ipsum aeternam vitam conciliat; cui obscurum esse potest, Christum verum esse Deum? Verbum sane caro factum est, sed mansit interim Verbum.

Lectio IX.

Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Qualem itaque gloriam Filius a Patre accepisse se narrat, quam nobis deinde communem fecerit? Sane ipse ab hac quaestione nos liberat, dum ait: ut unum sint, sicut et nos unum sumus. Nam etsi Dei Patris Verbum, secundum propriam hypostasim, aliud a Patre esse dignoscatur, naturali tamen identitate unum plane, et idem est cum illo. At quo pacto Verbum illud, unum quoque nobiscum factum est? Ad eumdem omnino modum, puta secundum essentialem, et naturalem idenditatem. At cum Divina natura tanto a creatura distet intervallo, ut secundum essentiam cum ea coire nequaquam valeat; ecquo, inquis, modo secundum naturam unum ille factus est nobiscum, qui omnem omnino creaturam excellit? Verbum factum est homo: ut quemadmodum in Deitate unum, et idem est cum Patre; ita secundum naturae humanae habitudinem sit unum quoque nobiscum.

Die III. novembris. ex 20. sept.

S. Agapiti I. Pp. C.

Duplex.

Orat. Da quaesumus.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Joanne, hujus nominis Secundo, e vivis sublato, Agapitus Romanus genere, patre Gordiano, Sanctae Romanae Ecclesiae Archidiaconus, propter singularem eruditionem, qua probe, et apprime instructus erat, et compositos castigatissimae vitae mores, quibus prae ceteris eminebat, communibus totius Cleri suffragiis, et omnium bonorum gratulatione, ad Sanctam Petri Sedem promotus est: et sublimem illam provinciam perinde administravit, ac si non ab hominibus, sed ab ipso Deo electus fuisset.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Egregiis laudum titulis ab antiquis Patribus decoratus est, dictusque ab iis praeco justitiae, Evangelii tuba, vas catholicum, vir pietate, et miraculis celeberrimus, quibus heroicas illius virtutes, et Apostolicae vitae sanctimoniam Deus illustravit. Aliquot hujus sanctissimi Præsulis decretales extant, in quibus Catholicae fidei dogmata sarta, tectaque servantur, Ecclesiasticae disciplinae forma, et regula traditur, sacrorum Canonum, et antiquarum traditionum indemnitati consulitur, ac demum omnes, et singulae Pastoralis solicitudinis partes implentur.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Constantinopolim profectus est,

alio prorsus, quam ad quem homines illum destinarant, consilio, divino scilicet instinctu, et nutu, ut Anthimum haereticum Patriarcham Constantinopolitanum, Theodorae Imperatricis malis artibus intrusum, exauctoraret, atque damnaret, et in ejus locum Mennam substitueret. Patriarchales item Sedes Alexandrinam, et Antiochenam, extrusis haereticis, Catholicis Pastoribus restitueret. Sed tandem biennio Pontificatus nondum expleto, vir sanctissimus, in quo nihil, nisi longiorem vitam Catholici desiderassent, Constantinopoli pie obiit anno Christi quingentesimo trigesimo sexto. Ejus corpus Romam translatum, in Vaticano conditum est.

℣. Iste est.

In III. Noct. Homil. super Evang. Homo peregre.

DIE V. NOVEMBRIS EX 26. SEPT.

S. Eusebii Pp. C.

Duplex.

Orat. Da quaesumus.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Eusebius, natione Graecus, patre Medico, post Sanctum Marcellum Romanae Ecclesiae est constitutus Episcopus. Is haereticos invenit in Urbe, quos resipiscentes, sola manuum impositione, Ecclesiae reconciliavit. Cui et e Sardinia accedens nobilis femina Restituta, filium suum erudiendum tradidit, quem egregie fide Christiana imbutum baptizavit, suoque nomine insignivit; atque Eusebium nominavit. Dignum plane tanti Pontificis germen, quo Vercellensi postea Episcopo, fides Catholica in Oriente propemodum extincta, laetiore propagine reviviseeret. Cum autem Eusebius, una Ordinatione mense Decembri, Presbyteros tresdecim, Diaconos tres, Episcopos quatuordecim per diversa loca creasset, beato fine quievit, sepultusque est in Coemeterio Callisti via Appia, sexto Nonas Octobris, sub Constantino Imperatore. Rexit Ecclesiam annos duos, menses octo, dies sexdecim.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Sermo Sancti Ambrosii Episcopi.

De S. Euseb. 70. 6. edit. Romanae.

Depositionem Sancti Eusebii hodie celebramus. Quid est depositio? Non illa utique, quae, sepeliendis in terra membrorum reliquiis, clericorum manibus procuratur, sed illa, qua homo vincul̄is carnalibus absolutus, liberiturus ad coelum terrenum corpus exponit. Ipsa plane est depositio, in qua concupiscere abjicimus, cessamus delinquere, peccare desinimus, et totum quidquid saluti est grave, quasi abjecta sarcina oneris exponimus. Nam ideo haec dies pro celebritate maxima procuratur, quia vere est summa festivitas, mortuum esse vitiis; soli vigere justitiae.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Unde et depositionis ipsa dies natalis dicitur, quod delictorum carcere liberati, libertati nascimur Salvatoris. Sed videamus, Sanctus Eusebius cum qua gloria ad hanc diem depositionis advenerit. Volare non potest, nisi quod purum, leve, atque subtile est, cujus nec sinceritas intem-

perantia retardatur, nec velocitas mole gravatur: gravari autem volatum dico, non tam mole membrorum, quam pondere delictorum. Unde puto etiam in ipsis avibus ideo velocius columbam pene prae omnibus volitare, quod alacritatem, et innocentiam comitetur. Volavit ergo hac die Sanctus Eusebius: aestimemus jam ejus innocentiam de volatu, et puritatem ejus de ipsa elatione judicemus. Tamquam columba enim in domo Dei degens, assumpsit spiritales pennas, et requievit in monte.

℟. Iste est, qui.

In III. noct. Homil. super Ev. Homo peregre.

DIE VI. NOVEMBRIS.

In festo S. Leonardi Conf.

Duplex Majus.

Oratio.

Majestati tuae, quaesumus Domine, Sancti Confessoris tui Leonardi nos pia jugiter commendet oratio; ut quem debito veneramur obsequio, ipsius suffragio sublevemur optato. Per Dominum etc.

Lect. 1. Noct. Justus.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Leonardus genere nobili ortus in Francia, cum puer adhuc esset, a Clodoveo Francorum Rege sacro baptismi fonte Christiano ritu susceptus, et a beato Remigio Rhemensi Archiepiscopo edoctus, ab ipsa prima aetate virtutum omnium solida fundamenta jecit; nam Dei charitate fervens et proximi dilectione mundanis studiis renuntians, totum se Divino cultui, et Apostolicae vitae consecravit.

℟. Honestum etc.

Lectio V.

Vix pueritiam egressus carceratis visitandis, et liberandis sedulam operam dedit; a Rege nemrum obtinuerat, ut in vincula conjunctos, quos ipse visitasset, abscedendi libera protestas fieret. Munificus erat in pauperes, castus, modestus, rerum coelestium contemplationi addictus, ab omni ambitionis vitio ita alienus, ut in aulam a Rege accitus, ad Episcopatum promovendus, imparem hui honori se reputans, humiliorem vitam sibi ducendam esse duxerit.

℟. Amavit etc.

Lectio VI.

Inde in Aquitaniam perrexit, divina revelatione admonitus, et Tractum Bituricensem lustrans regionem illam Divini verbi praedicatione, et multis miraculis illustravit. Cum demum multa hominum millia ad Christi fidem convertisset, in silvam quamdam agri Lemovicensis sese abdidit, ibique extructo in honorem Deiparae Virginis Monasterio, omnis virtutis, ac praecipue charitatis erga carceratos, officiis, mirisque operibus clarus abdormivit in Domino octavo Idus Novembris.

℟. Iste homo etc.

In III. Noct. Homilia in Evang. Nolite timere, *de Com 2. loco.*

In Laud. fit cum oct. Omn. Ss.

DIE VII. NOVEMBRIS EX 7. OCTOB.

S. Marci Pp. C.

Duplex. *Oratio.*

Exaudi Domine preces nostras, et interveniente beato Marco Confessore tuo, atque Pontifice, indulgentiam nobis tribue placatus, et pacem. Per Dominum.

In I. noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Marcus, Romanus, Constantino Magno Imperatore Pontifex, instituit, ut Episcopus Ostiensis, a quo Romanus Pontifex consecratur, Pallio uteretur. Duas Romae Basilicas aedificavit, alteram in Urbe, alteram via Ardeatina: quas Constantinus auctas, magnis muneribus exornavit. Vixit in Pontificatu menses octo, sepultus est in Coemeterio Balbinae.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Sermo S. Gregorii Papae.

2. part. past. c. 1.

Tantum debet actionem populi actio transcendere Praesulis, quantum distare solet a grege vita Pastoris. Oportet namque, ut metiri se solicite studeat, quanta tenendae rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus aestimatione populus grex vocatur. Sit ergo (necesse est) cogitatione mundus, actione praecipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, prae cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiae erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum solicitudine non relinquens.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Considerandum quoque est, quia cum curam populi electus Praesul suscipit, quasi ad aegrum medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus corpore passiones vivunt, qua praesumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat? Ille igitur modis omnibus debet ad exemplum bene vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens jam spiritualiter vivit; qui prospera mundi postponit; qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat. Cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat spiritus; qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur.

℟. Iste est.

In III. noct. Homil. super Evang. Vigilate *II. loco.*

DIE IX. NOVEMBRIS.

In festo Dedicationis Basilicæ SS. Salvatoris.

Verba addenda.

In fine IV. Lect. II. Noct. ex Decr. S. R. C. sub. die 13. Sept. 1726.

Eamdem Ecclesiam incendiis, vastationibus, terrae insuper motibus desjectam, eversamque, ac sedula Summorum Pontificum cura reparatam, nova postmodum molitione restitutam, Benedictus Decimus tertius Pontifex Maximus Ordinis Praedicatorum, die vigesima octava Aprilis, anni millesimi septingentesimi vigesimi sexti ritu solemni consecravit, ejusque celebritatis memoriam hac die recolendam statuit.

Lect. IX. pro illa in Brev. in DIE VI. AUGUSTI.

In festo Transfigurationis D.N.J.C.

Lectio IX.

Tu vero Matthaei philosophiam considera, qui non celavit nomina eorum, qui praepositi fuerant; quod et Joannes saepius facit, cum eximias Petri laudes verissime, ac diligenter describat. Nullum enim in hoc Apostolorum

consortio livor, aut gratia locum habebat. Primos igitur Apostolorum seorsum assumpsit. Quamobrem eos accepit? quia excellentiores ceteris videlicet erant. Cur autem non illico, sed post sex dies hoc fecit? Ne ceteri, scilicet discipuli, seu homines moverentur: qua de re nec eos nominavit, quos acceptus erat.

Supplementum pro

Die XI. septembris ex 26. aug.

Omissae fuerunt Lect. V. et VI. in II. Noct. quae recitandae erant de die 17. Aprilis pag. 106. hujus. pro V. Lect. Pastor bonus etc. *pro VI. Lect.* Nam et apud Haereticos etc.

IN III. NOCT.

Homil. in Evang. Si quis vult post me venire, *cum IX. lect.*, *et comm. Ss. Proti etc. Mm.*

Die XII. novembris.

S. Martini I. Pp. M.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

Die XIII. novembris.

S. Stanislai Kostkae Conf.

Oratio.

Deus qui inter cetera sapientiae tuae miracula, etiam in tenera aetate maturae Sanctitatis gratiam contulisti: da quaesumus, ut Beati Stanislai exemplo, tempus instanter operando redimentes, in aeternam ingredi requiem festinemus. Per Dominum nostrum etc.

In I. Noct. Lect. de Script. occ.

In II. Noct.

Lectio IV.

Stanislaus Senatoria Kostkarum gente ortus in Polonia, quam olim esset militiam secuturus, nomen Jesu praenuntiavit, pariturae matris gremio divinitus inscriptum. Virginitatem adhuc puer ita coluit, ut paterna in mensa si quid minus pudice dictum audivisset, prae horrore exanimis corrueret. Ad Viennense in Austria Seminarium studiorum causa missus, non minus exemplo sodalibus, quam venerationi fuit. Coactus inde in Lutherani hospitii aedes migrare, ibique a Paulo Fratre ad liberiorem vitam omni etiam asperitatum genere incitatus, domesticum bellum toto biennio constantissime sustinuit: ad aeterna se, non ad caduca, natum affirmans. Itaque unicum illi erat rerum coelestium desiderium, perpetua cum Deo consuetudo, cultus Deiparae adeo tener, ut Matrem suavissime appellaret.

Lectio V.

Quotidianae Fratris vexationi crebra ipse jejunia, flagella, aliosque insontis corpusculi cruciatus adjiciens, lethalem in morbum incidit. Quo ingravescente, cum Daemonem horrendi canis specie insilientem signo Crucis ter fugasset, Sacrum Viaticum, quod in haeretica domo decumbens frustra ab hominibus petebat, ab Angelis accepit. Mox ad pueri Jesu complexum a beatissima ejus Matre comiter admissus, ac Societati jussus nomen dare, subito convaluit. Sed cum aditum ad illam patris timor in Germania praecluderet, peregrini habitu solus, pedes, mendicus, fugam arripuit, certus non sistere, nisi voti compos fiat. Iter non uno Dei beneficio prosperum fuit; nam praeter alia, Pauli profugum fratrem jam assequentis equi, immisso divinitus torpore, constiterunt. Et Sta-

nislaus Angelorum pane iterum Angelico ministerio refectus, post duodecies centena passuum millia, tandem Romae in Societatem Jesu a Sancto Francisco Borgia generali Praeposito meruit cooptari.

Lectio VI.

Tironis emeriti virtutes in Religiosae vitae palestra splendidius eluxere: Charitas praesertim erga Deum, in quem assidue alienata a sensibus mente rapiebatur. Inde illi facies semper accensa; nonnunquam irradians: perennes lacrymae: ardor pectoris tantus, ut media quoque hyeme foret ingesta identidem gelida temperandus. Itaque amore verius, quam febri aestuans, die assumptae in Coelum Virgini sacro, ad ejus triumphalem pompam propius, ut optaverat, spectandam, ab ipsa beatarum Virginum choro stipata, vocatus est ex Quirinali domo Probationis, anno innocentis vitae decimo octavo, operum plenior, quam dierum. Multis post obitum miraculis in sua praesertim Polonia enituit: cujus armis contra formidabiles Turcarum exercitus spectabilis e Coelo affuit non semel; et Civitates alias peste, alias incendio liberavit. Quamobrem Clemens Decimus eum inter primarios totius Regni Patronos constituit. Benedictus vero Decimus tertius (quod a Clemente Undecimo jampridem fuerat decretum) in Sanctorum numerum retulit.

In III. Noct.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Cap. 19. v. 13.

In illo tempore: Oblati sunt Jesu parvuli, ut manus eis imponeret. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Lectio VII. In Psal. 118.

Quid parvulus, nisi humilis? Haec sunt mirabilia testimonia tua, Domine, quae scrutata est anima parvuli hujus, et ideo invenit, quia humiliatus est, et parvulus factus est. Quis enim facit mandata tua sicut facienda sunt; idest ex fide, quae per dilectionem Dei operatur; nisi ejus in corde per Spiritum Sanctum ipsa dilectio diffundatur? Hoc etiam iste parvulus confitetur. Os meum, inquit, aperui, et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam. Quid desiderabat, nisi facere mandata divina? Sed non erat unde faceret infirmus fortia, et parvulus magna. Aperuit os confitens, quod per se ipse non faceret, et attraxit unde faceret.

Lectio VIII.

Junior sum ego, inquit, et contemptus: justificationes tuas non sum oblitus. Non sicut inimici mei, qui obliti sunt verborum tuorum. Videtur autem minor aetate, non oblitus justificationes Dei, dolere pro inimicis suis ætate majoribus, qui obliti sunt. Nam quid est, junior ego non sum oblitus, nisi illi majores obliti sunt? Sed contemptum se dicit hic junior: ideo factus est major; quia ignobilia, et contemptibilia mundi eligit Deus, et ea, quae non sunt, tamquam sint, ut ea, quae sunt, evacuentur. Et ecce sunt novissimi qui erant primi; et primi qui erant novissimi.

Lectio IX.

Iste autem junior non est oblitus, quia non suam voluit habere justitiam, sed Dei; de qua

etiam nunc dicit: Justitia tua justitia in aeternum. Propter hanc passus est persecutionem junior a majore, ut diceret junior quod sequitur: Tribulatio, et necessitas invenerunt me; mandata tua meditatio mea est. Saeviant, persequantur; dum tamen mandata Dei non relinquantur, et ex ipsis mandatis etiam qui saeviunt, diligantur. Intellectum da mihi, et vivam: intellectum poscit iste junior; quem si non haberet, non super seniores intelligeret. Sed cum poscit in tribulatione, et necessitate; quo intelligat, quam sit contemnendum, quod ei possunt auferre persequentes inimici, a quibus se dicit esse contemptum.

DIE XVI. NOVEMBRIS. EX 25. OCT.

S. Bonifacii I. Pp. C.

Duplex.

In Hym. mutat. ℣.

Orat. Da quaesumus.

In I. noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Bonifacius, Romanus, patre Jucundo Presbytero, post Beatum Zosimum humanis rebus exemptum, Romanae Ecclesiae Episcopatum adeptus est. Is annosus Presbyter, ac in lege doctissimus, bonisque moribus comprobatus, invitus, ac reluctans, totius populi acclamatione, ac Urbis optimatum consensu, ac septuaginta Presbyteris, novemque diversarum Provinciarum Episcopis, divinae institutionis ordine servato, consecratus est in Basilica Juli, quo tempore Eulalius Archidiaconus, Diaconibus circumventis, paucissimisque de Clero, ac multitudine turbatae plebis, in locum sibi non debitum, per abitum proruens, ordinatur in Constantiniana Basilica. Eo in schismate Bonifacius legitimus Pontifex, vehementer depressus, coactus est Beati Petri Basilicam deserere, et una cum suis ad Beati Pauli secedere. Delata mox causa ad Episcoporum Concilium, cum Patres inter se dissederent, pleniori Synodo res tota servatur, jussis interea, Honorii Augusti opera, tum Bonifacio, tum Eulalio, ab Urbe discedere. Quare hic Antium, Sanctae Felicitatis Basilicam ille petiit.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Sed cum Eulalius se in Urbem intrusisset, occasionemque praebuisset publicae seditionis, Honorius ea re commotus, Eulalium Urbe pellendum, Bonifacium vero in eam inducendum rescripsit, quod frequenti Episcoporum Synodo confirmatum fuit. Itaque Bonifacius regressus, sollicita cura conatus est cunctos in mutuam restituere concordiam, cui et in futurum consuluit, ne post obitum suum graviori scissura distraheretur Ecclesia. Piissimorum autem Imperatorum devotione gaudebat, et contra inimicos gratiae Dei, non solum Apostolicis, sed etiam Regiis utebatur edictis; et licet ipse doctissimus esset; adversus libros tamen Pelagianorum, Beati Augustini Episcopi responsa poscebat; cui et Augustinus tantum detulit, ut ei sua scripta non tam ediscenda, quam examinanda, et emendanda direxerit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Patroclum Arelatensem Episcopum alienae Metropolis jura in-

vadentem, repressit; datisque litteris ad Hilarium Narbonensem Episcopum, jussit, ut jure Metropolitani, et Apostolicae Sedis praeceptione, ad pervasum locum accederet, agendaque videret, et Apostolicae sedi cuncta referret. Constituit, ne mulier, vel Monacha sacrata Pallia contingeret, aut lavaret; neve quis incensum in Ecclesia poneret, nisi minister esset. Servum, vel curiae, vel rei cuilibet obnoxium, Clericum fieri vetuit. Fecit Oratorium in Coemeterio Sanctae Felicitatis Martyris, juxta corpus ejus, cujus, itemque Sancti Silvani Sepulchrum ornavit, pluribus donis oblatis. Denique fama celeberrimus, et gratia Dei plenus, ejusdem gloriam adeptus est, Honorio, et Theodosio Principibus, sepultusque in Coemeterio Sanctae Felicitatis via Salaria, octavo Kalendas Novembris. Semel mense Decembri creavit Presbyteros tresdecim, Diaconos tres, Episcopos per diversa loca sex supra triginta. Pontificatum tenuit annos quinque, minus duobus mensibus, et tribus diebus.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. super Evang. Homo peregre.

Die XIX. novembris.

In Sollemnitate Dedicat. S. Metrop. Basilicae Capuae *Dupl. 1. cl.* (*cum oct. in Civitate Capuana tantum*) *sine ulla commemoratione. Omn. de com. Dedicat. Eccl.*

Die XXIII. novembris.

S. Clementis I. Pp. M.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

Die XXIV. novembris.

S. Joannis a Cruce Conf.

dupl. min.

In Hymn. mutat. tert. vers.

Oratio.

Deus qui Sanctum Joannem Confessorem tuum perfectae sui abnegationis, et Crucis amatorem eximium effecisti: concede, ut ejus imitationi jugiter inhaerentes, gloriam assequamur aeternam. Per Dominum.

Lectio I. Noct. de Script. occ.

In II. Noct.

Lectio IV.

Joannes a Cruce Fontiberi in Hispania piis Parentibus natus, a primis annis certo innotuit, quam Deiparae Virgini futurus esset acceptus; nam quinquennis in puteum lapsus, ejusdem Deiparae manu sublatus, incolumis evasit. Tanto autem patiendi desiderio flagravit, ut novennis, spreto molliori lecto, super sarmentis cubare consueverit. Adolescens hospitio Pauperum aegrotantium Metymnae Campi famulum sese addixit, quibus magno charitatis ardore vilissima quaeque complectens officia, praesto aderat; cujus exemplo excitati ceteri eadem charitatis munera ardentius obibant. Verum ad altiora vocatus, Beatae Mariae de Monte Carmelo Institutum amplexus est; ubi Sacerdos ex obedientia factus, severioris disciplinae, et arctioris vitae cupidissimus, primitivam Ordinis Regulam ex Superioris licentia ita professus est, ut ob jugem Dominicae Passionis memoriam, bello in se, tamquam in infensissimum hostem indicto, vigiliis, jejuniis, ferreis flagellis, omnique poenarum genere, brevi

carnem cum vitiis, et concupiscentiis suis crucifixerit; dignus plane, qui a Sancta Teresia inter puriores sanctioresque animas, Ecclesiam Dei id temporis illustrantes, recenseretur. ℟. Honestum fecit etc.

Lectio V.

Singulari vitae austeritate, et omnium virtutum praesidio munitus, prae assidua rerum divinarum contemplatione, diuturnas, et mirabiles ecstases frequenter patiebatur: tantoque in Deum aestuabat amore, ut cum divinus ignis sese intro diutius continere non posset, foras erumpere, ejusque vultum irradiare, visus sit. Proximorum saluti summopere intentus, tum in verbi Dei praedicatione, tum in Sacramentorum administratione fuit assiduus. Hinc tot meritis auctus, strictiorisque disciplinae promovendae ardore vehementer accensus, Sanctae Theresiae comes divinitus datus est, ut quam ipsa inter Sorores primaevam Carmeli Ordinis observantiam instauraverat, camdem et inter Fratres, Joanne adjutore, restitueret. Innumeros itaque una cum Dei Famula in divino opere promovendo perpessus labores, Coenobia, quae ejusdem Sanctae Virginis cura per totam Hispaniam erecta fuerant, nullis vitae incommodis, et periculis territus, singula perlustravit; in quibus, aliisque quamplurimis ejus opera erectis, restauratam observantiam propagando, verbo et exemplo firmavit, ut merito primus post Sanctam Teresiam Carmelitarum Excalceatorum Ordinis Professor, et Parens habeatur. ℟. Amavit eum etc.

Lectio VI.

Virginitatem perpetuo coluit, impudentesque mulieres ejus pudicitiae insidiari conantes, non modo repulit, sed etiam Christo lucrifecit. In divinis explicandis arcanis aeque ac Sancta Teresia, Apostolicae Sedis judicio divinitus instructus, libros de mystica Theologia coelesti sapientia refertos conscripsit. Semel interrogatus a Christo, quid praemii pro tot laboribus posceret? respondit: Domine, pati, et contemni pro te. Imperio in Daemones, quos e corporibus saepe fugabat, discretione spirituum, prophetiae dono, miraculorum gloria celebratissimus: ea semper fuit humilitate, ut saepius a Domino flagitaverit eo loco mori, ubi omnibus esset ignotus. Voti compos factus, Ubedae diro morbo, et in crure quinque plagis sanie manantibus, ad implendum patiendi desiderium constantissime toleratis, Ecclesiae Sacramentis pie sancteque susceptis, in Christi Crucifixi amplexu, quem semper in corde, atque ore habuerat, post illa verba: In manus tuas commendo spiritum meum, obdormivit in Domino, die, et hora a se praedictis, anno salutis millesimo quingentesimo nonagesimo primo, aetatis quadragesimo nono. Migrantem ejus animam splendidissimus ignitus globus excepit; corpus vero suavissimum odorem spiravit; quod etiamnum incorruptum Segobiae honorifice colitur. Eum plurimis ante, et post obitum fulgentem signis, Benedictus Decimus tertius Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit. ℟. Iste homo.

In III. Noct. Homil. S. Gregorii Papae in Evang. Sint lumbi vestri, *de commu. Conf. non Pont.*

DIE XXVII. NOVEMB. EX 13 OCTOB.

S. Nicolai I. Pp. C.

Duplex.

Orat. Da quaesumus.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Nicolaus, hujus nominis Primus, natione Romanus, patre Teodoro Regionario, Benedicto Tertio e vivis sublato, mirabili omnium consensione, anno Christi octingentesimo quinquagesimo octavo, a Clero electus, et ex Basilica Principis Apostolorum, in qua latitabat, per vim eductus, adductusque in Lateranense Patriarchium, Romanus Pontifex renunciatus est. A prima pueritia pietatem, omnemque virtutem coluit, eosque in sacris litteris progressus fecit, ut cum Sergius Secundus in ipso eodem Patriarchio, Ecclesiae Romanae Subdiaconum, Leo vero Quartus Diaconum creaverint, Benedictus demum Tertius, ejus consilio, et ductu, universam Ecclesiam administraverit.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Extant plurimae ab eo scriptae Epistolae, in quibus errantes correxit, superbos depressit, oppressos recreavit. Episcopos, Reges, Imperatores in officio continuit. Joannis Ravennatis Archiepiscopi contumaciam fregit. Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum, de injusta Rhotaldi Episcopi Suessioniensis depositione acriter reprehendit, ejus ea de re, nec non Synodi Sylvanectensi judicium abrogavit; tum apud S. Mariam Majorem in pervigilio Nativitatis Dominicæ Missarum solemnia explens, Episcopum ipsum pristinae dignitati, et paullo post suae Sedi plene restituit. Lotharium Regem, qui rejecta legittima uxore Theutberga, Waldradam concubinam duxerat, intentato anathemate, ad saniorem mentem reduxit. Electionem Photii laici hominis reprobavit, et Patriarcham Ignatium in pristinam Sedem restituit. Ecclesiae demum Romanae jura ita defendit, ut singulae illius Epistolae quasi totidem fortissima Sedis Apostolicae munimenta esse videantur.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Cum illius zelus intra tunc praescriptos Ecclesiae fines contineri non posset, ad conversionem infidelium applicuit animum, fecitque, ut amplissima Bulgarorum gens, una cum Rege, ad Christi fidem conversa, Ecclesiae Romanae, frendente licet Imperatore schismatico, accesserit. Operam quoque suam privatis pietatis officiis sedulo navavit. Hinc descripta omnium indigentium nomina apud se habere voluit, ut singulis accuratius succurreret. Reparandis etiam, ordinandisque Basilicis Urbis, praecipue Lateranensi Patriarchio, liberalem manum apposuit, et nullis sumptibus pepercit. Inito demum decimo Pontificatus anno, in coelum migravit, et in Vaticano sepultus est.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. super Evang. Homo peregre.

Die XXVIII. novembris.
S. Gregorii III. Pp. C.
Duplex.
Orat. Da quesumus.
In I. Noct. Lect. de scr.
IN II. NOCT.
Lectio IV.

Gregorius, hujus nominis Tertius, natione Syrus, Patre Joanne, Gregorio Secundo vita functo, unanimi Cleri, et populi consensu, nec non divino quodam instinctu, cum dignissimus omnium esset, subrogatus est, anno Christi septingentesimo trigesimo primo. Vir singulari doctrina, et virtute, latina et graeca lingua eruditus, mirabili dicendi facundia, atque adeo felici memoria, ut totum Psalterium memoriter recitaret; is demum, quem praedecessori suo Gregorio, doctrina et prudentia sapientissimi homines aequiparandum esse duxerunt.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Catholicæ fidei propugnator acerrimus, Leonem Isaurum Imperatorem Iconoclastam paternis monitis, et litteris ad saniorem mentem reducere conatus est. Sed cum nihil proficeret, convocato Romae nonaginta quinque Episcoporum Concilio, sacrarum Imaginum cultum Apostolico decreto firmavit, et diro anathemate feriit Iconomachos. Quae cum ad Leonis aures pervenissent, altius rugire coepit, misitque adversus Gregorium florentissimam classem cum potentissimo exercitu, sed haec, volente, ac vindice Deo, in Adriatico saeva tempestate agitata, foedo naufragio periit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Multa quoque a Luitprando Longobardorum Rege inique passus est, qui et Urbem longa obsidione cinxit, et sancti Petri Basilicam sacrilega manu diripuit. In his augustiis sanctissimus Pontifex ad Carolum Martellum, antecessoris exemplo, Legatos cum sacris muneribus destinavit. Munivit Urbis moenia, largas in egenos eleemosynas erogavit, novas Basilicas a fundamentis extruxit, antiquas ornavit, ac restauravit, Vaticanam praesertim, intra quam Oratorium auro, argento, gemmis, omnique pretiosi operis genere ditatum erexit, in quo Sanctorum Apostolorum, et Martyrum reliquias, summa cura, et diligentia toto Christiani Orbis ambitu conquisitas reposuit, et colendas exposuit, eo maxime tempore, quo illas Agiomachi diabolico furore proculcabant. Multa Monasteria restituit, et sanctis legibus instruxit, statuitque, ut Presbyteri, et Monachi alternis noctu, diuque divinas laudes celebrarent. Fractus demum laboribus, meritis licet, atque virtutibus inclytus, anno sui Pontificatus undecimo nondum peracto, quarto Kalendas Decembris pie obiit in Domino, et in praedicto Oratorio Vaticano sepultus est.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. super Evang. Homo peregre.

In Vesp. Oratio. Exaudi.

Die XXIX. novembris.
S. Gelasii I. Pp. C.
Duplex.
In Hymn. mutat. v.
Oratio. Da quaesumus.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Gelasius, gente Africanus, Patre Valerio, in Felicis Tertii locum subrogatus, Pontificatum gessit annos quatuor, menses octo, duodeviginti dies. Creavit in duplici Ordinatione Diaconos duos, Presbyteros triginta et duos, sexaginta septem per diversa loca Episcopos. Vir sane singulari fidei propagandae, ac servandae zelo ardentissimus, omni literatura, praesertim sacra, instructissimus, et intrepidi pectoris robore, tum ad vindicanda Ecclesiae, et Sedis Apostolicae jura, tum ad retundendam haereticorum, et schismaticorum proterviam armatus.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Ejus cura, et studio non Clerus modo plurimum auctus est, verum etiam universa Ecclesia magnis incrementis adolevit. In quo certe illius prudentia mirabilis fuit, cum eo tempore Anastasius Imperator haereticus, et Theodoricus Arianus rerum utriusque Imperii potirentur. Imminente famis periculo, ubere annona Urbem recreavit. Lupercalia, aliaque Gentilium spectacula: quae ad haec usque tempora, post tam multa Imperatorum edicta adversus Idolatriam lata, et Romanorum Pontificum studia ad eam extirpandam adhibita, viguisse constat, Andromacho Senatore, aliisque Romanis, frustra licet, refragantibus, penitus abolevit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Alia quamplurima ad dignitatem, et disciplinam Ecclesiae spectantia praestitit, sancivit, et scripsit. Defensores Acacii, Euphaemium praesertim Constantinopolitanum damnavit; scriptisque ad diversos nervosissimis juxta atque doctissimis litteris, vel eos in officio cotinuit, vel aberrantes reduxit. Pelagianos, Manichaeos, et alios haereticos coercuit, eorumque libros publicis flammis tradi curavit. Praeter Decretales, et Hymnos Ecclesiasticos, egregia scripsit Opuscula contra Nestorium, Arium, Pelagium, et Eutycheten. Sed illud prae ceteris memorandum, quod libros Canonicos ab aliis, et probatos ab apocryphis in romana Synodo septuaginta Episcoporum, singulari decreto distinxit. Post multos demum labores in regenda universali Ecclesia exantlatos, sanctissimus, et doctissimus Pontifex pie obiit in Domino undecimo Kalendas Decembris anno Christi quadringentesimo nonagesimo sexto, et sepultus est in Vaticano.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. super Evang. Homo peregre *cum IX. Lect. Vigil. nisi venerit in Adv.*

In Laud. fit comm. S. Saturnini Mart. sed prius Fer. temp. Advent.

FESTA DECEMBRIS.

DIE I. EX XXVI. OCTOBRIS.

S. Evaristi Pp. M.

Duplex.

Orat. Infirmitatem.

In I. Noct. Lect. de scr.

Lectio IV.

Evaristus, Graecus natione, patre Judaeo genitus, Christianae pietatis studiosissimus Trajano Im-

ventore ad Cathedram Petri promotus est; seditque in ea annos novem, menses tres. Fecit Ordinationes quatuor, mense Decembri, ac creavit Presbyteros decem et septem, Diaconos duos, Episcopos per diversa loca quindecim.

℟. Honestum fecit illum.

Lectio V.

Ecclesiarum Titulos Urbis Romae Presbyteris eum divisisse legimus, ut unusquisque suae Parocciae terminis, ac limitibus distingueretur; et mandasse, ut altaria, in quibus sacra fiunt, extructa ex lapide, benedicerentur: Ut septem Diaconi Episcopum custodirent, ipsique adessent, dum praedicationis Evangelicae officio, et ministerio fungitur, quasi traditae ab illo doctrinae testes.

℟. Desiderium animae ejus.

Lectio VI.

Constituit etiam ex traditione Apostolica, ut Matrimonium publice celebretur, et Sacerdotis benedictio adhibeatur. His, aliisque salutaribus, utilibusque Constitutionibus edendis Pontificatus sui tempus transegit, non tamen illud omisit, ut simulacrorum cultum ex animis hominum avelleret; qua in re, cum strenue laborasset, Martyrio coronatus est, ac sepultus prope sepulchrum Principis Apostolorum in Vaticano, septimo Kalendas Novembris.

℟. Stola jucunditatis.

In III. Noct. Homil. super Evang. Si quis venit.

DIE IV. DECEMBRIS.

S. Barbarae Virg. et Mart.

Duplex. Oratio.

Deus qui inter cetera potentiae tuae miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti: concede propitius, ut qui Beatae Barbarae Virginis, et Martyris tuae natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Domin.

In I. Noct. Lect. de scr. occ.

In II. noct.

Lectio IV.

Barbara Virgo Nicomediensis, ob insignem corporis elegantiam a Dioscoro Patre nobilissimo viro in turrim inclusa, ab omnium oculis arcetur; ubi multa secum pie, religioseque meditata, tanto amore Christianae Religionis exarsit, ut non modo nuptias a patre oblatas respuerit; verum etiam se Christum colere professa, nefarium Idolorum cultum magna libertate perstrinxit.

Lectio V.

Dioscorus ita filiae verbis excanduit, ut eam Praesidi Marciano, quod a proposito non desisteret, excruciandam tradiderit. Is illam primum blanditiis, praemiis propositis, et honoribus, ad paternae superstitionis cultum est conatus adducere. Cum vero a Fidei constantia nullis verborum illecebris deduci posset, omnis tormentorum acerbitas in eam convertitur. Nervis enim bubalis gravissime caesa, in obscurissimum carcerem detruditur: ubi, etsi omni humana ope destituta, divinitus tamen curata est.

Lectio VI.

Quod ubi senserunt Christianae fidei hostes, eo furoris atque dementiae progressi sunt, ut in eam, et carceris maceratione, et lampadum adustione, et mammillarum praecisione suam omnem crudelitatem deprompserint. Neque tamen his contentus Dioscorus, paternae cha-

ritatis oblitus, filiae sua manu caput amputare non dubitavit; cujus anima in Coelum ad duplicem virginitatis, et martyrii palmam evolavit.

In III. noct. Homil. in Evang. Simile erit regnum coelorum, *ut in comm. Virg.*

DIE V. DECEMBRIS.

S. Petri Chrysologi Episc. et Conf.

Duplex.

In Hymn. dicit. Mer. suprem. etc.

Ad Magnif.

Antiph. O Doctor

Oratio.

Deus qui Beatum Petrum Doctorem egregium divinitus praemonstratum, ad regendam, et instruendam Ecclesiam tuam eligi voluisti: praesta quaesumus, ut quem Doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Per Dominum etc.

In I. noct. Lect. Fidelis sermo.

In II. noct.

Lectio IV.

Petrus, qui ob auream ejus eloquentiam Chrysologi cognomen adeptus est, Foro Cornelii in Æmilia honestis Parentibus natus, a prima aetate animum ad Religionem adjiciens, Cornelio Romano tunc ejusdem Urbis Corneliensis Episcopo operam dedit: a quo etiam scientia, et vitae sanctitate cum brevi profecisset, Diaconus creatus est. Postmodum contigit, ut Ravennates ob mortem Archipraesulis sui, alium (ut moris erat) ab eis electum Romam ad Sanctum Sixtum Papam Tertium pro confirmatione miserint, una cum Legatis suis, et cum praedicto Cornelio, qui eumdem Levitam secum perduxit. Interim Sanctus Petrus Apostolus, et Martyr Apollinaris Summo Pontifici in somnis apparuerunt, mediumque habentes hunc Juvenem, jusserunt, ut illum, et non alium in Archiepiscopum Ravennae crearet. Hinc Pontifex mox ut vidit Petrum, cognovit eum a Domino Deo praelectum: propterea rejecto illo, quem ipsi offerebant, hunc solum anno Christi quadringentesimo trigesimo tertio illi Metropolitanae praefecit Ecclesiae. Quod cum Legati Ravennatenses aegre ferrent, audita visione, Divinae voluntati libenter acquiescentes, novum Archiepiscopum maxima cum reverentia susceperunt.

Lectio V.

Petrus igitur licet invitus in Archipraesulem consecratus Ravennam deducitur: ubi a Valentiniano Imperatore, et a Galla Placidia ejus matre, ac ab universo Populo maxima laetitia exceptus est. Et ille ab eis id unum petere dixit, ut quando tantum oneris pro ipsorum salute subire non recusavit, studerent ipsi monitis suis obtemperare, Divinisque præceptis non obsistere. Duorum Sanctorum tunc ibi defunctorum corpora, optimis unguentis condita sepelivit; Barbasiani videlicet presbyteri, et Germani Antisidiorensis Episcopi, cujus etiam cucullam, et cilicium sibi vindicavit in haereditatem. Projectum, et Marcellinum in Episcopos ordinavit. In Classe fontem exstruxit magnitudinis vere admirabilis; et Templa quaedam magnifica aedificavit tum Beato Andreae Apostolo, tum aliis Sanctis. Ludos ab hominibus personatis cum variis saltationibus Kalendis Januarii fieri solitos, concione cohibuit acerrima; ubi in-

ter alia illud praeclare dixit: Qui jocari voluerit cum Diabolo, non poterit gaudere cum Christo. Jussu Sancti Leonis Papae Primi scripsit postea ad Chalcedonense Concilium adversus Haeresim Euthychetis. Respondit praeterea ad Eutychen ipsum, et alia Epistola, quae eidem Concilio in novis editionibus praefixa, et in Annales Ecclesiasticos relata fuit.

Lectio VI.

Dum publice sermones haberet ad populum, adeo vehemens erat in dicendo, ut prae nimio ardore vox illi interdum defecerit: sicut contigit in concione mulieris Haemorhoissae. Unde Ravennates commoti tot lacrymis, clamoribus, et orationibus locum repleverunt, ut postea ipse gratias ageret Deo, quod in lucrum amoris verterit damnum ejusdem sermonis. Cum tandem annos circiter decem et octo eam Ecclesiam sanctissime rexisset, laborum suorum finem adesse divinitus praenoscens, in Patriam se contulit. Ubi Sancti Cassiani Templum ingressus, magnum Diadema aureum gemmis distinctum pretiosissimis offerens, super Altare majus posuit, nec non aureum craterem, et patenam argenteam, quam tum rabidi canis morsus, tum febres sanare saepius expertum est, aqua inde demissa. Ex tunc Ravennates, qui eumdem secuti fuerant dimisit admonens, ut in eligendo optimo Pastore invigilarent attente. Mox Deum humiliter precatus, et Sanctum Cassianum Patronum, ut benigne animam ejus exciperet, tertio Nonas Decembris placide ex hac vita migravit, anno Domini circiter quadringentesimo quinquagesimo. Sacrum illius Corpus communi totius Civitatis fletu, ac pietate, prope Corpus ejusdem Sancti Cassiani honorifice conditum, nostris etiam temporibus religiose colitur: cujus tamen brachium, auro, et gemmis ornatum, Ravennam delatum in Ursiana Æde veneratur.

In III. Noct. Homil. in Evang. Vos estis sal terrae, *ut in comm. Doctor.*

DIE VIII. DECEMBRIS.

In festo S. Secundini Africani, Ep. Trojae, et Confess. Titular. Pagi S. Secundini, et Paroch. Eccl. Pagor. Bellonae, et Sabiniani, Archidioec. Capuanae.

Duplex I. class. cum Oct. Pro dictis Pagis. Omnia de Commu. C. P. In Hymn. dicat. Meruit supr. *Oratio.* Da quaesumus.

In I. Noct. Lect. Fidelis sermo. *Extra dictos Pagos de scr. occ. Reliq. de eod. Com. I. loco.*

DIE IX. DECEMBRIS.

S. Eutychiani Pp. M.

Duplex.

Orat. Deus qui nos.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Eutychianus, natione Tuscus, patria Lunensis, Marino patre, post beati Felicis Sacerdotium, Romanae Ecclesiae Episcopatum suscepit. Constituit fruges, fabas, et uvas super Altari benedici: itemque a fidelibus nullatenus martyrem sepeliri sine dalmatica, aut purpurato colobio. Qui cum per diversa loca trecentos sexaginta duos martyres sua manu sepellisset, illis et ipse sociatus, sub Numeriano Imperatore Martyrio coronatus est sexto Idus Decem-

bris, sepultusque in coemeterio Callisti via Appia. Quinque Ordinationibus mense Decembri creavit Presbyteros quatuordecim, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca novem. Vixit in Pontificatu annos octo, menses quinque, et dies aliquot.

℟. Honestum fecit illum.

Lectio V.

Sermo Sancti Maximi Episcopi.

De S. Cypriano Homil. 2.

In martyrio beatissimi Eutychiani, fratres charissimi, universa nobiscum Christi exultat Ecclesia, quam in omne gaudium, et coelestis eruditione sermonis instruxit, et munere triumphalis sanguinis decoravit. Fuit enim in eo, sicut compertum habemus, et contra errores diaboli spiritualis sapientiae plenitudo, et adversum persecutiones mundi Christiani pectoris mitigata constantia. Quis non hujusmodi virum quantis valet praeconiis prosequatur, cujus eloquentia inspirata divinitus et Ecclesias docuit, et seculum confutavit?

℟. Desiderium animae ejus.

Lectio VI.

Vere hic mirabilis, atque omnium ubique studiis celebrandus, quem sanctitas sacerdotem, peritia doctorem, fides martyrem consecravit. Pretiosa, inquit David, in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Videte, charissimi, in quantum venerabilis Eutychianus etiam propheticam supergressus est laudem, cujus in conspectu Domini non solum mors, sed et vita extitit pretiosa. Moriendo namque proprium Christo sanguinem dedit: vivendo nihilominus cohortatione fortissima innumeros coelo martyres acquisivit.

℟. Stola jucunditatis.

In III. Noct. Homil. super Evang. Si quis vult post me venire.

In Laud. fit comm. Octav. Conception. et Fer.

DIE XXVII. MAJI. EX 25. HUJUS.

S. Gregorii VII. Pp. C.

Duplex.

Ad Hymn. mutatur ℣.

Oratio.

Deus, in te sperantium fortitudo, qui beatum Gregorium Confessorem tuum, atque Pontificem, pro tuenda Ecclesiae libertate, virtute constantiae roborasti: da nobis ejus exemplo, et intercessione, omnia adversantia fortiter superare. Per Dominum.

In I. noct. Lect. de scrip. occ.

In II. Noct.

Lectio IV.

Gregorius Papa Septimus, antea Hildebrandus, Suanae in Etruria natus, doctrina, sanctitate, omnique virtutum genere cum primis nobilis, mirifice universam Dei illustravit Ecclesiam. Cum parvulus ad Fabri ligna edolantis pedes, jam literarum inscius luderet, ex rejectis tamen segmentis illa Davidici elementa oraculi, Dominabitur a mari usque ad mare, casu formasse narratur, mascum pueri ductante Numine, quo significaretur ejus fore amplissimam in mundo auctoritatem. Romam deinde profectus, sub protectione Sancti Petri educatus est. Juvenis Ecclesiae libertatem a laicis oppressam, ac depravatos Ecclesiasticorum mores vehementius dolens, in Cluniacensi Monasterio, ubi sub Regula S. Benedi-

cti austerioris vitae observantia co tempore maxime vigebat, Monachi habitum induens, tanto pietatis ardore Divinae Majestati deserviebat, ut a Sanctis ejusdem Coenobii Patribus Prior sit electus. Sed divina providentia majora de eo disponente in salutem plurimorum, Cluniaco eductus Hildebrandus, Abbas primum Monasterii Sancti Pauli extra muros Urbis electus, ac postmodum Romanae Ecclesiae Cardinalis creatus, sub Summis Pontificibus, Leone Nono, Victore Secundo, et Alexandro Secundo, praecipuis muneribus, et legationibus perfunctus est; sanctissimi, et purissimi consilii vir a beato Petro Damiano nuncupatus. A Victore Papa Secundo Legatus a latere in Galliam missus, Lugduni Episcopum Simoniaca labe infectum ad sui criminis confessionem miraculo adegit. Berengarium in Concilio Turonensi ad iteratam haeresis abjurationem compulit. Cadolai quoque schisma sua virtute compressit.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Mortuo Alexandro Secundo, invitus et moerens unanimi omnium consensu, decimo Kalendas Maji, anno Christi millesimo septuagesimo tertio, Summus Pontifex electus, sicut sol effulsit in Domo Dei: nam potens opere, et sermone, Ecclesiasticae disciplinae reparandae, fidei propagandae, libertati Ecclesiae restituendae, extirpandis erroribus, et corruptelis tanto studio incubuit, ut ex Apostolorum aetate nullus Pontificum fuisse tradatur, qui majores pro Ecclesia Dei labores, molestiasque pertulerit, aut qui pro ejus libertate acrius pugnaverit. Aliquot Provincias a Simoniaca labe expurgavit. Contra Henrici Imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta, impavidus permansit, seque pro muro domui Israel ponere non timuit, ac eumdem Henricum in profundum malorum prolapsum, fidelium communione, regnoque privavit, atque subditos populos, fide ei data liberavit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Dum Missarum solemnia perageret, visa est viris piis columba è coelo delapsa humero ejus dextero insidens alis extensis caput ejus velare: quo significatum est, Spiritus Sancti afflatu, non humanae prudentiae rationibus ipsum duci in Ecclesiae regimine. Cum ab iniqui Henrici exercitu Romae gravi obsidione premeretur, excitatum ab hostibus incendium signo Crucis extinxit. De ejus manu tandem a Roberto Guiscardo Duce Northmanno ereptus, Cassinum se contulit, atque inde Salernum ad dedicandam Ecclesiam Sancti Matthaei Apostoli contendit. Cum aliquando in ea Civitate sermonem habuisset ad populum, aerumnis confectus in morbum incidit, quo se interiturum praescivit. Postrema morientis Gregorii verba fuere: Dilexi justitiam, et odivi iniquitatem, propterea morior in exilio. Innumerabilia sunt, quae vel fortiter sustinuit, vel multis coactis in Urbe Synodis sapienter constituit, vir vere sanctus, criminum vindex, et acerrimus Ecclesiae defensor. Exactis itaque in Pontifi-

catu annis duodecim, migravit in Coelum, anno salutis millesimo octogesimo quinto, pluribus in vita, et post mortem Miraculis clarus, ejusque sacrum corpus in Cathedrali Basilica Salernitana est honorifice conditum.

℟. Iste est.

In III. noct. Homilia in Evang. Vigilate. *de eodem Com. 2. loc.*

Die X. decembris.

Translationis Almae Domus B. M. V.

Duplex majus.

AD VESPERAS.

Antiphona.

Domum tuam *cum reliquis de Laud.*

Ps. Dixit Dominus, et reliq. de Offic. parvo B. M. V.

Capitulum. *Eccl. 24.*

In omnibus requiem quaesivi, et in haereditate Domini morabor. Tunc praecepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.

Hymn. Ave maris stella.

℣. Haec est domus Domini firmiter aedicata. ℟. Bene fundata est supra firmam petram.

Ad Magnificat.

Ant. Santificavit Dominus tabernaculum suum: quia haec est domus Dei, in qua invocabitur nomen ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dominus.

Oratio.

Deus, qui beatae Mariae Virginis Domum per incarnati Verbi mysterium misericorditer consecrasti, eamque in sinu Ecclesiae tuae mirabiliter collocasti; concede, ut segregati a tabernaculis peccatorum, digni efficiamur habitatores Domus sanctae tuae. Per eumdem Dom.

Et fit commem. Feriae.

Ad Matutinum. Invitat. Salvatorem mundi in Domo Virginis de Spiritu Sancto conceptum, * Venite, adoremus.

Hymn. Caelestis Urbs *ut in festo Dedic. Ecclesiae.*

In I. Nocturno.

Ant. Elevata est magnificentia tua super coelos. *Ps.* Domine Dominus noster *cum rel., ut in Offic. parvo B. M. V.*

Ant. In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Ant. Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, et mundo corde.

℣. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo. ℟. In longitudinem dierum.

De libro tertio Regum.

Lectio I. *Cap. 8.*

Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu Ecclesiae Israel, et expandit manus suas in coelum, et ait: Ergone putandum est quod vere Deus habitet super terram? Si enim coelum, et coeli coelorum te capere non possunt, quanto magis Domus haec, quam aedificavi? Sed respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus: audi hymnum, et orationem, quam servus tuus orat coram te hodie, ut sint oculi tui aperti super Domum hanc nocte, ac die: super Domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi: ut exaudias deprecationem servi tui, et populi tui Israel, quodcumque oraverint in loco isto: et exaudies in loco habitaculi tui in coelo, et cum exaudieris, propitius eris.

℟. Vidi speciosam, sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum, cujus inaestimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus: * Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. ℣. Quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhae, et thuris? Et sicut.

Lectio II.

Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos (quia peccaturus est tibi) et agentes poenitentiam, et confitentes nomini tuo venerint, et oraverint, et deprecati te fuerint in Domo hac: exaudi in coelo, et dimitte peccatum populi tui Israel, et reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum. Si clausum fuerit coelum, et non pluerit propter peccata eorum, et orantes in loco isto pœnitentiam egerint nomini tuo, et a peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam: exaudi eos in coelo, et dimitte peccata servorum tuorum, et populi tui Israel, et ostende eis viam bonam, per quam ambulent, et da pluviam super terram tuam, quam dedisti populo tuo in possessionem.

℟. Quae est ista, quae ascendit, sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, * Terribilis, ut castrorum acies ordinata? ℣. Filia Sion, tota formosa et suavis es, pulchra ut luna, electa ut sol. Terribilis.

Lectio III.

Si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in Domo hac, tu exaudies in coelo in loco habitationis tuae, et repropitiaberis, et facies, ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum) ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terrae, quam dedisti patribus nostris. Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum extensum ubique); cum venerit ergo, et oraverit in hoc loco, tu exaudies in coelo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena, ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel, et probent, quia nomen tuum invocatum est super Domum hanc.

℟. Quae est ista, quae processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et reginae laudaverunt eam. ℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt. Gloria Patri. Viderunt.

In I. Nocturno.

Ant. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum, et in saeculum saeculi.

Ant. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Ant. Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.

℣. Domine, dilexi decorem domus tuae. ℟. Et locum habitationis gloriae tuae.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Sermo 52. de divers.

Lectio IV.

Sapientia, quae Dei erat, et

Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens aedificavit sibi domum, ipsam scilicet Matrem suam Virginem Mariam, in qua septem columnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide, et operibus praeparare? nimirum ternarius numerus ad fidem propter sanctam Trinitatem, quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Quod autem in beata Maria Sancta Trinitas fuerit, fuerit dico, per praesentiam majestatis, ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis, testatur Nuntius coelestis, qui ei arcana mysteria reserans, ait: Ave gratia plena, Dominus tecum; et post pauca: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Spiritum Sanctum, habes Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum.

℟. O quam metuendus est locus iste! * Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta coeli.

℣. Haec est domus Domini firmiter aedificata, bene fundata est supra firmam petram Vere.

Lectio V.

Utrum autem, et quatuor principales virtutes, tamquam quatuor columnas possederit, inquisitione dignum videtur. Primum ergo videamus, an fortitudinem habuerit, quae nimirum virtus quomodo illi abesse potuit, quae, abjectis saecularibus pompis, spretisque voluptatibus carnis soli Deo in virginitate vivere proposuit? Ni fallor haec Virgo est, quae apud Salomonem legitur: Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus. Porro, quod temperans, et justa fuerit, ex Angeli collocutione, et sui ipsius responsione luce clarius comprobamus. Salutata quippe tam venerabiliter ab Angelo: Ave gratia plena, Dominus tecum; non se extulit, quasi quae ex singulari gratiae privilegio benediceretur, sed siluit: et qualis esset insolita haec salutatio secum cogitavit. Qua in re, quid, nisi temperans fuit? at vero, cum de coelestibus mysteriis ab eodem Angelo doceretur, diligenter quaesivit, quomodo conciperet, et pareret, quae virum utique non cognosceret, et in hoc sine dubio prudens extitit.

℟. Fundata est domus Domini supra verticem montium: et exaltata est super omnes colles: * Et venient ad eam omnes gentes, et dicent: Gloria tibi Domine.

℣. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Et venient.

Lectio VI.

Justitiae autem praesefert insigne, ubi se ancillam Domini confitetur, nam quod justorum sit confessio testatur, qui ait: Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo. Fuit igitur beata Virgo Maria fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, justa in confessione. His itaque quatuor morum columnis, et tribus fidei praedictis extruxit in ea sibi domum Sapientia coelestis, quae adeo mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis foecundaretur et caro. Ipsius autem Virginis natalis Domus Divinis mysteriis conse-

crata, Angelorum ministerio ab Infidelium potestate, in Dalmatiam prius, deinde in Agrum Lauretanum Picenae Provinciae translata fuit, sedente Sancto Coelestino quinto: eamdemque ipsam esse, in qua Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis, tum Pontificiis diplomatibus, et celeberrima totius Orbis veneratione, tum continua miraculorum virtute, et coelestium beneficiorum gratia comprobatur. Quibus permotus Innocentius duodecimus, quo ferventius erga Matris amantissimae cultum Fidelium memoria excitaretur, ejusdem sanctae Domus Translationem anniversaria solemnitate in tota Piceni Provincia veneratam, Missa etiam et Officio proprio celebrari praecepit.

℟. Domus mea domus orationis vocabitur, dicit Dominus: in ea omnis qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit: * Et pulsanti aperietur. ℣. Petite, et accipietis, quaerite, et invenietis. Et Gloria Patri. Et pulsanti.

In III. Nocturno.

Ant. Tollite hostias, et introite in atria ejus, adorate Dominum in aula sancta ejus.

Ant. Viderunt omnes populi gloriam ejus.

Ant. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit Dominus alleluja.

℣. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.

℟. In longitudinem dierum.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap. 26.*

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Ex Homilia 1. super Missus est.

Quae est haec Virgo, tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo, tam humilis, ut desponsata sit Fabro? Pulchra permixtio virginitatis, et humilitatis; nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem, sed quanta, putas, veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat foecunditas, et partus consecrat virginitatem? Audis virginem, audis humilem? Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas: illa consulitur, ista praecipitur.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis: * Propterea benedixit te Deus in aeternum. ℣. Myrra, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiae Regum in honore tuo Propterea.

Ex Homilia 2. super eodem loc.

Lectio VIII.

Missus est, inquit, Angelus ad Virginem: Virginem carne, Virginem mente, Virginem professione, virginem denique, qualem describit Apostolus, mente, et corpore sanctam: nec noviter, nec fortuito inventam, sed a saeculo electam, ab Altissimo praecognitam, et sibi praeparatam, ab Angelis servatam, a Patribus praefiguratam, a Prophetis promissam: ut pauca loquar de pluribus, quam sibi aliam praedixisse Deus videtur, quando ad

serpentem ait: Inimicitias ponam inter te, et mulierem? Et si adhuc dubitas, an de Maria dixerit, audi quod sequitur: Ipsa conteret caput tuum: cui haec servata victoria est, nisi Mariae?

℟. Beata es Virgo Maria Dei Genitrix, quae credidisti Domino, perfecta sunt in te, quae dicta sunt tibi: Ecce exaltata es super choros Angelorum: * Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. ℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Intercede. Gloria Patri. Intercede.

Ex Homilia 3. super eodem loc.

Lectio VI.

Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum. Quo ingressus ad eam? Puto in Sacrarium pudici cubiculi, ubi illa fortassis clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito. Solent Angeli adstare orantibus, et delectari in his, quos vident levare puras manus in oratione. Holocaustum sanctae devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. Mariae autem orationes quantum placuerint in conspectu Altissimi, Angelus indicavit, qui ingressus ad eam tam reverenter salutavit.

AD LAUDES

Et per horas, Ant.

Domum tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudinem dierum.

Ps. Dominus regnavit *cum reliquis de Dom.*

Ant. Domus mea, domus orationis vocabitur: in ea omnis, qui petit accipit: et qui quaerit invenit: et pulsanti aperietur.

Ant. Propter domum Domini Dei nostri, quaesivi bona tibi.

Ant. Domine Deus, exaltasti super terram habitationem meam.

Ant. Domum majestatis meae, et locum pedum meorum glorificabo.

Capitulum. Eccl. 24.

In omnibus requiem quaesivi, et in haereditate Domini morabor. Tunc praecepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.

Hymn. Alto ex Olympi. *Ut in Commu. Dedicat. Eccl.*

℣. Introibimus in tabernaculum ejus.

℟. Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

Ad Benedictus.

Ant. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

Oratio ut in Vesp.

Et fit Commem. Feriae.

Ad Primam.

℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam.

Ant. Domus mea.

Capitulum. In omnibus requiem quaesivi.

℟. *br.* Hic Domus Dei est: * Et porta Coeli. Hic domus. ℣. Et vocabitur aula Dei. Et. Gloria Patri. Hic Domus. ℣. Domine, dilexi decorem domus tuae. ℟. Et locum habitationis gloriae tuae.

Ad Sextam.

Ant. Propter domum Domini.

Capitulum. Eccl. 24.

Et sic in Sion firmata sum, et in Civitate santificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei haereditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℟. *br.* Domine, * Dilexi decorem domus tuae. Domine.
℣. Et locum habitationis gloriae tuae. Dilexi.
Gloria Patri. Domine.
℣. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.
℟. In longitudinem dierum.

Ad Nonam.

Ant. Domum majestatis meae.

Capitulum. *Eccl. 24.*

In plateis sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. *br.* Domum tuam, Domine,* Decet sanctitudo. Domum tuam. ℣. In longitudinem dierum. Decet sanctitudo. Gloria Patri. Domum. ℣. Hic domus Dei est, et porta coeli. ℟. Et vocabitur Aula Dei.

In 2. Vesp. Omnia ut in primis

Ad Magnificat.

Ant. O quam metuendus est locus iste! Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta Coeli.

DIE XI. DECEMBRIS.

S. Damasi I. Pp. C.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

DIE XII. DECEMBRIS.

S. Melchiadis Pp. M.

Duplex

Orat. Infirmitatem.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Melchiades, Afer, post Eusebium Romanam tenuit Ecclesiam. Qui cum adhuc Presbyter esset misit Diaconos cum litteris Maxentii Imperatoris, et litteris Præfecti Praetorii ad Urbis Praefectum, ut ea loca reciperet, quae fuerant Christianis, tempore persecutionis, ablata. Reddita autem Ecclesiis pace, Constantinum Augustum adivere Donatistae, ut in eorum contra Caecilianum Charthaginiensem Episcopum causa judices daret. Quibus Constantinus respondit; Petistis a me in saeculo judicium, cum ego ipse Christi judicium expectem. Attamen dati sunt Judices Episcopi tres, missique Romam ad Melchiadem Pontificem, ut ibi, pro fratrum concordia, et unitate, Synodus cogeretur.

℟. Honestum fecit illum.

Lectio V.

In Urbem itaque hi tres profecti convenerunt cum aliis quindecim Episcopis, ipsoque Melchiade in domum Faustae in Lateranis, ubi causa discussa, Caecilianus omnium Episcoporum sententiis innocens est pronunciatus, et ejusdem Melchiadis decreto judicium est clausum. Ut autem Donatistae Catholicae unirentur Ecclesiae, Melchiades (prout scribit Sanctus Augustinus) tamquam vir optimus, filius Christinae pacis, et pater Christianae plebis admodum laboravit, oblata etiam conditione, ut quibuscumque in locis duo essent contrariarum factionum Episcopi, is confirmaretur, qui prior fuisset ordinatus, et alteri plebs alia regenda provideretur.

℟. Desiderium animae ejus.

Lectio VI.

Sanxit, ne ulla ratione die Dominico, aut quinta feria, quis fidelium jejunaret, quia eos dies quasi sacro jejunio deputatos Pagani celebrabant. Item statuit, ut oblationes consecratae per Episcopum, quae dicebantur Fermentum, per Ecclesias dirigerentur, ne Pre-

sbyteri in suis Titulis una cum suis plebibus celebrantes, se ab Episcopi communione separatos judicarent. Qui cum in persecutione Maximiani multa passus esset, tandem sub Constantino quievit in Domino quarto Idus Decembris, sepultusque est in coemeterio Callisti via Appia. Una Ordinatione creavit Presbyteros sex, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca undecim.

℟. Stola jucunditatis.

In III. Noct. Homil. super Ev Si quis venit ad me.

VIII. ℟. Domine praevenisti.

In Laud fit comm. Oct. Conception. et Fer.

DIE XIV. DECEMB EX 31. OCTOB

S. Siricii Pp. C.

Duplex.

In Hymn. mutat. ✠.

Oratio.

Deus, qui Beatum Siricium Confessorem, atque Pontificem Ecclesiasticae Disciplinae propagatorem eximium effecisti, da Ecclesiae tuae, ejus institutis proficere, et meritis adjuvari. Per Dominum.

In I. noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Siricius, Romanus, ex Presbytero Tituli Pastoris, vita functo Damaso Papa, Cleri, Populique universi acclamatione ad Apostolicam Sedem evectus est, obnitente frustra Ursicino Schismatico, gratulante vero in primis Valentiniano Imperatore, qui magnum innocentiae, et probitatis exemplum eum praedicavit. Ipso sui Pontificatus exordio decretalem Epistolam, saluberrimis institutionibus plenam, ad Himerium dedit Tarraconensem Episcopum aliis Hispaniarum Ecclesiis communicandam, ut corrupti Clericorum mores emendarentur, et disciplinae vigor instauraretur, quam in Africa quoque collabentem, habita Romae Synodo octoginta Episcoporum, reparandam curavit.

℟. Inveni David.

Lectio V.

Innumera sunt cetera, quae pro Fidei defensione toto sui Pontificatus tempore invicte peregit. Jovinianum Monachum, sanctae virginitatis hostem, et Christianum Epicurum in Romana Synodo anathemate confixit. Bonosum quoque Sardicensem Episcopum Christi Divinitatem, et Deiparae post partum virginitatem inficiantem, damnavit. Manichaeos ex Urbe ejectos Imperiali lege saecularibus poenis coercendos subjecit; redeuntes vero ad Ecclesiam in Monasteria, ac nonnisi in vitae ad communionem recipi voluit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Religionis tuendae, et amplificandae studium, quod sane quam maximum declarabat, egregie adjuvit magnus Theodosius Imperator, qui cum sublatis Gentilium simulacris, templisque interdictis, aut eversis, Idolorum cultum omnem aboleri jussisset, Christiana Religio, ipso sedente Pontifice, mirifice propagata est. Praeclaris pro Ecclesia functus laboribus, edilisque sanctissimis legibus, septuagenario major obdormivit in Domino anno salutis trecentesimo nonagesimo octavo. Sedit in Pontificatu annos circiter quatuordecim. Ejus corpus e Caemeterio Priscillae via Salaria in Titulum

Sanctae Praxedis a Paschali Primo traslatum est. Illius vero nomen Benedictus Decimusquartus Pontifex Maximus, plene vindicate ejus ab objectis criminibus innocentia, in Romani Martyrologii tabulas referri jussit.

In III. Nocturno Hom. super Evang. Vigilate.

Die XVI. decembris.

In Solemnitate Patrocinii S. Januarii Ep. et Mart. Dupl. Omnia sumuntur ex die festo ejusdem, die 19. Septembris in hoc libello pag. 218. In I. Noct.

Die XVII. decembris.

In festo S. Lazari Episc. Massiliensis, et Conf. Titular Commendatitiae Eccles. S. Lazari extra moenia Civit. Cap.

Duplex 1. class. Pro dict. Eccles. tant.

Omnia de comm. C. P.

Oratio. Exaudi quaesumus Domine. ❧

In 1. Noct. Lect. Fidelis sermo, *ex cit. Comm. Extra vero laudat. Eccl. de script. occ. nisi occurrat. in Fer. Quat.. Temp.*

In II. Noct. Lect. Beati Patris Lazari merita, *ex eod. comm. secund. loco.*

In III. Nocturno.

Lectio S. Evangelii sècundum Joannem.

Lectio VII. *Cap. 11.*

In illo tempore: Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariae, et Marthae sororis ejus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 49. in Joannem post init.

In superiori lectione meministis, quod Dominus exiit de manibus eorum, qui lapidare illum voluerant, et discessit trans Jordanem, ubi Joannes baptizabat. Ibi ergo Domino constituto, infirmabatur in Bethania Lazarus: quod Castellum erat proximum Jerosolymis. Maria autem erat, quae unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo Sorores ejus ad eum. Jam intelligimus, quo miserunt, ubi erat Jesus: quoniam absens erat, trans Jordanem scilicet. Miserunt ad Dominum nuntiantes, quod aegrotaret Frater earum, ut si dignaretur, veniret, et eum ab aegritudine liberaret. Ille distulit sanare, ut posset resuscitare.

Lectio VIII.

Quid ergo nuntiaverunt Sorores ejus? Domine ecce quem amas, infirmatur. Non dixerunt veni: amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. Non ausae sunt dicere, veni, et sana: non ausae sunt dicere, ibi jube, et hic fiet. Cur enim non et istae, si fides illius Centurionis inde laudatur? Ait enim: Non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Nihil horum istae, sed tantummodo: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Sufficit ut noveris: non enim amas, et deseris.

Lectio IX.

Dicit aliquis: Quomodo per Lazarum peccator significabatur, et a Domino sic amabatur? Audiat eum dicentem: non veni vocare justos, sed peccatores. Si enim peccatores Deus non amaret, de coelo ad terram non descenderet. Audiens autem Jesus, dixit eis: Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut

glorificetur Filius Dei. Talis glorificatio ipsius non ipsum auxit, sed nobis profuit. Hoc est ergo quod ait: Non est ad mortem: quia et ipsa mors non erat ad mortem, sed potius ad miraculum: quo facto crederent homines in Christum, et vitarent veram mortem. Sane videte quemadmodum tanquam ex obliquo Dominus Deum se dixit: propter quosdam, qui negant Filium Deum esse.

In utrisq. Vesp. et Laud. fit com. Fer. Advent.

DIE XVII. DECEMBRIS.

S. Eusebii Episc. et Mart.

Semiduplex.

Oratio.

Deus, qui nos Beati Eusebii Martyris tui, atque Pontificis annua solemnitate laetificas: concede propitius; ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum nostrum.

Deinde fit comm. Feriae Adventus.

In I. Noct.

Lect. de Script. occurr. si vero venerit in Quat. Temp. A Mileto.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Eusebius natione Sardus, Romanae Urbis Lector, post Vercellensis Episcopus, ad hanc regendam Ecclesiam merito est creditus divino electus judicio; nam quem nunquam ante consituti Electores cognoverant, posthabitis civibus, simul ut viderunt, et probaverunt, tantumque interfuit ut probaretur, quantum ut videretur. Primus in Occidentis partibus in eadem Ecclesia eosdem Monachos instituit esse, quos Clericos, ut esset in ipsis viris, et contemptus rerum, et accuratio Levitarum. Arianis impietatibus ea tempestate per Occidentem longe lateque traductis, adversus eas viriliter sic dimicavit, ut ejus invicta fides Liberium Summum Pontificem ad vitae solatium erigeret. Quare hic sciens in ipso fervere Spiritum Dei, cum ei significasset, ut penes Imperatorem una cum suis Legatis patrocinium fidei susciperet, mox cum illis profectus est ad Constantium; apud quem enixius agens, quidquid legatione petebatur, obtinuit, ut Episcoporum nempe coetus celebraretur.

Lectio V.

Collectum est Mediolani anno sequenti Concilium, ad quod a Constantio invitatum Eusebium, concupitumque, ac vocatum a Liberii Legatis; tantum abest, ut malignantium Synagoga Arianorum contra Sanctum Athanasium furentium in suas partes adduceret, ut potius diserte statim ipse declarans, e praesentibus quosdam sibi compertos haeretica labe pollutos, Nicaenam imo fidem proposuerit iis subscribendam, antequam cetera tractarentur. Quod Arianis acerbe iratis negantibus, nedum in Athanasium recusavit ipse subscribere; quin Sancti Dionysii Martyris, qui deceptus ab ipsis subscripserat, captivatam simplicitatem ingeniosissime liberavit. Quamobrem illi graviter indignantes, post multas illatas injurias, exilio illum mulctarunt; sed sanctus vir excusso pulvere, nec Caesaris minas veritus, nec enses obstrictos, eximium veluti sui ministerii officium accepit; missusque Scythopolim famem, sitim, verbera, viversaque supplicia perpessus, pro fi-

de strenue vitam contempsit, mortem non metuit, corpus carnificibus tradidit.

Lectio VI.

Quanta in eum tunc Arianorum crudelitas fuerit ac effrons inverecundia, ostendunt graves literae plenae roboris, pietatis ac religionis, quas è Scythopoli scripsit ad Vercellensem Clerum et populum, aliosque finitimos; e quibus etiam est exploratum, ipsorum nec minis, inhumanaque saevitia potuisse unquam eum deterreri, nec serpentina blanda subtilitate ad eorum societatem perduci. Hinc in Cappadociam, postremoque ad superiores Aegypti Thebaidas pro constantia sua deportatus, exilii rigores tulit ad mortem usque Constantii; post quem ad gregem suum reverti permissus, non prius redire voluit, quam reparandis Fidei jacturis ad Alexandrinam Synodum sese conferret; postque Medici praestantis instar peragrans Orientis provincias, in fide infirmos ad integram valetudinem restitueret, eos instituens in Ecclesiae doctrina. Inde salubritate pari, digresso in Illyricum, tandemque in Italiam delato, ad ejus reditum lugubres vestes Italia mutavit, ubi postquam Psalmorum omnium expurgatos a se commentarios Origenis edidit, Eusebiique Caesareensis, quos verterat de Graeco in Latinum. Demum tot egregie factis illustris, ad immarcescibilem gloriae coronam tantis aerumnis promeritam, sub Valentiniano, et Valente Vercellis migravit.

In III. noct. Homil. S. Gregorii Papae in Evang. Si quis vult post me venire, *ut in commu. unius Mart. 2. loco.* ℣. *VIII.* Domine praevenisti.

Die XIX. decembris. ex 14. nov.

S. Deusdedit I. Pp. C.

Duplex.

In Hymn. mut. ✠.

Oratio. Da quaesumus.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Bonifacio, hujus nominis Quarto e vivis sublato, postquam Sedes Apostolica mensibus quinque, et duodecim diebus vacasset, Beatus Deusdedit egregiis virtutibus, et eximia sanctitate conspicuus, natione Romanus, patre Stephano, unanimi omnium consensione, ex Subdiacono Romanus Pontifex creatus est. Ut autem subdiaconus Pontifex crearetur, tunc primum accidit, absque majorum exemplo; sed ut aliis praetermissis, Deusdedit eligeretur, insignis ejusdem sanctimonia praestitit, qua mirifice inter tot tenebras illustratus emicuit.

Lectio V.

Hic a domo Dei regiminis initium fecit. Cleri enim maximam curam gessit, quem cum imminutum, et valde distractum invenisset, eumdem plurimum auxit, in pristinas sedes restituit, et multis beneficiis cumulavit; sed plane dolendum est, tanti Pontificis facta, Scriptorum inopia, aut certe temporis injuria, obscura mansisse, quae quidem insignia fuisse oportuit, cum eum antiquitus Ecclesia inter Sanctos receperit, et annua commemoratione ut Sanctum fuerit venerata.

Lectio VI.

Illud tamen unum, ac singulare non excidit. Cum enim ob terrac-

motus vehementissimos, elephantiae lues orta esset, dum afflictae Urbi Sanctissimus Pontifex prospiceret, praesensque, raro exemplo, aegros inviseret, unum ex illis, in quo Christum contemplatus est, benigne complexus, et osculatus, divino miraculo, eumdem a lepra mundavit, ut vetera Ecclesiae monumenta testantur. Epistolae ab eo scriptae fragmentum extat, in quo luculentum de spirituali cognatione decretum continetur. Ubi demum tres annos sedisset, ex hac vita discessit, anno Christi sexcentesimo decimo septimo, et sepultus est in Vaticano.

In III. Noct. Hom. super Evang. Homo peregre.

DIE XX. DECEMBRIS. EX 19. NOV.

S. Pontiani Pp. M.

Duplex.

Orat. Infirmitatem.

In I. Noct. Lect. de scr.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Pontianus, Romanus, praefuit Ecclesiae Alexandro Imperatore: qui Sanctum Pontificem, propter Christianae Fidei confessionem, in Sardiniam insulam cum Hippolyto Presbytero relegavit. Ubi is pro Christi Fide multis calamitatibus afflictus, decimotertio Kalendas Decembris e vita migravit. Ejus corpus Fabiano Pontifice, cum Clero Romam delatum, in Coemeterio Callisti via Appia sepelitur. Sedit annos quatuor, menses quatuor, dies vigintiquinque. Fecit Ordinationes duas mense Decembri, quibus creavit Presbyteros sex, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca sex.

IN II. NOCT.

Lect. V. et VI. ut in die 28. Maji. fol. 127. hujus.

IN III. NOCT.

Homilia in Evang. Nihil est *opertum, ut in die 26. Januar. in Breviar. cum VIII. ℟. Domine praevenisti ec*

DIE XXII. DECEMBRIS EX 25. SEPT.

S. Pacifici a Sancto Severino Ordinis Minorum Reformatorum S. Francisci C.

Duplex.

Ad hym. mutat. ℣.

Oratio.

Largitor omnium bonorum Deus, qui beatum Pacificum Confessorem tuum eximiae patientiae virtute, et solitudinis amore decorasti, ejus nobis intercessione concede, ut per eadem vestigia gradientes eadem ac sequamur et praemia. Iu Dominum etc.

In I. Noct. Lect. de scr. occ.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Pacificus Septempedae in Piceno nobilibus, piisque parentibus ortus, a primo aetatis diluculo indubia praebuit futurae Sanctitatis indicia. Quartum enim annum cum vix attigisset, mane sibi oblato pulmento cinerem saepe miscebat. A puerilibus oblectamentis alienus, et coeterorum puerorum consortia fugiens, domi ante Sacras Imagines, aut in Ecclesia orare, vel aliis pietatis operibus incumbere in deliciis habebat. Parentibus vita functis, ab avunculo, qui cum susceperat educandum, praecipue vero a duabus ancillis ejus vile mancipium durissime habitus, objurgationes, ludibria, contemptus miti semper animo tulit, eorumque omnium,

in quibus viles femellae peccaverant, tanquam auctor insimulatus, poenam alienae culpae humiliter, alacriterque luebat.

Lectio V.

Decimoseptimo aetatis suae anno Franciscano Ordini inter minores, quos Observantes Reformatos vocant, nomen dedit in Conventu Forani, et quae, Tyrocinio pie Sancteque ibidem expleto, solemniter vovit, fidelis deinde usque ad mortem perfectissime reddidit Domino Deo suo. Paupertatis enim, et obedientiae fuit eximius cultor. Castitatis autem, quam illibate servavit vigil adeo, rigidusque extitit custos, ut tybiarum suarum ulceribus per scipsum secreto mederi consueverit, aliorum operam viro castissimo respuente, ne aliquam sui Corporis partem alteri ostenderet denudatam. Humilitate, patientia, solitudine summopere enituit. Austeritatibus ab Instituto praescriptis, jejunia, flagella; cilicia, vigilias adjecit, et cum poenitenti vitae candorem usquequaque conjunxit.

Lectio VI.

Divino, praesertim cum Sacrum faceret, sic aestuabat amore, ut ecstasim patiens in aera, facie ipsius interim coruscante, frequenter elevaretur. Spiritu Prophetiae, aliisque Charismatum donis fuit mirifice decoratus, inter quae memorabile illud fertur, quod Menochiae flumen imbre recenter auctum, aquis hinc inde divisis sicco transivit vestigio. Signis denique, et virtutum fama praeclarus ultimo morbo in Conventu Septempedano corripitur, quo patientissime tolerato, et Ecclesiae Sacramentis miro devotionis aestu susceptis, cum sublevatis oculis in Coelum gratias Omnipotenti Deo pro universis beneficiis ejus egisset, manibus supra pectus complicatis informam Crucis obdormivit in Domino anno salutis millesimo septingentesimo vigesimo primo, aetatis suae sexagesimo octavo. Viam universae carnis ingressus magis, ac magis miraculis claruit; cumque Pius Sextus Pontifex Maximus Beatorum numero adscripsit: Gregorius vero Papa XVI in festo Santissimae Trinitatis anno millesimo octingentesimo trigesimo nono solemni ritu Sanctorum cathaloco adnumeravit.

In III. Noct.

Homilia S. Gregorii Papae in Evang. *Sint lumbi vestri* etc. de Com. Conf. non Pont. 1. loco.

DIE XXIII. DECEMBRIS EX 14 AUG.

BB. Antonii Primaldi, et Sociorum MM. Hydruntinorum.

Semiduplex. *Oratio.*

Praesta quaesumus, Omnipotens Deus, ut qui gloriosos Martyres Antonium, et Socios fortes in sua confessione cognovimus, pios apud Te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de script. occ.

IN II. NOCT.

Lectio IV.

Antonius Primaldus, et octingenti circiter Socii Martyres Hydruntini, Christi fidem postremis hisce saeculis suo sanguine illustrarunt, et insigni fortitudinis exemplo primaevam Ecclesiae gloriam revocarunt. Anno siquidem reparatae salutis millesimo quadringentesimo octogesimo, quum Achomates classis Mahumeti Se-

cundi Praefectus in perniciem tenderet Italiae, Hydruntum devectus, urbem penitus imparatam facili negotio subigere ratus est. Tanta vero fuit Hydruntinorum virtus, ut cum hostibus Sanctae Fidei pacisci, ne ferendis quidem conditionibus, passi sint. Per quindecim igitur dies acriter utrinque pugnatum est: sed jam disjectis moenibus, tandem barbarorum numerus praevaluit; qui vi urbe potiti, cuncta caedibus compleverunt. Sic per diuturnos labores, multasque tribulationes Servos suos Dominus ad coronam disponebat.

Lectio V.

Hydruntinorum constantia, suorumque ingenti clade non leviter commotus Achomates, crudelis homo, et Christiano nomini infensissimus, inter eos, quos servituti addixerat, viros omnes secerni jubet decimoquinto anno majores, qui octingenti circiter inventi sunt. Nudi, manibusque post terga colligatis, ex urbe ad clivum Minervae (postea Martyrum dictum) coram barbaro Duce deducuntur; electo huic populo Fides Christi ejuranda proponitur; libertas, et Patriae salus, dum pareant, promittitur; mors vero, si renuant, indicitur. At exemplo vere singulari, nemo unus in tanto numero repertus est, qui vel spe libertatis allectus, vel mortis timore perculsus, a Fide Christi desciverit. Omnes enim ab Antonio viro religione spectabili confirmati, invocantes dulcia Jesu, et Mariae nomina, seque invicem cohortantes, datis fortiter pro Christo cervicibus, Martyrii palmam assequuti sunt.

Lectio VI.

Martyrium hoc pluribus prodigiis Deus quoque confirmavit. Ferunt enim Antonii corpus abscisso capite constitisse, nec nisi finita Sociorum caede potuisse dejici; atque insuper omnia Beatorum corpora per tredecim menses diu exposita penitus integra, et incorrupta permansisse. Quare ab Alphonso Calabriae Duce, Ferdinandi Regis filio, urbe recuperata, summa religione, ac pompa, ipsoque comitatante ad reconciliatam Metropolitanam Ecclesiam importantur, et in egregio Sacello, quod regali munificentia Rex dotaverat, collocantur. Quadriennio fere post biscentum circiter quadraginta ex iisdem Martyrum corporibus idem Alphonsus Dux Neapolim asportavit, atque in Ecclesia Beatae Mariae Magdalenae prope Castrum Capuanum collocavit: unde postea ad Ecclesiam Sanctae Catharinae, ad Formellum nuncupatam, translata sunt; ubi nunc etiam pie, sancteque recoluntur. Reliqua vero sacra pignora illorum Patria Hydruntum veneratur; Beatorumque Martyrum praesentem opem saepissime experta, cultum ab immemorabili tempore iisdem præstitum, Clementis Decimiquarti Pontificis Maximi Apostolica auctoritate comprobandum curavit.

In III. Noct. Homil. in Evang. Cum audieritis, *de eod. commu. 1. loco.*

DIE XXXI. DECEMBRIS.

S. Silvestri I. Pp. C.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

SUPPLEMENTUM
FESTORUM SANCTÆ THEANEN ECCLESIÆ.

DIE XXIII. JANUARII.
S. Amasii Ep. II. Theanen.
(*Cujus corpus in Cathed.*)
Patr. min. Princip.
Dup. maj. cum Oct. *in Civit.*, *et Casal. tant.*
Omn. de comm. C. P. II. loco.
Lect. I. Noct. Fidelis, *cum IX. lect. et comm. S. Emerentianae in Laud., et Mis.*

DIE VI. MAJI.
S. Joannis ante portam Latin.
Titul. Ecc. Cathedr.
Dup. 1. cl. cum oct, in Civit, *et Casal. tant.*
Omn. ut in Breviar.

DIE XIII. MAJI.
Dedicatio Eccl. Cathedr.
Dupl. 1. cl. cum oct. *in Civit.*, *et Casal. tant.*

DIE I. JUNII.
Translatio S. Paridiis Ep. I. et Patron. Princ. Theanen dup.
Lect. I. N. de scr., reliq. ut die Festo.

DIE V. AUGUSTI.
S. Paridis Ep. C. Primi Praesulis, Et Patr. Praec. Tot. Civit. Theanen ejusque. Dioec.
Dupl. 1. cl. cum octava.
Omn. de com. I. loco.
℣. Ora pro nobis Beatissime Pari ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
Ad Magn. in utrisq. Vesp.
Ant. Almus Sacerdos, et Parens Noster Paris, ejecto daemone, Christo invecto, Apostolorum Clero adjunctus regnat in aeternum. Alleluja.

Oremus.

Deus, qui Theanensem populum, relicto Idolorum cultu, praedicationi Beatissimi Paridis Confessoris tui, atque Pontificis obtemperare fecisti: da ut quod merito Nostrae fragilitati subtrahitur, Ejus nobis intercessione donetur. Per Dominum nostrum.

In 1. Noct. Lect. Fidelis sermo.

In II. Noct.
Lect IV.
Ex Concess. S. R. C.
12. Aug. 1673.

Beatus Paris natione Ateniensis, Magni Basilii aequalis, et Socius, Christianae Religionis studio in Italiam migrans Teanum Sidicinum in Campania perlatus est. Quae Civitas luce Evangelii nondum conspecta, usque eo superstitionum caligine tenebatur, ut ingenti Draconi ad Fontem Suburbanum latitanti, stragemque, ac pestem in Vulgum spargenti, honores Divinos, quo mitior redderetur, impenderet, dedicato supra Fontem fano, et mensa quotidie exquisitissimis epulis instructa. Ad eum locum, ut pervenit Paris, et dapum apparatum, et concursantes puellas Virgines cum Tranquillina Sempronii Praesidis filia egressum belluae ad escam praestolantes contuens, indoluit vehementer illius populi caecitatem; ac memor potestatis in serpentes a Christo traditae Sectatoribus suis, accessit ad os speluncae, et mox prodeuntis Draconis cervici imponens baculum, quem itinere gestebat, soporem illi immisit, omnemque virulentum extinxit ardo-

rem: Inde resticulo, quo erat praecintus, relegatum, non secus ac exiguum reptile, pertraxit in profluentem ex fonte Savonem, imperans Christi nomine, ut cursu undarum devolutus in mare ferretur demergendus; nec ullam postea resumpturus nocendi potestatem. Ita dilapsum, Draco nusquam amplius apparens, miseranda illa servitute Civitatem solvit.

Lectio V.

Tam illustri Paridis victoria de Dracone infremens Draco tartareus, ac se quoque de illa sede exturbandum fore metuens, afflat plebi Theanensi vesaniam, ut pro tanto beneficio maleficium referat. Nam, redeunte in Urbem Tranquillina cum epulis illis intactis, cum ab ea factum didicissent, in auctorem Paridem tamquam violatorem Sacrorum, et Patrii Numinis, omne genus supplicii exerceri oportere conclamaut. Itaque facto in ipsum impetu, circumventum, caesum, et gravibus contumeliis affectum sistunt Praesidi, a quo interrogatus de Patria, deque caussa adventus sui: mea, inquit, patria Athenae; Vestrae autem tantummodo salutis votum istuc me traxit, ut nunciato Christi in Mundum adventu, et Mysterio humanae reparationis per ejus Crucem peractae, a servitute Daemonoum, qua premimini, in libertatem, et Regnum Filiorum Dei traducerem. Cujus quidem rei ecce nunc arrham habetis in dracone per me fugato, virtute autem illius, qui me ad vos misit, auctor nostrae salutis Christus. Ad haec verba magis magisque insaniens turba suggerit Praesidi, ut virtutem Christi, quam Paris extollat, experiatur, objecta illi aliqua ferarum ex cavea. Tunc educitur Ursus immanis, previo jejunio ferocior, qui ubi erupit, quaeritans pabulum, conspecto Sacerdote Christi, protinus mitescit, et placidus ad ejus plantas sese provolvit. Sed Arti Magicae tribuens factum a Ministris Satanae rursus educitur Leo imprimis truculentus, ac diutina stimulatus inedia, qui et e vestigio ferociam cohibet, placidoque rictu, ac cauda Paridi blanditur. Quo tandem spectaculo convinctus Praeses, ac Civitas, Superstitionem, et Cultum Daemonum ejurantes, Christi Dei Religionem complectuntur.

Lectio VI.

Ergo Vir Dei, genitos Christo Theanenses per catachesim, regenerare non distulit per baptismum, atque hostia solemni oblata, recreare coelesti dape Corporis, et Sanguinis Domini. Inde filiorum votis expetitus Episcopus praesentatur Beato Silvestro Pontifici Romano per id tempus in Soracte Monte Constantinianam persecutionem declinanti. Is ut audivit gloriose gesta per Paridem, incredibiliter laetans, Sacris initiatum ritibus remisit Ecclesiae Theanensi primum Antistitem. Ipse mox revertens, eodem quo coeperat Apostolico Spiritu, reliquias superstitionum convellere aggreditur, delubra Daemonum in Dei Templa commutare, Christianae Vitae normam praescribere; Sacerdotes, et inferiorum Ordinum Ministros instituere; inter quos Beatum Levitam Urbanum, qui sibi tertius in Episcopali Sede successit. Rexit autem Ecclesiam sibi creditam praedicatione infatigata Divini Verbi, exemplis Coelestis vitae, mi-

raculisque vitae cousonis, tam frequentibus iis ac continuatis, ut etiam ex memorato fonte, unde draconem expulerat, quisquis omnino languentium cum fiducia, ac spe portaret, recuperata valetudine senserit usque in praesentem diem Divinae benedictionis effectum. Quibus olim permota pietas Theanensium super fontem ipsum Basilicam titulo ejusdem Divi Paridis excitavit.

III. Noct. Lect. de com. C. P. 1. loco.
Ad Bened.

Ant. Protector noster aspice de Coelo, qui draconem finibus nostris depulisti; depelle animis hostem Tartareum.

Die XIII. augusti.
Octava Sancti Paridis. *dupl.*
Lect. 1. Noct. de scr. occ.
In II. Nocturno.
Sermo Sancti Gregorii Papae.

2. Par. Pastor. c. 1. Lectio IV.
Tantum debet actionem populi actio trascendere Praesulis: quantum distare solet a grege vita Pastoris. Oportet namque, ut metiri se solicite studeat, quanta tenendae rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus aestimatione populus grex vocatur. Sit ergo (necesse est) cogitatione mundus, actione praecipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, prae cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiae erectus, internorum curam in exteriorum providentiam in interiorum solicitudine non reliquens.

1. par. c. 10 Lectio V.
Considerandum quoque est, quia cum curam populi electus praesul suscipit, quasi ad aegrum medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus corpore passiones vivunt, qua praesumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat? Ille igitur modis omnibus debet ad exemplum bene vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit; qui prospera Mundi postponit; qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat. Cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat spiritus. Qui ad aliena capienda non ducitur, sed propria largitur.

Ibid. c. 8. Lectio VI.
Unde ipsum quoque Episcopatus officium boni operis expressione definitur; cum dicitur: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Ipse ergo sibi testis est, quia Episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quaerit. Sacrum quippe officium non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anelans, in occulta meditatione cogitationis, ceterorum subjectione pascitur, laude propria laetatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia exultat. Mundi ergo lucrum quaeritur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerat.

In III. Nocturno.
Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 25.
In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi: *2. de voc gent. c. 2. post med.*

Datur unicuique hic sine merito, unde tendat ad meritum; et datur ante ullum laborem, unde quisque mercedem accipiat secundum laborem: quod ita esse, etiam Evangelicae veritatis testimonio agnoscitur, ubi per comparationem dicitur, quod homo peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis substantiam suam, et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem; idest secundum propriam, et naturalem possibilitatem, non autem secundum proprium meritum: quia aliud est posse operari, aliud operari; et aliud est posse habere charitatem, aliud habere charitatem.

Lectio VIII.

Non itaque omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis sanatus est; quia reparabile, et sanabilem esse, de natura est; reparatum autem, et sanatum esse, de gratia est. Denique isti, quibus secundum modulum capacitatis suae, quem in eis distributor substantiae praevidebat, dispar creditus est numerus talentorum: non meriti remunerationem, sed operis accepere materiam.

Lectio IX.

In qua duorum servorum vigilantissima industria, non solum gloriosis laudibus honestatur, sed etiam in Eterna Domini sui gaudia intrare praecipitur. Tertii vero pigrum otium, et desidiosa nequitia sic punitur, ut et vituperationis dedecoretur opprobrio, et portione, quam acceperat, exuatur. Dignus enim erat perdere iustitiam fidem, qui non exercuerat charitatem.

Die I. septembris.

S. Terentiani Ep. Mart. Patr. min. Princip. Theanen.

(Cujus brachium in Cathed.)

Dup. maj. cum oct. in Civit., et Casalib. tant.

Omn. de com. un. Martyr. 1. loc.

Die VIII. octobris.

S. Reparatae V. et M. Patr. min. Princ. Theanen.

Dup. maj. cum oct. in Civit., et Casalib. tant.

Omn. de comm. V. et M. I. loco.

Die VII. decembris.

S. Urbani, Ep. M. Theanen et Patron min. Princ.

Lect. 1. N. Fidelis, *reliq. cod. com. 2. loco.*

Nota. *Semel in mense 1. die no impedita Offic. 9. lect. recit. Offic Commem. S. Paridis sub ritu semid. cum lect. 2 noct. ant. ad Magnif. et Bened. et Or. pr. ut in die festo.*

Responsorium S. Paridis Protector ad implorandum ejus Patrocinium

Si quaeris magnalia,
Drago, Leo, Belluae,
Sancti nutu Paridis
Cunctae cadunt Ferae.
Caedunt ficta Numina,
Fana terra corruunt,
Gentes Christo credunt,
Condunt Templa Deo.
Cessant aegritudines,
Morbus, et infirmitas,
Multa mala fugiunt,
Dicant Theanenses.
Caedunt ficta ec.
Gloria Patri, et Filio, et Sp. S.
Caedunt ficta Numina etc.
Deinde Ant. ℣. et Or, ut in ejus Festo.

FINIS.